

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II
8
51 B
23
ROMA


B P Francisci Xauerij




P Gaspar Barzeus


Mart P Ant Criminalis

R.P. PETRI
IARRICI
THOLOSANI SOCIET:
IESV

THESAVRVS
RERVM INDICARVM.

In quo Christianæ ac Catholicæ Religionis tam in India Orientali quam alijs Regionib⁹ Lusitanorum operâ nuper detectis

Ortus, Progress⁹, Incrementa & maxime quæ A P P Soc: IESV ibidẽ in dictæ Fidei plantatione ac propagatione Ad Annum vsq; M. D. C gesta atq; exantlata sunt non minus Vere quam eleganter recēsētur.


Additæ sunt quoq; earundē Regionum et eorū quæ ad eas pertinēt tam Chorographicæ quam Historicæ Descriptiones.

Opus nunc primum a M. Martino Martinez e gallico in latinum sermonem translatum.
Permissu Superiorum.

COLONIÆ AGRIPPINÆ.
Sumptib⁹ Petri Henningij.
ANNO MDCXV.


Mart. Petri Correæ


Mart P Alphonsi de Castro


Mart P Ignacij Azebedi


Mart P Gonsalis Sylueriæ


Mart P Rudolphi Aquav


Mart P Abrah. Georg Maronita





NOVA HISTORIA INDICA.



ADMODVM

REVERENDO

ET EXIMIO VIRO AC DOMINO,

D. HENRICO

COFFRÆO


ERCKLENSI,

ARTIVM LIBERALIVM ET SS. THEOLOGIAE DOCTORI,

Eximio Magistro nostro,

ILLVSTRIS ECCLESIÆ AD D. GEREONIS CANONICO,

ALMAE VNIVERSITATIS COLONIensis Rectori perquàm magnifico, &c. Domino & Patrono suo colendissimo.





INTER multas laudes, quibus historia eiusque studium efferri solet, nemo magis proprijs eam coloribus depinxit, quã ille qui historiam VITÆ MAGISTRAM indigetauit. Est enim ea vera magistra, & dux vitæ, canon & regula actionum nostrarum, ad quam & facilè,

cilè,& rectè, non aliter atque ad normam Policleti ducimur & dirigimur. Ita vt sine illâ sociâ Theologia omnium artium regina ac vera sapientia mutilata quasi consistat, & manca: Iurisprudentia sine hac comite subinde oblita sui, in æqui, & boni tramite cespitet: Medicina ipsius consortio carens hæreat, & in exercitio sui ambigat: Et Philosophia, quæ & ipsa vitæ dux appellatur, intermortua iaceat, nisi ad rerum præteritarum historias, dum bonorum, ac malorum fines proponũtur, dicta, facta, & consilia sua reuocet. De Theologia id ita certum est, vt qui vel primis labijs eandem degustare cœperunt, illud inficias ire non possint. Quid enim Theologiā dixeris, si ab illa dicta, facta Christi Saluatoris nostri, si historias omnes Veteris ac noui testamenti sustuleris? Est Theologia doctrina vitæ nostrę, præsertim illa, quæ in parte morali consistit: Eodem nomine commendârunt maiores nostri historiam eiusque studium. Hinc illa Christianis vsitata vox. Omnis CHRISTI actio (quæ nobis sine historica traditione ignota futura fuisset, est nostra institutio.

Quid Iuris prudentia? cespitat vt diximus in dijudicando æquo & bono sine

histo-

historia. At ab exemplis, id est historia' non esse iudicandum dicere consueuimus: Esto, verū & sine exemplis iudicare difficile est. Imo exemplis altera pars Iurisprudentiæ, ea quæ consistit nempe ἐν τοῖς ἀγράφοις constat. Quid enim aliud est cōsuetudo, & lex non scripta, quàm è multis exemplis obseruata iustè, & æquè iudicandi regula, atqui exempla memoriam hominum effugiunt sine historicâ traditione,

Ad alteram Iuris partem id est, legem scriptam quantum conducat historiarū cognitio Iustinianus ipse in Pandectarum legalium digestione in vestibulo demonstrat, vbi de origine juris dicturus, immensam historiarum molem consarcinat.

Medicina hæret & ambigit, historiæ subsidio destituta: nam huius facultatis exercitium innumeris ferè experimētis solidatur, quorum notitia historiæ subsidio comparari potest. Etsi enim quemadmodū Theologus, & Iuriscōsultus, sic quoq; Medicus è Laberynthis difficultatum suarū nō nisi rationis filo educatur, attamen Medico hoc magis asscribi solet, quod præ cœteris omnibus vsu, praxi, & experientiâ regatur,

hinc Aristoteles, dũ in primo Metaphysicorum viam inuentionis artium, & scientiarum aperiret, Medicum quà ratione nititur artificẽ verè esse, & nominari posse docet, sed in applicandâ scientiâ suâ & arte subiecto, vt loquuntur, sanabili incertum, & periculo esse proximiorem si experientiâ, id est historiâ careat. Non existimo cuiquam dubium videri de historię notitia Philosopho necessaria, cum philosophia, quæ vt supra diximus, & ipsa vitæ dux appellatur, rerum expetendarum, & fugiẽdarum præcepta tantisper à se diuertens, in hac historica officina conflare vsu didicerit: In hac præsentia commodè explicet, futura colligat, & cognoscat. Atque vt his iam nominatis facultatibus, pari modo etiã omni alij honesto exercitio, quodcunque illud sit, historiæ studium mirum quantum proficit. Numquid expeditionem bellicarum duces, nunquid ignotarum patriarum inuestigatores, nunquid quisquis rem suam, quisquis, publicam gerit aut administrat, exemplis nititur, historijs ducitur? nunquid quid ante hac in ea vel simili materia gestum, obseruatumque, atque exinde consecutũ aduertit, & obseruat? Et cum hæc

sit historiæ suprema & vera laus quæ ex memoratis illius commodis elicitur, tū hoc nomine magis commendandæ veniunt rerum in religionis nostræ Christianæ eius initijs, progressu, promotione & statu benè gestarum narrationes, quarum notitia tantò nobis debet esse acceptior, & magis cordi, quantò religio ipsa Christiano cuilibet est gratior. Hinc illæ historiæ, quæ promotionem, & profectū religionis nostræ apud gentes barbaras & vel hæresion, vel gentilitatis erroribus implicatas tradūt singulari nobis & studio & zelo affectandæ, & perlegendæ veniunt. Inter quas mihi mirificè semper placuit Thesaurus rerum Indicarum R. P. Petri Iarrici Tholosani è Societ. Iesu Presbyteri, in quo Christianę ac Catholicę religionis tam in Iudia orientali, quā alijs religio Lusitanorum opera nuper detectis ortum incrementa, & maximè quæ à PP. eiusdem Societ. in dictæ fidei plantatione & prorogatione ad annum vsque 1600. gesta atque exantlata sunt, non minus clarè, quàm eleganter recensentur. Quem librum cùm ego ad vtilitatem rei Christianæ, & literariæ prælis mandare, & luci dare constituissem, eidem non alium commodiorem Patronū, à quo tanquā

manu è priuato in publicum primùm in Germania educeretur, inueniri potui præterquam te Admodum Reuerende & Magnifice Domine, tum vt T. Mag^tiæ. nomen, eiusque claritas frontiſpicio illius non aliter, atq; præclarum aliquod ſydus inſidens, eidem ſit & Helice, & Cynoſura in deuio illo, & inuio communitatis, quam ingreditur, mari, atq; ſua authoritate & dignitate, qua meritò in Vniuerſitate Colonienſi fulget, decus, & ornamẽtum; tum vt ego, quo animo ſim in Tuam Magnificent. admirandâ illius virtute & eruditione, nec non immenſis mihi iam ab annis multis præſtitis beneficiis illectus, hoc indicio non demonſtrem, verum demonſtrare dnntaxat incipiam. Rogans eandem Tuam Magnificentiam, vt hanc animi mei in eandem quàm maximè affecti ſignificatiõnẽ æqui boni conſulat, meque, vt hactenus, deinceps fauore ſuo beneuolè proſequatur. Valeat Magnif. Tua, multos annos proſpera & incolumis. Coloniæ Agrippinæ 1615. pridie Calend. Aprilis.

Admodum R^de. & Magnif. Dominat. T. Obſeruantiſsimus.

PETRVS HENNINGIVS
Bibliopola Colonienſis.



ELENCHVS EORVM QVÆ HOC TOMO CONTINENTVR.

Primo Libro continetur.

1. *Historia regni Congi.*
2. *Regni Angolæ*
3. *Regni Monomotapæ.*
4. *Naufragij memorabilis in Indiæ Syrtibus seu Breuibus.*
5. *Bellicæ expeditionis à Lusitanis contra Turcas factæ.*
6. *Aethiopiæ infra Aegyptum, cui Abyssinorum rex imperat.*
7. *Brasiliæ.*

Secundo Libro comprehenduntur.

1. *Descriptio & res Ormuzij.*
2. *Imperij magni Magoris.*
3. *Regni Chinensis vel Sinarum.*

TYPOGRAPHVS LECTORI.

HAbes hic, amice lector secundam nostri rerum Indicarum thesauri partem, quam tum ipsa rerum varietate, tum historiæ ipsius, de qua potissimũ agit iucunditate, tibi minimè ingratam fore confido At non parum mirari te dices, quoniam de causa secundam partem primæ, in noua hac Editione Latina præmiserimus, quasi Iosephi Patriarchæ exemplo, primogenitis ius debitum, secundo genitis deferre velle videamus. cum debitus naturæ ordo iure suo exposcat quodammodo, vt quæ antè, temporis habita ratione contigerint, prius etiam referantur; neu secundi nomen habere locum posse, vbi primum non præcesserit. Verum non sine ratione id factũm. quod & tecum ipse, vbi me audieris, indicabis. Fieri siquidem videmus, vt quidquid nouum est, delectet & nescio qua tacita violentia omnium in se animos pelliciat: quòd ipsum aut dignius sit, aut recentior illius apud homines memoria. Hinc etiam factum, quod secundus hic Tomus, quasi primo iucundior, ac de rebus dignioribus (absit inuidia aut liuida comparatio) agens in alijs etiam locis antea Gallicè post primam Burdigalæ editionem, qui ederetur dignus sit iudicatus est enim velut quoddam historiæ Maffeti (qui magno cum iudicio, eloquentia cum minori, ac fide, quidquid tum in Oriente, tum Occidente & ad Austrum Lusitani, nominis & imperij sui dilatandi causa, rerum bellicarum experientiá generositateq; gessere, ac nonnulla etiam imperij Iesu Christi & Ecclesiæ incrementa, sed ea nonnisi ad pauculos constricta annos, est prosecutus) supplemen-

plementum, vt quæ ipse veluti imperfecta & acephala reliquit, Auctor noster, non inferiori iudicio ac fide perfecerit & vbi Maffeius desinit, suæ hic narrationis telam ordiatur. Vt hisce duobus velut basibus solidissimis vniuersa Societatis Iesu gestorũ apud Iudos finitimosq; populos historia iuniti videatur. Nihil autem hic allatum videbis quod è fide dignissimis auctoribus, historijs editis, annuis denique Societatis litteris, non sit depromptum: neque enim nugas vendere, fucum ostendere, suisque (quod cauendum inprimis historico) imponere voluit; at omni quo potuit candore, sinceritate ac fide, quidquid Societatis Iesu Patres, inuictissimi fidei & cõstantissimi zélatores, in Christiani nominis gloria propagãda & fide & Redẽptoris annũtiãuda, variis in Orientis locis regnisque remotissimis, apud gentes immanitate barbaras, & ab omni plerasque humaniori cultu alienas & fecêre & passi sunt, summatim referre Neque enim tantillo volumine tanta gestorum magnitudo contineri queat: quæ sanè & numero Inse nota & amplitudine incomparanda, vt si quis septuaginta illos, quibus fundata est annos con-inflnita, & eorum quæ gessit numerum & eminentiam respiciat, aliquot vix sæculis eadem confici potuisse arbitretur. Vale itaque Lector Beneuole, & quem tibi nunc missum damus, alterius quem paramus obsonium crede.



APPROBATION DES DOCTEVRS.

NOvs soubs signez Docteurs en Theologie, certifions auoir leu le present liure intitulè, *Secōde partie de l'Histoire des choses plus memorables aduenues tant ès Indes Orientales, qu' autres pays de la descouuerte des Portugais, en l' establissement & progrez de la foy Chrestiene & Catholique,&c.*Composè par le P.Pierre du Iarric de la Compagnie de IESVS, & n'y auoir trouuè chose aucune contraire a la foy Catholique, Apostolique, & Romane, ny auy bonnes mœurs,ains auōs iugè deuoir estrè imprimè, pour contenir vne Histoire digne d' estre sceuë à la plus grande gloire de Dieu,& àl' edification des ames. En foy de quoy nous nous sommés soubs-signès à Bourdeaus le 8.Sept. 1609

DANIEL MARTIN
GABRIEL DE LA PORTE.

IOACHIM LE VENIER Prestre, Chanoine, & Maistr'eschole en l'Eglise Metropolitaine de Bourdeaus,& Vicaire General de Monseigneur l' Illustrissime & Reuerendissime Cardinal de Sourdis, Archeuesque de Bourdeaus,& Primat d' Aquitaine: Veu l' attestation des Docteurs sus nommez, auons permis & permettons d' imprimer le present liure intitulè, *Seconde partie de l' Histoire des choses plus memorables aduenues tant ès Indes Orientales, qu' autres pays de la descouuerte des Portugais, en l' establissement & progrès de la foy Chrestienne & Catholique, &c.* Composè par le R. P Pierre du Iarric de la Compagnie de IESVS. Faict à Bourdeaus le 9.Sept.1609.

LE VENIER *Vicairie General.*

EGO



EGO infrascriptus testor hanc Historiam Indicam R. P. *Petri du Iarric Societatis* Iesu nihil continere contra sanam doctrinam, & bonos mores: At verò plurima quæ ad pietatem, & variam ac delectabilem rerum cognitionem faciant. Actum Atrebati 23. Iulij. 1611

H. DE MOEVSYNBROVCQ.
Protonot. Apost. Can. Atrebaten. & librorum Censor.



APPRO-



APPROBATIO.

THesaurus hic rerum Indicarum, in linguam Latinam è Gallica eleganter translatus, nihil Catholicæ Fidei aduersum, aut bonis moribus repugnans tradit; honesta autem lectoris animum voluptate perfundet, vbi fælicia religionis Christianæ inter gentiles incrementa ob oculos posuerit. Magno igitur bono publico euulgabitur. Datum Coloniæ Agrip. die 20. Martij. 1615.

HENRICVS FRANCKEN
Sierstorpffius SS. Theol. Doct. Regens Gymn: Laurent. Librorum Censor.

AVCTOR



AVCTOR AD LECTOREM.



CCE tandem, Amice Lector, duos tibi reliquos libros Historiæ nostræ de rebus Indiæ Orientalis, etsi & mea opinione, & voto etiam tuo forsan serius aliquantò in lucem editos; promisso tamen cumulatiores. Quum enim initio res in Congo & Angola gestas quod parum comperta tum mihi essent, silentio præterire statuissem, postea vero ea quæ à nobis desiderabantur, apud diuersos Auctores reperissem: duas Partes superioribus addere decreui: Quare ab ordine quem initio proposueram, paullum deflectens, libro vno res Africæ ac Brasiliæ; altero paris fere magnitudinis, res Asiæ describere volui: vt ita ad Cosmographicas descriptiones instituto magis accommodati, Lectori facilius esset in Tabulis singulas regiones, quarum fit mentio, facilius reperire. Hoc monere te, Amice Lector, visum est, vt ista ordinis mutatio minus tibi mira videretur; ac simul rogare, vt credas, quod & in Præfatione Primi libri à nobis dictum est, non minori me in hoc Tomo cōscribendo diligentia ac fide, quam in Primo, vsum esse, nihilq; cuius non graues ac fide dignas habeam Auctores, huc transtulisse aut inseruisse. Vale.

RERVM



HISTORIA RERVM MEMORABILIVM,

QVÆ TAM IN INDIA ORIENTALI, quam alijs regionibus, quas Lusitani detexêre, in fidei Christianæ ortu ac progressu contigerunt; ac præsertim eorum quæ in eadem fide docenda confirmandaque Soc. IESV Religiosi & egerunt & passi sunt.

PROOEMIVM.



EI perfecta sunt opera, *ait Hebræorum legislator Moses, in vita extremo iam constitutus; homines verò adeo, vt plurimum, etiam in bono, varij & inconstantes sunt, vt si qua vel minima in rei alicuius ardua effectu sese offerat difficultas, animum fatiscentes despondeant, & nescio quâ cordis inertiâ, quod haud segniter & generosè aggressi sunt, abijciant, & à cœpto resiliant: at Deus, qui immobilis est, in eo quod inchoauit bono progreditur, & quod in diuino intellectu suo statuit ac decreuit, ad exitum perducit; adeo vt disponens omnia suauiter in finitâ suâ potentiâ ac sapientiâ,* Deut.32.

ad id quod concepit, tandem pertingat. Porro hoc non in ipsa totius vniuersi creatione dumtaxat cernere est, quam sex ipsis diebus perfecit; verum & in ipso Redemptionis opere, in quo non prius quieuit, quàm omnia iam consummata ad exitum perduxisset. Idipsum & in Ecclesia sua directione & administratione videre fas est: numquam enim hanc, ex quo pretioso Iesu Christi filij sui vnigeniti sanguine eam & erexit & fundauit, visus est deseruisse, inuiolabilem quam nascenti promiserat, protectionem, ad finem vsque sæculi duraturam, reipsa complens. At quoniam, vt apparet, in hoc fine sæculorum, reliquas orbis nationes, ante supremum iudicij diem, fidei lumine illustrare decreuerat, immensæ bonitatis suæ diuitias vt mundo patefaceret; non satis ei fuit, Euangelij præcones per Orientalem Indiam, ad quam Lusitani, potissimum, ob diuitiarum ibidem affluentium copiam, nauigationem instituere conabantur, emittere; sed huius occasione in alias etiam tum Asiæ tum Africæ prouincias, quin & in nouum Orbem, quem Americam dicunt, quotidie nouas & incognitas hactenus Christianis regiones detegendo destinare; sua vt doctrina rore easdem irrigaret, & bonorum operum ac virtutum fructus, quos diuina illius Maiestas ab hominibus exigit, vt beatitudine tandem cœlesti eosdem remuneretur, è sterili gentilium solo eliceret.

Cùm igitur ipse per Dei gratiam, quidquid in ortu progressuque promulgati ad Orientem Euangelij laudabile contigit, litteris consignare essem aggressus, & ea quæ ad Indiam tam trans quam cis Gangem spectarent, Dei beneficio iam perfecissem, reliquum videba-

videbatur, & alias quasdam regiones, in quibus profectionum Lusitanicarum, tum ad Indiæ regiones aperiendas, tum vero ad dominium imperiumque extendendum, institutarum occasione, Christiana Religio ortum habuit, persequi. Quamobrem liber primus complectetur ea, quæ in Congo, Angola, Monomotapa, & Presto Ioannis regno, aliisque Africæ locis, Brasilia etiam addita, euenere; in alterum vero conÿcientur, quæ ad Ormuzium, regnum Mogor, & Chinarum, quæ Asia continentur, spectant. A regno igitur Congo, quod præ alÿs detectum fuit, ac Christi fidem ante ceteros, per Lusitanos accepit, exorsi, de regno & eius partibus, incolarumque ingenio ac moribus nonnulla præmittemus.

CAPVT PRIMVM.

De regno Congo, eius terminis, mirabilibus, & incolarum moribus.



VAM Lusitani simul & incolæ Congum nuncupant, prouincia, in Africa, trans æquinoctialem est, vergit in meridiem; ad occidentem (vbi Oceano alluitur) à promontorio D. Catharinæ initium habet, quod sesquigradu latitudinis australis est, & in tertio desinit, si regnum Angola, quod olim eidem adnexum erat, adiunxeris. Multa in hoc Oceani littore emporia, & flumina continet, quæ in Oceanum se exonerant; nam post D. Catharinæ promontorium sequitur portus, qui ab Aluaro Gonzales, qui primus eumdem detexit, nomen habet: haud procul inde riuus quidam, quem à rubicunda arena, *las Borreras roxas*, Lusitani nuncupant, quod aqua per rubricantem illam arenam fluitans, rubescere videatur. Sequuntur deinde montes, longè lateque diffusi, & in immensum patentes: quos Lusitani propterea *serra comprida*, id est, montem longum dicunt. Longius paulo progredienti flumen occurrit, quod in mare delapsum, paruum quemdam efficit sinum, cui nomen *das almadias*, id est, à nauigiolis, quæ plurima hoc in emporio fieri solent, datum perhibent. Vlterius dein ad Austrum eunti occurrunt magni fluminis Zairi, ex eodem quo Nilus originem trahentis lacu, ostia; tanto verò impetu in mare se exonerat, vt etiam interdum ad viginti ab ostio leucas dulcē illius aquam nauigantes hauriant. Verum versus caput nauigabilis non est, ac nōnisi ad sex septemve leucas; aqua enim, has vbi enauigaris, tanta vi atque impetu summis rupibus de-

ſcendit, vt non arenarum modo globos, ſed ingentia etiam ſaxa conuehat, è quibus plurimas, quę hoc in flumine conſpiciuntur, inſulas natas fama eſt; inſulæ autem hæ, quod ager hîc paſcuus & fecundus ſit, incolis abundāt. Suum vnaquæque dynaſtam agnoſcit, qui eaſdem regi Congo ſubditi regunt: ſed non parum inter ſe diffident; vt plurimum enim mutuo ſe bello laceſſunt. Hinc ſæpius bello nauali inter ſe contendunt, idque nauigijs ex vno arboris, cui nomen *Licondo*, trunco excauatis; arbor verò hæc tam eſt ampla, vt ſex eam viri brachijs extenſis vix ambiant; hæcce autem nauigia tam capacia interdum, vt ducenti & armis & remis inſtructi, ijſdem comprehendantur. Harum inſularum maxima, quæ tamen exigua ſatis, Inſula equorum dicitur, quod equi marini plurimi, quos Hippopotamos, id eſt, equos fluuiatiles, dixere Græci, hic conſpiciantur: quorum tanta hic vis & robur, vt pede vel dentibus naues integras euertant: at vbi in terram inſilierint, magnam tum hominum tum animalium ſtragem edunt. Flumen hoc abundat etiam crocodilis immenſæ magnitudinis, quos incolę Caimanos appellant. Conſpicitur hic & aliud animal, quod manus præfert humanas, caudam verò ſcuti inſtar, nomen habet *Ambize angulo*, id eſt, porcus aquatilis, quod porci ſaginati inſtar ſit pinguis. Carnem illius fumo indurant, vti noſtrates porcinam; eamque nonniſi in genialibus epulis, quod ſapida ſit, apponere eſt moris. Nonnūquā aqua dulci egreditur, & herbis, in fluminis ripa creſcentibus victitat. Facie eſt bouina, & tantę nonnunquam magnitudinis, vt ad quingentarum librarum pondo nonnulla pertingant. Hæc autem eius capiendi eſt ratio. Piſcatores vbi locum, in quo paſcere ſolet, notarunt, eodem cum nauigijs ſe conferunt, cùm verò aquas repetere vult, remis & ve-

Licondo arbor

Hippopotami equi fluuiales

Caimani ſunt Crocodoli

Ambize angulo porcus aquatilis

ctibus exprimunt. Captum animal ad regem deferre mos est; nefas enim, huiusmodi pisces, aut alios, quos regios dicunt, (quòd soli regi seruentur) sibi piscari; quique celauerit, capitis adire periculum solet. Zairum vbi transieris, & cœptum per littus iter prosequi volueris, incides quamprimum in Patroni promontorium, & haud procul inde in Lelundam flumen, quod ad pedem montis, cui Congus regni caput inædificata est, vsque extenditur. Hinc ad flumen Ambrissum iter est, quod latum est, & commodum habet portum. Sequitur mox flumen Onzus, deinde Lemba; haud procul inde occurrit Danda, quod priusquam in mare se exoneret, in duo cornua diuiditur; horũ quod ad Septentrionem vergit, Douda; quod ad Austrum, Bengo dicitur: hoc cornu vnà cum alio flumine cui nomen Coanza, insulam *Loandam*, id est, terram planam, ab incolis nuncupatam, constituit. Caret enim montibus, & quinque nostrates leucas, id est, viginti Italorum millia passuum, (quatuor passuum millia vnicuique leucæ, quod sequimur, attribuendo) patet. Sed angusta admodum est, & quæ aliquibus in locis ad teli iactum in latitudine non extendatur. si ad quatuor vel quinque pedes in terra foderis, aquam ad bibendum commodam in maris accessu inuenies; at in recessu, salsam & amaram. Hac in insula conchyliorum piscatio frequens est, quæ per vniuersum Congi regnum, monetæ loco vsurpantur. Vbi enim ad sola genua vsque & paulo vlterius aquam ingressus fueris, plenis educi sportis solent, quæ deinde in ripa mundantur, & à sordibus lapillisque alijs discernuntur. Exigua sunt admodum & varia, sed ad duo dumtaxat reuocari genera solent; alia masculi, femellę alia dicuntur,

Lelũda flumen.

Insula Loanda

quo-

quorum hæc maioris fiunt, quod fulgentiora, oculisq; gratiora. Quamuis autem in alijs Congi locis hæcce conchylia reperiantur, Loandéfia tamen alijs præferuntur, quod & splendidiora sint & cinereum coloré, qui in cóchylijs pretium habet, præferant. Hisce omnia, etiam aurum & argentum, & quidquid ād victũ ac vitam sustentandã necessariũ est, emuntur. In hac insula gubernatoré rex habet, huic piscatui præsidentem, conchyliaq; regio ærario inferri curantem, adeo vt hæc auri fodinæ sint loco. Vnde apparet, mundũ opinione potius quàm ratione, etiam in rerum pretio regi; cùm metalla, aurum præsertim & argentũ, vbique locorum non tanti, quanti in Europa fiant, quibus nō modo honor, sed & animæ salus sæpenumero postponitur. *Mundus opinione regitur non ratione.* Est hac in insula etiã mira quædam arbor, quę perpetuò viret, *Ensanda* nuncupata, quæ sublimis admodum excrescit, & crines, qui ramis illius depédent in terram iacit, qui mox vt terram tetigerint, crescunt, & matri magnitudine pares fiunt; adeo vt ingens regio, ab vno arbore, surculi nisi euellerentur, repleri posset. *Arbor Ensanda* Sub exteriori cortice, lini quædam species delitescit, è qua contusa & mundata, plebecula vestes parat. Iuxta hanc insulam, ad latus maris plurimæ balenæ conspiciuntur, quæ in se inuicem magno boatu insurgunt ac fæuiunt, adeò vt ob cruentum quod ineunt prœlium, plures sæpe in littore exstinctæ reperiantur. Has incolæ diligenter per littora conquirunt, atque è pinguedine vnguentum quoddam parant, quo naues picis loco illinunt. Quamuis autem hic semper balenæ cernantur, Ambra tamen hic nulla, non grisea, quam vocant, nō candida, non nigra; è quo efficitur, non esse balenarum semé Ambram, vti aliquorum opinio est; cùm

hoc in loco, vbi tanta illorum copia, ne nomine quidem nota sit. Præcipuum insulæ emporium septentrionem spectat, in quo pagus est, qui à S. Paulo nomen habet, quemque Lusitani plurimi cum familijs incolunt; ad alterum insulæ latus ad Meridiem flumen Coanza est, quod ex paruo quodam lacu, qui eodem quo Nilus nascitur loco, originem trahit. Hunc incolæ Zebum vel Zairum vocant, & credunt nõnulli hunc Tritonum lacum à veteribus nuncupatum, quod plurimos hic Tritones vel Ichthyanthropos reperiri putarẽt. Hic finis regni Congo, vti hodie distinctum est. Olim enim & alias complectebatur prouincias, quas iam regnum Angolæ appellant. Quoniam vero de hoc regno sermo etiam nobis instituendus restat, hoc omisso, in maritimæ huius partis descriptione, ad vsque illius limites progrediemur. Flumen igitur Coanzam, vbi Angolæ initium, cum transieris, in Promontorium Ledo, & aliquot alios fluuios incides, quorum primus Sunga vel Senga, alter Benglebi dicitur; circa quos modò dominium regulus quidam regi Angolę vectigalis obtinet. Tãdem angustum emporiũ occurrit, sed firmum & validum, quod à multitudine vaccarum circumquaque pascentium, sinum vaccarum nominant. Hi sunt veteres Congi limites occidentem versus: limites vero australes erunt, si ab emporio vaccarum ad montes argenteos rectà processeris; argentei autem dicuntur à Lusitanis, ob argenti, quod ibidem eruitur, fodinas; regno Matamanensi ad meridiem relicto. Recta hæc linea centum ac tredecim nostrates complectetur leucas. Orientem versus, termini illius erit linea, quam fingere licet, à montibus argenteis, ad vsque cõfluuium Zairi fluminis & alterius quod Vmbam nominant, pertranseundo scilicet montes quos à nitri copia montes nitri, Lusi-

Coanza flumen

Angola regnum

Sinus Vaccarũ

Congi limites

Lusitani indigetant, & alios quos Solis dicūt, quod ob altitudinem immensam solem tangere videantur; item alios, quos à venarum Chrystallinarum abundantia, Chrystalli dixere; donec tandem in duorum illorum fluminum coniunctione finiatur. Linea hæc ad centum quinquaginta leucas extendetur. Deniq; ad partem Borealem, à prædicto fluminum concursu incipit, & ad vsque S. Catharinæ promontorium extenditur, quæ latitudo centum etiam & quinquaginta leucas complectetur. Hoc ad latus Congiani, populis, olim Bramis, sed modò Loangis vocatis contermini sunt; apud hos, vti & alios circumquaque, Iudæorum ritu, circumcisio in vsu est. Vlterius paulo ad Occidentem tendēti Anziquenses vel Anzicani occurrent, barbari & feroces vt qui maximè: deuorat enim alter alterum, vtque apud nos bouina vel veruecina venalis exponitur, ita apud illos humana. Atque idcirco non inimicos dumtaxat bello captos, sed & mancipia, cum viua non tanti, quanti mortuorum caro in macello, vendi possunt, mactant. Sunt quinetiam, qui vltro magna animi præsentia & hilaritate sponte se iugulari permittunt, tum vt honorem ita sibi comparent (magnanimitatis enim indicium credunt vitam despicere) tum vt suum in dominos affectum, propria illos pascendo carne, testentur; tum etiam, quòd vitam longiorem pertæsi mortem in votis habeant. Horū autem mētionem fecimus, quòd bello sæpius Congianos, vt suo dicemus loco, lacessant. Vniuersum verò regis Congianorum imperium in sex distinctum est prouincias, quarum maxima ac locupletissima Bemba dicitur, quæ ad vsque oram maritimam pertingit, & à flumine Ambrizzo vsque ad Coanzam extenditur. in plures hæc præfecturas inferiores diuiditur, præfecti verò & rectores ipsorum lingua *Mani* dicuntur, quod

Anzicanorū barbaries.

Bemba prouincia.

Mani,id est Dominus

tantum sonat ac Dominus, adeò vt *Manibamba* Bembæ Dominum; *Manicoanza* dominum Coanzæ significet, atque ita de cæteris. Atque inde patet decipi eos qui regnum hoc *Manicongo* vocant; proximum enim illius nomen est *Congo*, *Manicongo* verò tantumdem significat ac Dominus Congi, qui ad solum regem titulus spectat. Vrbium Prouinciæ huius caput est Pausa, inter Onzum & Ambrizzum fluuios, in loco plano sita, quinque & viginti à mari leucis remota. Haud procul inde ad Orientem montes argentei incipiunt, qui ad Angolam vsque pertingunt. Prouincia hæc tum ob conchylia, quorum numismatum loco vbique est vsus, & quæ in Insula Loanda quæ ad hanc spectat, magnâ copiâ colliguntur; tum verò ob Lusitanorum in omnibus illius emporijs commercia, ceteris est opulentior. Vnicis enim in nundinis aliquãdo ad quinque mancipiorũ millia diuenduntur. Metropolis illius, totius Congi propugnaculum ac tutela est, quod Bembani ceteris Congianis fortitudine & militaris disciplinæ scientia præcellant. Tanto pollent robore & ijs viribus, vt multos reperire sit, qui vnico hominẽ ictu à summo vertice ad medium vsque ventriculũ dissecent, & tauri mediocris ceruices penitus præcidant. Arma quibus se tueantur, oblóga & angusta est cetra, qua totum corpus obtegant. Vnica hæc Prouincia, si quando opus fuerit, Regi bellum paranti, quadraginta bellatorum millia, gladio, arcu & clypeo instructorũ suppeditabit. Animalia quæ passim hic obuia, sunt elephantes, ceteris aliarum prouinciarum maiores, & adeo frequentes, vt gregatim per agros oberrent. Adeò vt à quo tempore Lusitani Bembanorum frequentare cœperint commercia, ebur, id est elephantum dentes, tanti, quanti prius apud Europæos pretij non sint, ob ingen-

Bemba diuitiæ.

Bembanorum robur.

Elephãtum greges.

ingentem quæ hinc aduehitur eboris copiam. Tigridibus etiam abundat, iisque ferocibus, indæthiopas maximè sæuientibus, quos vbi reperiunt ilico frustatim discerpunt, candidi tamen & Europæi impunè habere dicuntur. Est hic & animal exoticũ, quod Zebram dicũt, muris nostratibus si formã spectes, nõ absimile, sed non ideo sterile; singulis enim annis, vt equi nostri, simile sibi gignunt, quibus incolæ, si modo domandi artem percallerẽt, in sarcinis deferendis vti possent; hinc hominum opera in earum gestatione vtuntur; quin & ipsi ab iisdem, vti nos ab equis, gestantur. Incredibilis celeritatis sunt, adeò vt Lusitani inquilini pernicem ac promptum quemdam designaturi, Zebra eum velociorem, vti nostrates, ceruo celeriorem, dicant. Colore à ceteris differunt animalibus, strias quippe albas, nigras & rubras tres latas digitos, à dorsi spina ad imum vsque ventriculum, atque per totum corpus habẽt. Sunt hic etiam animalia bobus nostratibus persimilia, minora tamen, & cornua caprarum instar recurua gestantia, alia etiam reuersa, vt cerui, nisi quod enodia sint. Oues & capræ a nostratibus non discrepant, sed fecunditate Europæis præstant, vtpote quæ non vnum dumtaxat fœtum, sed geminos, ternos, imo & quaternos vno gestent vtero. Reperias hic etiam Ziuettas, quas incolæ priusquam Lusitani eodem appellerẽt, domi, vnguinis illius pretiosi, quod ob odorem longè gratissimum magni ab omnibus fieri solet, colligendi gratia educabant. Sunt hic etiam serpentes immensæ magnitudinis. si enim iis, quæ antehæc relatu eorum qui viderunt scriptis prodidere, fidem adiungere fas est, reperiemus hic, qui viginti quinque palmos longitudine, & quinque latitudine superabunt. modo in terra, modò in aqua degere perhibentur, quoque com-

Tigrides feroces.

Zebræ figura.

Ziuettæ.

Serpentes ingentes.

commodius prædam captent, arbores interdum conscendunt, è quibus magna vi in animalia non procul inde pascentia insiliunt, quæ vbi occiderint, in siluarum conuehunt latibula, per otiũ deuoraturi. Qui vbi cibis sese ingurgitarunt, adeò vecordes & stupidi redduntur, vt vel puer occidat; atque hic stupor ad quinque sexve dies durare solet. Incolæ si quem inuadere queunt, esui adaptant, nec minus illis serpentum, quàm nobis gallinarum caro sapit. Est & aliud serpentum genus adeo virulentum & noxium, vt si quem momorderit, intra quatuor ac viginti horarum spacium is exspiret, nisi antipharmaco, quod aduersus morsus huiusmodi præsentissimum norunt remedium, ægro succurrant: sed hominum saluti diuina prouidẽtia consulens, signum serpenti huic dedit, suum quo aduentum prænuntiat; habet siquidem in cauda rotundam lagenulam, quæ dum se mouet, strepitum edit: hæc cardiacis doloribus ac febribus, vti & serpentis huius caput, mederi perhibetur. Auibus etiam abundant, & inprimis struthionibus, quorum pennis incolæ, pauonum intermixtis (quas plurimi faciunt) in conis galearum vti solent. Phasianorum hic quoque, gallinarum Indicarum, columbarum, turturum, aliarumque auium, tum ob pennas tum ob carnis saporem maximi fieri solitarum, maxima copia. Lusitani mirum quoddam albicantium genus, hic reperiri solitum, Pellicanos vocant; natant hæ sub aquis, & piscibus victitant; harum pelles frigidis stomachi torminibus medentur. Psittacorum hic non exiguus est numerus, ac diuersicolorum quidem: auicularum quoque quarundam Canaricis maiorum, quæ iucundissimum edunt concentum, quo vt opulentiores perfundantur, domi easdem in caueis alere consuevere. Sed hæc de hac dicta prouincia sufficiant; ad alias accedamus,

Serpẽtes virulenti.

mus; quòd enim de hac vna dictum, de alijs dictum putandum est.

Altera nomen habet Songo, quæ à flumine Ambrizzo ad illud quod ab arena rubicunda nomen trahit, protenditur, & regno Loangæ ad septentrionem, ad orientem verò Anzicanis contermina est. In meditullio huius prouinciæ vrbs est Songo nuncupata, in qua Regis Vicarius ac præfectus sedem habet, è familia regia seligi solitus: plurimos hic præfectos secundarios habet, in quos dominatur. Quòd magna hic sit Elephantum copia, vile est ebur, adeo vt integrum dentem elephantinum cum clauo ferreo permutent: ferro enim caret prouincia, aut fodinis ipsum educere, aut eductum, in cultros, enses, aliamque domesticam supellectilem, conflare nesciunt. Tertia prouincia Sundo dicitur, quæ decem leucis à Congo totius regni capite, ad septentrionem exorditur, & ad flumen vsque Zairum, & vltra illius cataractas, vtramque fluminis ripam complectens, ad vsque Anzicanos, versus septentrionem pertingit: ad orientem verò ad vsque Brancaris & Zairi confluuium, atque inde ad montes Chrystallinos extenditur. Prouinciæ huius caput est iuxta cataractas vnde Zairus dilabitur, & nomen huic etiam Sundo. Hæc omnium totius regni prouinciarum primaria, ac velut regis patrimonium, cui primogenitus regius, vel quicumque regni futurus est successor, præesse vt plurimum solet, qui varios ditione sua Præfectos ac Gubernatores comprehendit. Chrystallo fertilis est alijsque mineralibus, quamuis non tanti hæc incolæ quanti ferrum faciant, quòd nulla ex his arma aut secures, aliaque quæ vsui sunt, parare, vti è ferro, queant.

Songo prouincia.

Sundo prouincia.

Quarta Pango nuncupatur, territorio Congianæ vrbi ad Occidentem confinis, ad Boream verò eosdem

Pango prouincia.

osdem habet limites quas Sundensis prouincia. Ad Orientem ad montes Solis & nitri se extendit, & ad Meridiem prouinciam Battam, de qua iamiam loquemur, attingit. Metropolis olim nomen habebat Pangelungos, modò Pangò, vnde tota prouincia nomen traxit. Mediam hanc dissecat Barbela flumen, quod ex eodem è quo Nilus, oritur lacu, & aliud quodam Aquelunda nomine, sed deinde in Zairum se exonerat.

Batta Prouincia. Quartam Battam dicunt, quæ Pangensem ad Septentrionem tangit, ad Orientem montes Solis & Nitri, ad Meridiem verò alios montes quos *Queymados*, id est, vstulatos Lusitani nominant. Hanc esse prouinciam nonnulli putant, quam Ptolemæus aliique veteres Geographi Agezymbam dixere, & totius orbis habitabilis ad Meridiem, vltimam, ob immensos calores credidere; vix enim fieri putabant, quo minus homines vlterius habitarent. Prouinciæ caput Batta etiam dicitur, quam sibi gubernator in sedem ac domicilium delegit, cui soli inter ceteros suis sclopetarios illius regionis stipendijs alere permissum, quod ne regis quidem filio concessum: huic enim si opus habuerit, externos, & vt plurimum Lusitanos, rex dare solet. Prærogatiuæ huius hæc est ratio, quod ad Orientem, vltra montes Solis & Nitri Barbari quidam commorentur, quos Congiani Giachas nuncupant, seipsos quamuis Agagios dicunt: hi nonnisi raptu & latrocinijs viuunt, & prouinciæ huius incolas magnopere infestant. Quare semper excubent & ad arma parati sint oportet, vt barbarorum impetum & insultum propulsent, ideoque sclopetarijs in primis opus habent, sclopetos enim barbari maxime formidant. Vnica *Giachas populi barbari.*

hæc

hæc prouincia ſeptuaginta vel etiam octoginta armatorum millia ſubminiſtrare poteſt.

Sexta & poſtrema prouincia Bemba appellatur, in aliarum medio ac velut in totius regni corde ſita. In hac regum ſedes, idque in vrbe, quam modò Congum, olim Banzam nuncuparunt, quamuis à Sancto Saluatore nomen illi impoſuerint Luſitani. In ſeptimo hæc conſtituta gradu & quadrante, latitudinis Auſtralis, in altiſſima & duriſſima petra, duodequadraginta à mari leucis remota. Vrbs & omnis circumvicina regio, quæ quinque in latitudinem leucas patet, alium præter regem gubernatorem non agnoſcit; reliquæ verò prouinciæ alius præeſt, qui in vrbe Pemba prouinciæ cognomini ſedem habet, quæ ad montium vſtulatorum pedē ſita eſt; hanc flumen Onzon vel Onze alluit, quod è lacu Aquelunda naſcēs, cum bonā prouinciȩ partem pertranſijt, in mare tandem ſe exonerat. *Bemba Prouincia.*

Ceterum vrbs Congo, in qua rex commoratur, in montis ſita eſt vertice, in quo planicies quædam ad duas cum dimidia in circuitu leucas, id eſt, decem Italorum milliaria patet. Salubris hic eſt aer & temperatus, quamuis ſub Zona torrida conſtitutus. In hac planicie plurimæ ſunt domus, quamuis duo tantum ſint loca muro cincta, regis ſcilicet palatium, & locus quem Luſitani occuparunt. Eorum vterque quartam leucæ partem in circuitu patet, atque hic communiri muro cœpit ex eo primum tēpore, quo Luſitani Congum incolere cœperunt; prius enim hunc ædificandi modum non habebant, quamuis lapide ad conſtruendos muros aptiſſimo abundarent, ſed eiuſdē terrâ educendi inq; ædificia coaptandi non habebāt induſtriā, niſi poſtquā id Luſitani edocuere. Inter Regis palatium & Luſitanorum domiciliū, *Congo vrbs regia, eiusq; ſitus.*

ingens

ingens interiacet ſpatium,in cuius medio Metropolitana cernitur Baſilica cum ſuo cœmiterio. In reliqua montis planicie plurimæ ſunt,tum magnatum ac principum, tum etiam reliquorum ciuium domus,quæ decem facilè millium complebunt numerum. Non deſunt hic horti,viridaria,agri frumentarij, imo nec paſcua , & arbores fructiferæ. Locum hunc Reges Congi ſibi in habitationem delegere,partim quod in regni ſit veluti corde atque vmbilico conſtitutus,quò facilius , ſi quis motus inſurrexerit,ceteris regni partibus proſpicere ac conſulere poſſent; partim quod locus ſit natura munitus ac quodammodo inexpugnabilis. Nam nonniſi vnicus ad montis verticem,in quo ſita eſt vrbs,patet aditus,iſque difficilis admodum& impeditus, adeo vt aſcendere nemo,niſi ſummo labore queat,propulſari vero facile queant omnes. Ad montis radicemCelunda fluuius præterlabitur,circumcirca verò valles ſunt & fecundæ & excultæ , fructibus varijs& omnigeno frumento abundâtes. Quorum præcipuum eſt, quod ab incolis *Luco* dicitur,ſemini canabino non abſimile, niſi quod magnitudine ſuperet. Ex hoc panem conficiunt,qui ſapore & candore noſtrati non cedat : habent & milium candidum quod frumentum Congi vocant. Oryzæ,quam granũ de Mamputo, id eſt Luſitanicũ (quod forſitan à Luſitanis inuecta ſit) nuncupant , non adeo lætus prouentus eſt,ſed arborum feraciũ hic ingens copia & diuerſitas, ac præſertim citeorum,& malorum aurearum & Aſſyriarum,quarum fructus ſapidi & iucundi ; neque enim in acredinem,nec in dulcedinem vergunt. *Variæ palmæ.* Variæ hic palmæ : hoc enim nomine complectuntur & eas,quæ dactylos ferunt,vti noſtrates,& alias, quæ Indicis perſimiles ſunt : de quibus libro ſecundo dictum. Hæ illis,vti & ſuis Indicæ, oleum,vinum,acetum, fructus,

fructus, & panem subministrant. Oleum butyri & soliditate & colore persimile est, nisi quod paulo viridius; è fructus illius paratur nucleo, & butyri oleique vice fungitur, tum in cibis tum in lampadibus & vngendo. Vini ex hac arbore eliciendi hęc est ratio; arborē extremā perforant, & hinc liquor emanat, quē in lagenas admotas recipiunt. liquor hic initio lacti & colore & sapore est similis, sed tēporis lapsu paululū acescit, ac tū illis est vini loco, vt & inebriet: deinde interiectis aliquot diebus mirā acredinem induit, vt lactucę eodem, nō secus atq; aceto perfundantur. Quare dū recēs & musteum est bibere solent, idq; non ad voluptatē modò, sed etiam sanitatem, modò non excedant; nam præsentissimū aduersus lithiasin & dysuriā remedium est, ipsos etiam lapides in renibus cōminuens; nullus vt in vniuersa regione hisce sit morbis obnoxius. *Vinū palmæ lithiasi medetur.* Alteri item arbori, cuius fructum Colā dicunt, palmæ nomen indidêre, nostris pinorū malis, si maiora sint, ille similis; nucleus internè quadripartitus est, & castaneę in morem, & ipse rubricās. Fructus hic famē & appetitum excitat, noxijs enim humoribus stomachū purgat, & corroborat, hepati etiam conducit, & paruo paratur; abundat enim. Est hic & aliud palmarum siluestrium genus, quæ præterquā quod fructum habeant esui suauē, mattas ad domos tegendas, sportas parādas, aliosque vsus humanos pernecessarias suppeditant. Ex his enim & lectulorum stragula & pannos conficiunt, è quibus vestes elegantes & cōcinnas corpori parant. *Panis ē palmarū folijs.* Hunc in vsum sola folia subseruiūt, vtque plura habeant & subtiliora (quo filamēta tenuiora ducāt) quotannis ea expurgant, nec excrescere eadē sinūt. Folia hæc purgata atq; vt par est parata, eo filāt modo quo nostrates linū, indeq; filamentum tenue, quale sericū nostrum, educunt; è quo diuersa *Pannorū horū varietas.*

pannorum genera parant, aliquos holoserico nostro ab vtroque latere pares, diuersis & floribus & figuris variegatos; quin & alios qui damascenum nostrum vndulatum æmulatur; imo & speciē quandam serici subtilioris, quem, quod ceteris sit pretiosior, induere nemini præter regem, aut quibus hoc ille indulserit, fas est. Parant & alios hisce viliores, imo & in plebeculæ vsum densiores. Adeo vt hic quisque iuxta dignitatem & facultates suas vestem gerat. De vestium forma alius erit dicendi locus. Lusitani verè ster eas has ad tentoria & nauium vela adhibent, vento enim & pluuiæ sunt imperuiæ; quin & ijs vestire se abhinc annis aliquot cœpere. Verum vt ad plantas redeat sermo, est in Congo & aliud arborum genus, quas incolæ Ogeghas appellant; fructum illę ferunt prunis nostris similem, coloris subflaui & saporis suauissimi, atque in construēdis ædibus vsui sunt, idque hunc in modum. Ramos plurimos trunco præcisos terræ inserunt, iuxta se inuicem, vt se mutuo pene contingant; facile rami radices agunt, atque in arbusta crescunt, itaque sibi mutuo implectuntur, vt murum quodammodo constituant: atque hic illis est paries; adeo vt etiam parietes intermedios & locum vnum ab altero discernentes, prout domi voluerint, arbor hæc discriminet: ligna deinde leuiora superinijciunt, quæ primo stramentis cooperiunt, deinde storeis diuersicoloribus, quæ simul & tegumento & ornatui sint. Hæc est ædium Congensium parandarum ratio, quæ omnes vnius contignationis, & ligneæ. Lapide quamuis abundent, marmore, porphyrite, & iaspide, non vtuntur; quod, vti dictum est, eius vsum ignorent.

Ogegha arbor parandis domibus vtilis.

Ratio domorū cōstruēdarum apud Cōgianos.

Ceterum regio, quamuis Zonæ Torridæ subdita, non tanto, quanto credidere veteres, æstuat calo-

Tēperatura aeris.

calore. frigus tamen durius non habet, quam nostrates autumni tempore; adeo vt ignis ad calefaciendum aut vestium pellitarum, aliarumque rerum ad frigus propulsandum commodarũ nullus hic fit vsus. hyemis & æstatis exiguum nôrunt discrimen, nisi quod brumali tempore, aer, ob assiduos imbres, sit frigidiusculus; at vbi illi deciderint, calor tam hyemi quàm æstatis, duabus ante ac post meridiẽ horis, pene intolerabilis est. Perpetuum propemodum æquinoctium habent, id est, pares nox & dies habet horas, nisi fortè quadrantis aut circiter, discrimen statui possit. Hyems Congiana tunc incipit, dum Europæi vere gaudent, & sol signa Septentrionalia subit; hæc ab Aprili in Septembrem vsque extenditur; tunc quotidie aer aut pluuius aut nebulosus. Tanta porro imbriũ copia est, vt quãuis terra maxime arescat, (Tota enim æstate, quę à Septembri ad vsque Aprilem durat, non pluit) breui penitus madescat; atque inde tanta fluminibus aquarum copia accedit, vt latè per agros stagnantia exundent. Atque hæc inundationis Nili aliorumque Africæ fluuiorum est causa. Quæ Congianis mira aut noua non videtur; vident enim eam ante oculos, imbres, inquam, assiduos, qui quotannis certa anni tempestate decidunt. A'ijs verò populis, & præsertim AEgyptijs, qui pluuiam penitus ignorant, (numquam enim in AEgypto pluit) admirabile videtur & nouum, quod à Iunij fine ad vsque vigesimam Septembris diem aut circiter magna aquarum vis latè per omnem regionem stagnet, magno & fertilitatis & fecunditatis indicio. Sterilis alioquin ager nullum fructum proferret, cælitus non irrigatus; at inundatio hæc ita fertilem & vberem reddit, vt cum feracissima sit prouincia comparandus. Veteres porro

Æstas & hyēs qualis in Cōgo.

Inundationis Nili causa.

B 2 AEgyp-

tudine eſt ouis, pilo caret, ſed ſquamato eſt corio, eoque viridi. Multi Congenſium Dynaſtæ, interea dum idolorum cultui dediti eſſent, huiuſmodi domi animal magnis ſumptibus alebant: cruda namque victitat carne. ſed magnam quoque inde vtilitatem colligebāt. varia enim populus idolo donaria offerebat; atque ideo interdum conſpiciendum illi dabant. quidquid verò offerebatur in illorum commodum cedebat. ſerpentes adhæc & colubros immenſæ magnitudinis viuos etiam adorabant; quin & hircos, tigrides, bubones, aliaq; animalia feraia & viſu horrenda; quo enim eadem & tetriora & terribiliora, eo maiorem illis cultū deferendum putabant. Quin & vlterius eorum proceſſit veſania: cultum enim & honorem ſoli & vni Deo debitum, arboribus, herbis, aliiſque plantis inſenſibilibus, imo & lapidibus, lignis aliiſque rebus inanimatis deferebant, diuerſimodè ea formātes & figurantes, quibus aliquod ineſſe numen credebant. Ipſæ quoque mortuorum animalium exuuiæ ac pelles (quod longè veſanius) fœno & ſtramine infertæ, à miſellis & cæcis mortalibus vt numina colebantur. Ceremoniæ verò & ritus, quos in deorum cultu adhibebant, erant varij, omnes tamen ad hoc ſpectabant, vt idolis aut dæmoni in ijs latitanti aliquod obediētię ac ſubmiſſionis ſignum exhiberetur. Genu, vt plurimum, numini flectebant, faciem ſolo illidebant, vultum puluere opplebant, aliaque humiliationis ſubmiſſioniſque edebant argumenta, denique quidquid domi aut carum aut rarum erat, idolo offerebant. Perſuadebant popello ſacrificuli, magnam horum numinum eſſe potentiam, precibus ſupplicantium intendere, & omne quod habebant bonum, ijs largientibus deſcendere: quod ſi quis æger, inuocato aliquo numine, ſanitati eſſet reſtitutus, deorum id

Ceremonia quib. in deorū cultu vtebantur.

illorū ſacrificuli.



ope consilioque factum dicebant; si verò morbus ingrauesceret, numen iratum iactabant, ideoq; sacrificijs ac donarijs placandum. Hæc sunt, quæ de Congianorum religione sacroq; ritu scriptis tradita ad nos peruenerunt.

Eorum politia.

Politica eorum ratio hæc est. sunt qui tradant regem omnium quas subditi possident facultatum dominum esse ac proprietarium; nemo vt quidquā quod suum iure dicere queat, possideat, filijsque quidpiā sine Regis facultate, legare possit. Rex vero prout lubet de singulis disponit, dominia & possessiones sine vlla ratione aut causa, sed pro libito his aufert & his cōfert. Sed rarius hoc est, & non nisi ratio prægnans requirat: bis per hebdomadam ius petentibus intendit, nemini tamen nisi Principibus loquitur, ac illi velut interpretes disceptantibus regis voluntatem indicant. Lites quamprimum dirimuntur, scripto quippe non agunt, scribendi prorsus ignari. Actiones criminales etiam breui finiuntur; superius enim, quod appellent tribunal non habent rei; rarissimè morti adiudicantur malefici, sed vel in seruitutem abripiuntur, vel solum vertere coguntur. Satius enim & æquius putant, homines ad officium & delicti agnitionem, calamitate & ærumna doctrice, quam hic perpetiuntur, deducere, quam sine vlla facti pœnitentia è vita tollere. Si quando Lusitano cum Congensi lis est*, apud iudicem indigenam causam disceptat; si vero Congensis Lusitano actionem intētat, Lusitanicum tribunal adit, quod Regis permissu in regno Congo habēt; atque Iudex hic iuxta Lusitanicum ius litē dirimit. Nulla apud hos de rebus præteritis historia, quod scribendi ignari sint; dies, noctes, & alia itē tempora per horas non distinguunt, sed per lunationes. Si quid rerū præteritarū cōmemorent, aliā illius memoriam

Scribēdi scientiam nō callēt.

moriam non habent, quam illo & illo rege hoc cõtigisse. Varia apud illos instrumẽta musica, quibus in festis solent ad animi recreationẽ vti, quin & testudinis quoddã genus quãuis à nostrate penitus diuersum. Tibiarũ hic quoque est vsus, & ad illarum sonum pyrrychiam suã eleganter, ac nobiliores præsertim, saltãt. Cum gẽtili adhuc errore occæcati tenerẽtur, tot vxores habere fas erat, quot vellent aut alere possent; sed Christiana iam fide imbuti omnes, præter vnam, quam legitimè ducũt, repudiarunt. Aegri simplicia medicamenta, quorũ vsum natura edocuit, vsurpant: inter cetera arboris cuiusdam corticem, qui in puluerem cõminutus, & iusculo temperatus, tam leuem alui purgationẽ causatur, vt qui sumpsit, obire munia sua sine vllo impedimẽto, eodẽ die queat. Febres (quæ communis hic morbus, & hieme prẹsertim, pluuiarum tempore) ligno rubicundo, quod Sandalum vocant, curantur, quod comminutum, oleo palmeo, pari vtrimque copia, commiscent, atque hoc vnguine febrientis corpus à capite ad imos vsque pedes, perungunt, itaque sæpius sanitati restituũtur. Eadẽ quoque ratione morbo Gallico, qui frequẽs hic, medentur. Cephalalgiam vt pellãt tẽporum venas adaperiunt, & per cornua quædã minora, quæ aperto loco admouent, sanguinẽ exsugũt, donec omnis euanuerit dolor. Hanc item curandi methodũ in alijs corporis partibus, quæ male habent, vsurpant. Vulneribus herbas quasdã, vel succũ illarum applicant, & propediem curãtur. Casia fistularis, de qua aromatopolę sibi prospiciũt, hic abundat. Tamarindi quoque magna hic copia & Cedrorum, quæ passim hic obuiæ, ac præsertim in fluuij Lelundæ ripis; & plurimæ è cedro hic parari naues queant: incolæ nonnisi ad struendum ignem lignum hoc adhibent. Alia iam vestiendi

Musica instrumẽta.

Vxorum copia.

Morbis quomodo medeãtur.

Casia & Tamarindo abũdat Congus.

apud Congenses ratio quàm olim, prius quàm Lusitanorum huc naues appellerent, & Europæorum commercio excolerentur. Hęc enim regis & Principum vestis forma erat. Ab vmbilico infernè tenuissima tela, quæ è palmarum folijs, vti diximus, parabatur, tegebantur, pectus pelliculis subtilioribus, vel catulorum tigrinorum, vel ciuettarum, aut aliorum etiam animalium, pili mollioris, cōmuniebant. Vt verò decentius & venustius hoc schema foret, in humeros capita horū animalium adaptabant; deinde pallio è filamentis quibusdam tenuioribus, retis instar cancellatim contexto, sed laxo cooperiebantur, quod ad vsq; genua defluebat. habebat hoc circumsecùs infernè fimbrias ex eadem materia, sed floccidas & diuersicolores ac variegatas: pallium in humerum dextrum cōuolutum reijcere moris erat, quo manus foret liberior, atque hinc cauda Zebrina, ad instar equinæ, depēdebat: sunt tamen qui hoc proprium regis ornamentum fuisse velint. Caput pileus cooperiebat puniceus aut flauus, qui in summitate quadrangularis, sed angustus adeo ac strictus, vix vt capitis tegeret verticem. Potior nobilium pars nudipedes incedebant; Rex verò & Principes digniores cothurnati, quales veterum Romanorum statuæ.

Regis & Principū vestiendi ratio vetus.

Populi vestis.

Plebeij à pube ad mediam tibiam dūtaxat, palmatis se storeis tegebant, ijsque vilioribus, quā Principum. Feminę olim triplici veste vel toga vtebātur, quæ pubi adhærebant; & alterâ erat longior altera. inferior ad talos vsque demittebatur, secūda genua tangebat, superior ad genua non pertingebat; suo erat vnaquæque cingulo corpori adstricta, infernè fimbriarum more flocci dependebant. Pectus velo tenui cooperiebatur, & humeri palliolo breuiori; & singula è palmarum erant contexta folijs. Vitta redimibat caput vel pileo, qualis

qualis virorum. Is erat feminarum nobiliũ vestitus. Plebeiæ eodem vestiebantur ritu, sed panno non adeo subtili: pauperculæ ab vmbilico ad mediam vsque tibiam tantum se cooperiebant, & panno secundario & spissiori. Hæc igitur veterũ Congianorum tam virorum quàm feminarum vestiendi fuit ratio: modò verò rex & Magnates Lusitanico ritu vestiuntur, pallia serica vel purpurea parant, vel ex optimo qui ex Europa deuehatur panno. Calceos vel sandalia gestant, è corio vel serico aliave materia confecta; ad latus gladios ferunt latiores, at breuiores. Plebeij veterem vestis formam non exuerunt, vti nec mulieres; sed ditiores & nobiliores, Lusitanas mulieres in vestitu æmulantur, præterquam quod velo caput nõ obnubant, foras dum prodeunt, vti in Lusitania moris est; quin & pileolos capite gestant, vittarum instar, auro & gemmis graues. Aliæ quoque aureos collo gestant torques infiniti pretij. Christiani igitur barbaros luxum vestium edocuere, sed modestiam Christianã oportuit. Rex quoq; splendorem & magnificentiam regis Lusitaniæ quam proximè æmulatur tam in vestibus quàm in mẽsa & vniuersa familia. Publico in theatro, quod tapes tegit Indicus, coram omnibus cibum sumit, solio insidet lapidibus pretiosis auro insertis locupletato, scabellum heteromallo serico puniceo conuestitur. Comedens mensæ accumbit solus, magnates nudo astant capite; vasa aurea & argentea mensæ regiæ inferuntur, suos quoque habet carptores & prægustatores priusquam degustet. Anzicani vt plurimum circa palatium armati versantur, eumq; dum cum suis foras prodit, stipant; quin & Lusitani, quos hunc in vsum in aula paratos habet, eumque quocumque se contulerit, comitantur; plurimum namque his fidit, & pluris

Noua Regũ & aliorum vestis.

Christiani barbaros vestium vanitatẽ docuere.

 illos

illos ex quo cum ijs amicitiam contraxit, facit, quam omnes suos. At videndum iam restat quomodo in Congum Lusitani venerint, quidve ibidem gesserint.

CAPVT II.

Quomodo Congum Lusitani detexerint, Regemque simul & filium illius natu maiorem, necnon plurimos Principes ad fidem perduxerint.

ANNO salutis humanæ MCCCCLXXXIV. Ioannes eius nominis secundus Lusitaniæ rex, omnem AEthiopiæ oram, quam Oceanus alluit occiduus, detegere per suos cum decreuisset, num quis ab Atlantico in Eoum Oceanum vel mari vel terra transitus foret; aliquot naues nobilissimo & impigerrimo viro, Iacobo Cano equiti aurato tradidit. Hic cum D. Catharinæ promontorium prætervectus esset, ad ostium ingentis fluminis (Zairi scilicet, cuius supra mentio facta est) quod octo leucas in latitudinem patebat, peruenit; quare aquarum natura perspecta, vtramque fluminis ripam habitari verisimili coniectura credebat; ideoque vlterius progredi statuit. Secundo igitur æstu delatus longius, & aduerso flumine subuectus, errantes passim greges vtriusque sexus videt, alio colore vibratoque capillo, vt ceteros quos antea vidisse contigerat AEthiopes, sed labijs minoribus; ipsa quoque vultus lineamenta formaque non tam tetra ac deformis, quam Guineæ superioris incolarum; quæ regio cis Congum est, à nono latitudinis Septemtrionalis gradu, ad vsque secundum Australis. Hoc enim nomine regionem hanc modo Lusitani indigetant, vt à regnis Congo & Angola decernant, quam Guineam inferiorem dicunt. Barbari ita-

Iac. Canus eques

Zairi detegit.

Guinea superior & inferior.

itaque nouo candidorum hominum suas in terras aduentu perculsi(insolens enim videbatur) simul & recreati, sese aduenis tanta securitate credebant, vt eorum quoque nauigia sine vllo metu vel suspicione inuisendi gratia, leuibus dumtaxat munusculis & benigno vultu inuitati, conscenderent. Veteres amicos vel consanguineos Lusitanorum diceres, si communio linguæ intercessisset. sed vtrimq; nutibus agendum fuit. Quamuis enim varios Canus secum duxisset interpretes, qui plures Africæ linguas callerent, tamen è tanto numero iuuentus est nemo, qui gentis idioma teneret. quamobrem è signis ac gestibus illorum mentem ac sensa colligere oportuit: quibus haud ægre cognitum est, præpotentem regem, qui longè lateque dominium exerceat, cuique cuncti pareant, plurium dierum itinere introrsum abesse. Quo audito Canus aliquot è suorū numero ad Regē vt dirigāt rogat; quod haud difficulter obtinuit, munusculis eorū sibi fauorem concilians. Quare quatuor Lusitanos intrepidos & audaces ad Regē cum muneribus destinat, quibus vt ad præscriptum tēpus redirent, mores quoque incolarū & loci naturā notarent, imperauit. At quod vltra terminum moram traherent, & æquo diuturniorē, anchoras sustulit, secumq; quatuor Congianos, qui naues exploraturi venerant, quos ceteris præstantioris iudicabat indolis, in Lusitaniam asportat; persancte pollicitus, quintadecima leuca (qua temporum ibi momenta obseruātur) sese illos Dei gratia, incolumes patrio redditurum solo. Inter nauigandum ij quotidiano Lusitanorum contubernio, Lusitanici sermonis consuetudinem nacti sunt, adeo vt ad Lusitaniæ regem deducti, de Congi regno (sic enim appellari deniq; patuit) deq; eius opibus, ritib. religione cūcta ex fide atq; ordine retulerunt.

Canus suos ad regē Congo destinat.

Quatuor Cōgianos in Lusitaniam deuehit.

Eorum

Rex illorũ aduentu lætatus.

Eorum aduentu Ioannes rex mirificè recreatus, & omnes Lusitaniæ Principes, alienigenas de varijs incognitisque rebus loquentes audituri, ad regiã vndique confluxerant. Rex collaudata Cani prudentia, nouos iubet hospites inprimis benignè & copiosè tractari; cumque ex ijs multa per otium, quæ de Congo pernosse volebat quæsijsset, veritus ne longior mora Lusitanis obsidibus aliquid afferret detrimenti, Cano mandat, quamprimum vt Congum repetat, & AEthiopas quamoptimè rursum acceptos in patriam reportet, atque in itinere omnia illis beneuolentiæ signa exhibeat, suosque recipiat: tum vbi vlteriora AEthiopiæ lustrarit, in reditu ad Congi regem adeat ipse, eumque (vbi in familiaritatem illius se insinuarit) ad veri Dei, rerum omnium conditoris & opificis, cognitionem ac fidem Christianam, quæ sola vera, perducat. Nec mora, tempestatem idoneam nactus Canus, mare conscendit, cumque suis obsidibus in Congum nauigat: tandem post multas maris difficultates ac discrimina, rectà in flumen incidit, iuxta quod quatuor illos Cógianos repererat: vnũ in regiã destinat regem qui obsecraret, Lusitanos, qui in regno versabantur ad suos vt remitteret; simul promittens hos qui supererant incolas, nauibus detentos, se quam primum suis restituturum. Habere se quoque in mandatis regem coram alloqui, atque vbi negotia nonnulla expedijsset, se quamprimum ad regem aduolaturum, & regis Ioannis mandata expositurum. Nuntius hic vt in regiam peruenit, sine mora, quę in mandatis habebat, iussus est aperire. audita enim Cani postulatione, quatuor quos habebat obsides, duce quodam Congiano, ad Lusitanum remisit, quos ille cũ Congianis bona fide permutat, Regiq; quæ è Lusitania aduenerat donaria destinat. Tantæ porro munera

In Congũ reducuntur.

hæc

hæc,& quæ de Ioannis Regis virtute magnificentiaque referebant obsides, quem miris in cœlum extollebant laudibus, fuere efficaciæ, vt Regē Lusitaniæ quamuis absentem & ignotum incredibili ex eo sit tempore beneuolentia prosecutus. Canus interim, ne temporibus excluderetur, continuato in præsentia cursu, leucas vltra regnum & flumen Zairum ducentas prouehitur. Inde Congum reuectus, mira gentis gratulatione ad regem ipse cū amplis muneribus, & egregio comitatu contēdit. Exinde pedetentim Canus, quemadmodū in mandatis habebat, ex occasione sermonem de rebus diuinis inferre, ac regem exhortari, vt, cū occasio sese offerret, spretis inanibus idolis, vnum Deum cœli terræque vniuersæ conditorem agnosceret. Atque hoc loco vel maximè patuit ad conuertēdos animos, quanto plus in perfecta ac sincera charitate quàm in fucato verborum apparatu, & sermonibus inanem colorem præferentibus, aures dumtaxat & non corda ferientibus, sit momenti. Militaris homo erat Canus, & ferro potius quàm litteris assuetus, nihilominus prudentia sua singulari ac pietate plus apud regem profecit, quò eū ad Iesu Christi fidē perduceret, quā forsan sublimis aliquis & eloquentissimus Theologus. Rex igitur tum officijs quæ Canus præstabat, tū verbis illius, quibus summopere afficiebatur captus, ac prœsertim diuino incitatus Spiritu, sine quo nihil aut cogitare aut agere boni aut animę salutare homo potest, tāto cognoscendorū vlterius fidei nostræ mysteriorū desiderio exarsit, vt aures ad Canū semper sitientes afferret, atque ipsemet vltro multa de religione quotidie percunctaretur. Magnam igitur de eadem tandem opinionem concepit, simul & ardentissimum illius amplectendæ desiderium: quinimo in eundē animi sensum, familiares quoque

Quid de Rege Ioāne Congiani regi suo referrent.

Rex Cōgi Christianus esse vult.

que suos & regni proceres aperte monendo hortandoque pertrahere satagebat. Regi sanctè moneti hi gnauiter auscultabant, præsertim cùm internus auræ cœlestis afflatus accederet, qui cęcas Aethiopum mentes ad rectum salutis iter occultis motibus prouehebat. Iamque agro ad Euangelij semẽtem accipiendam subacto, Cani reuersionis tẽpus instabat. Quem rex, tametsi aduocatum sibi in Lusitania videbat fore, sperabatq; breui illũ aut alium quendam in Congum rediturum, pro instituta consuetudine, & singulari quo eum prosequebatur affectu, perinuitus dimisit; deditq; proficiscenti comites pueros nobiles, præfecto Zacuta, vno eorum qui nuperrimè in Lusitaniã profecti fuerant; cui etiam atque etiam mãdat, primum vti suo nomine Ioanni regi, pro immortalibus eius in se beneficijs gratias agat ingentes, deinde ab eodem quam enixissimè petat, ipsum oratorem & pueros cœlesti lauacro expiatos, & Christianis præceptionibus probè institutos, cum pijs aliquot summi Dei sacerdotibus Congum remittere ne grauaretur: vehementer & inprimis optare se, cum liberis & propinquis, & regno si fieri posset, vniuerso, Christiana sacra suscipere. Legationi addit munera, Regi Ioann. deferenda, tum vt muneribus prius ab eodem acceptis reciproco donario responderet, tum vt suum in illum affectum quamque inire amicitiã vellet, patefaceret; missa igitur magna eboris vis, & permulta vestis (nam hæc tum AEthiopum gaza erat, nihilque ijsdem habebatur pretiosius) è palmarum folijs admodum scite atque eleganter contexta. Redit in Lusitaniam Canus; & Zacutam cum pueris in Regiam perducit; & quod à rege in mandatis habebant, simul omnes exposuere. Ioannes vt erat

Legatos ad regem Lusitaniæ cum muneribus destinat.

egre-

egregiè pius, ea legatione gaudio maximè est cumulatus, cum tantam hic Euangelio portam pandi cerneret. Zacutam igitur & pueros hosce nobiles Christianis iubet præceptis institui, quantum ad baptismum suscipiendum videbatur necessarium; quare simulatque maturum visum est, festo ornatu & solenni pompa Ioannes & Eleonora vxor Zacutam, pueros alios alij principes viri, vetere Ecclesiæ instituto, lustralibus aquis gratulabundi admouere: & Zacutæ quidem Ioannis; ceteris vero sponsoris cuique sui nomen impositum. Baptismo peracto, confestim idoneis traditi præceptoribus, vt fidei nostræ mysterijs perfectius imbuerentur, & Christianis moribus assuescerent. Totum hic biennium impensum, quo simul etiam Lusitaniæ linguæ vsum habuere.

Zacuta & pueri nobiles Cógiani in Lusitania baptizantur.

Plenam itaque cum omnium fidei Christianæ mysteriorum cognitionem habere eos doctores iudicassent, tres instrui Ioannes naues iussit, quas Gonsaluo Sosæ, illustri familia nato concredidit; hunc suum in Congum legatum esse voluit, eique amplissima & regalia (Sacrorum hæc apparatus erat magnificus) dedit munera, quæ Regi deferret: neque neophytos modò ad suos remisit, verum etiam è sanctissima Dominicana familia viros tres probatæ virtutis ac doctrinæ delegit, vt Regem simul & subditos omnes sacra fidei nostræ mysteria edocerent, & sacro baptismate tingerent, simulque & alia Sacramenta, quorum administrandorum facultatem nacti erant, conferrent. Grassabatur ea tempestate vehementer Olissipone pestis, quæ naues etiam contagione infecit, adeo vt etiam Gonsaluum Sosam in medio itinere absum-

Legatos mittit rex Lusitaniæ ad Congi regem.

absumpserit, cui omnium suffragio ac voluntate Rodericus fratris filius sufficitur. Portum feliciter naues tenuere. magna interim apud AEthiopas erat exspectatio nouæ religionis, & cùm ceteri fermè summi atque infimi Christianorum aduẽtum valde expetebant, tum vero auidissimè regis socer, vel, vt alij sentiunt, patruus, qui Sognẽsibus Congi partibus imperabat. Is vt primũ naues ad littus applicitas audiuit, obuiam processit ingenti stipatus AEthiopum frequentia, qui magno cymbalorũ ac tibiarum strepitu, (quibus in festis publicis perstrepere solent) occurrerunt, vix præ gaudio sui compotes, & Zacutam puerosq; simul & Lusitanos, qui ad regem tendere debebãt, mox vt naui descenderant, magno animi gaudio excepere. Inprimis verò regis patruus, vir prudentia laudabilis & senio venerabilis, incredibili se affectum lætitia indicabat, cum se iam iam per fidẽ & baptismi aquas renasciturũ præsagiret, quod summoperè desiderabat. Quoniam verò exacta iam ætate erat, ne oblatam sibi diuinitus occasionem frustrà labi sineret, baptizari se statim voluit, vnà cum altero è filijs paruulo, quippe qui per ætatẽ sibi consulere nondum posset: alterum iam adultũ, quamquam eodem studio vehementer incẽsum, & obsecrantem etiam atque etiã, ne se cælestis illius beneficij expertem vellet, honoris tamen & obseruantiæ causa, Regi, Regisque liberis in tanto mysterio anteuertere non est passus. Temporario igitur tẽplo è frondibus ac ramalibus raptim excitato, aræ tres Christiano more adornantur, ac sacris rite perfectis à Patribus Dominicanis, primus deinde ex omni memoria, quod equidem sciã, baptismus ille in ijs terris incredibili omnium, tum incolarum tum Lusitanorum lætitia celebratus est anno post Christum natum MCCCCXCI.

Regis patruus vel socer baptismũ suscipit cũ filio minore.

& dicto

& dicto gubernatori illius prouinciæ collatus. Patrem nouo nomine Emanuelem vocari placuit, quod sciret regem Lusitaniæ cognatum esse, virtutibus eximium eodem qui nomine diceretur, filio verò Antonij nomen imponi. Magno zelo fidem Christianam Princeps hic arripuit, vt tum è vultu, tum ex omnibus actionibus colligeretur, intellectum nouo quodam lumine cœlitus illustratum, & voluntatem erga Dei cultum mirificè affectam esse: nec satis ei fuit, tanti se boni factum esse participem, sed etiam aduocata concione ipsemet è superioriore loco in simulacra & nefarios ritus, quibus ad eam diem deditus fuerat, adeò acerbè inuectus, & præteriti temporis errata & flagitia tam grauiter ac dolenter est detestatus, vt animo planè immutatum ac Deo plenum, ac præteritorum pœnitentem haud dubiè demonstraret. Ijs rebus cognitis maiorem in modum lætatus est Congi rex; præter gratulationem ad patrui ditionem ac fines munificè adiecit agri, quod leucas in longum triginta, in latum decem pateret. Quò tanto de se regis iudicio magis magisque animatus Emanuel, ad superiora Christiani animi documenta non minus præclarum adiunxit aliud: siquidem graui edicto conquisita vnum in locum vndiq; idola gaudens, quamquam multis id ægrè ferentibus, & in cumulum congesta, publicè concremauit. Præterea Christi sacerdotes, quamdiu ibi subsistere, tamquam è cœlo delapsos, omni officio prosequi & caritate complecti; de fidei mysterijs, deque varijs virtutum generibus assiduè percunctari; Deum verò suppliciter obsecrare, vt quando multo maximam vitæ partem in cacodæmonis famulatu posuisset miser, quantumcumque superaret temporis, totum id in Christi Domini

Eius zelus & feruor.

Idola destruit plurima.

cultu & in vera pietate impendere sibi liceret; prout fides, qua imbutus erat, edocebat. Iam rei diuinę quanto cum silentio, reuerentiane, vel tremore potius ac metu interesset, ex eo patuit, quod alios eadem pietate volebat sacris intendere. Quodam namque die sacrum cum audiret, honorarij ephebi, Principum filij, ad templi ianuam strepitum edebant; quod cum is indignũ & nefarium crimen iudicaret, augustissimum sacrificium, in quo Dei filius pro hominum salute immolatur, ita negligi, mactari illico imperauit. Itaque dubio procul adolescentes leuis & quotidianæ apud nos, (quod pudeat) noxę, pœnas capite ipso luissent; ni ætatem ac genus miserati, ac diuinæ insuper clementiæ memores Lusitani, vehementius obstitissent; edocentes, Deum quamuis alioquin iustissimum, tamen etiam clementissimum, in delicta nostra nõ eo ac debet animaduertere supplicio, ac velle, homines in eo se vt sequerentur.

Magna animi pietate sacro interest.

Interim ab Congi rege adsunt nunti, legatum orantes ne aduentum vltra differret, regem in vrbe regia patrui baptismo & conuersatione lætissimum, festos agitare dies: nihilque illi esse lõgius, quam vt, elutis toto animo sordibus ad filiorum Dei cœtũ vnà cum ceteris aggregetur. Hoc nuntio accepto, moræ nihil interponendũ est visum. nauibus modico relicto præsidio, Sosa comitesq; se in viã dedêre. Quibus in digressu, pręter ceteram benignitatem, ducentos etiam stipatores Sognensis præfectus Emmanuel tribuit; itemq; ad onera subeunda, vim hominũ numerosam, magna animi alacritate quis potissimũ sacrã supellectilẽ baiularet, inter se certantiũ. Vbi ad mediũ fermè iter ventum est, præfectus regius vnus ac postmodum & alter, officij causa Lusitanis occurrit, qui

Legatũ ad se Congi rex accersit.

Regis

Regis nomine illos exciperent,magna procerum caterua subsequẽte,quę varia amoris signa edebat seseq; illorũ aduentu non mediocriter recreatam ostendebat. Advrbẽ vero appropinquãtibus oppidani tripartitò agmine obuiam prodiere,de more gentis armati, Lusitaniæ laudes & præclara in se beneficia carmine cõcinentes:ita structis ordinib. &eiusmodi gradu ac symphoniæ genere,vt suppli cantium apud no. pompę speciẽ quandã exhiberent. Modos in bant pauci,tum ceteri subsequebãtur,ac subinde vniuersi plenissimo sonitu,elatis in spatia certa vocibus æthera ferebãt. Hi Lusitanos ingenti gaudio in mediũ acceptos eodẽ ordine ad regiã vsque perducunt, tanto populi concursu ac turba ita cõferta, vt Lusitanis aditus ad regem vix atq; ægrè patuerit. Is in edito suggestu,vt ex omni parte conspici posset,eburneæ sellæ insidebat,mitratus infula è palmæ folijs opere subtili & elegãti perfecta: à capite ad pubẽ nudus, cetera, ad pedes vsq; vestis bõbycina contegebat; læuum brachiũ armilla ex orichalco adornabat, Zebrina vel equina cauda depẽdebat ex humero. Sosa legatus ad regẽ deductus,magnũ illi prout par erat,honorẽ exhibuit,rex quoq; pro gentis modo honorificè quoq; illũ excepit. Salutatione peracta,expositisq; regis sui mandatis quã paucissimis verbis,rex verbis & signis quàm gratissimis Ioãni Lusitanię Regi immensas ob tanta ab eodem recepta beneficia gratias egit. Sosa mox à Rege inuitatus, illico per adstantes sacerdotes,dono,vestem pretiosam,tabulas pictas,calices,aliaq; vasa aurea & argentea,& omne Christiani ritus instrumentũ,quę Lusitaniæ rex dono miserat, in conspectu totius populi,proferri iubet: tum rex perattentè singula contemplari, quem quæque in vsum quidque significent, curiosius quærere. Erat in ijs præ-

Regis Cõgi magnificentia.

fulgidum Crucis vexillum, quod solenni precatione consecratum Innocentius VIII. Pontifex maximus Lusitano Regi ex vrbe Roma transmiserat. Et quoniam eo explicando Sosa cum suis in genua venerabundus procubuit, Redemptionis nostræ signum suppliciter adoraturus, rex quoque & vniuersa quæ adstabat multitudo in terra se prostrauit: namque inter illam sacrorum expositionem AEthiopes adeo intentis oculis gestus motusque sacerdotum & Lusitanorum obseruabant, vt eodem penè quo Lusitani momento capita submitterent, iungerent palmas, genua flecterent. Ab eo spectaculo Sosa cum suis in hospitia benignè diuisi, in quibus more gentis quam lautissimè excepti fuere. tum de regis ac reginę baptismate sedulo agi cœptum. Id quo maiore apparatu ac cæremonia fieret, templum Christiano more prius ædificari placuit. Miserat quippe Ioannes Rex architectos cum fabris, ad templa vero Deo in illis regionibus exstruenda. Opus erat sanè difficile tum ob alias causas, tum quod lapides & cæmenta longè admodum petenda forent: ardor tamen & zelus, quo opus hoc rex prosequebatur, tantus fuit, vt breui comportatis vndique necessarijs, vrgente atque instante imprimis rege, & multis structoribus in opus adhibitis, res cœpta sit. Crucis titulo Deo dicanda erat ædes: quare lapis primus est V. nonas Maias positus, quo die Ecclesia salutaris ligni inuētionem anniuersaria gratulatione concelebrat,

Templū lapideū in Congo exstructum.

Motus in Congo.

Dum hæc maximè fiunt, ecce tibi à finibus regni trepidi nuntij, populum quemdam in extremo regno constitutum iugum excutere, regi bellum mouere, & terminis suis egressum omnia euertere, vastare agros, tecta inflammare, hominum

minum ac pecudum prædas abigere, omniaque obuia aut diripere aut pessundare. Lacus in interiore AEthiopia est ingens, pelagi instar, prorsus vt leucas centum in longitudinem patere dicatur: ex hoc nobilissimi totius Africæ amnes, vt dictum est, originem trahunt, præsertim Nilus, Zairus, aliíque. Hoc in lacu aliquot visuntur insulæ; & ex ijs quædam tantæ magnitudinis atque frequentię, vt triginta hominum millia in bellum cogant. Sed præcipua celebritate populi Mundequeti sunt, qui per eos forte dies, prius domiti, ab Congi rege defecerant, magnaque manu incursiones in regni limites faciebant. Aduersus id malum, quoniam & celeritate, & ipsius regis præsentia opus erat, proficisci ipse decreuit, audacem illorum petulantiam compressurus. At prius, quàm ad expeditionem se accingeret, animæ saluti consulere Baptismi decreuit sacramento, cuius ipse simul & regina; & aliquot regni proceres facti sunt participes. Quamobrem ad indicandum in Lusitaniæ reges grati animi obsequium, ille Ioannis, hæc Eleonoræ (hoc siquidem Reginæ Lusitaniæ nomen) sibi nomen desumpsit. Duo Regi erant filij, natu maior, qui ad omnem virtutem ac pietatem propensus erat, ad regni fines tutandos à patre præproperè missus; iunior alter, Pausus Aquitimus, nimirum vt esset, qui pios postmodum malorum quæ infligeret, tolerantia exerceret, à nefaria superstitione, & auitis moribus nullo pacto se abduci est passus. Baptismo itaque peracto, & raptim coacto exercitu, rex, admistis Lusitanis aliquot inter AEthiopes, in hostes tendit. Sosa, cum sciret victorias in Dei manu sitas esse, easque diuinum numen & opem inuocantibus dari solere, abeunti regi vexillum crucis de manu porrexit;

Lacus qui centum in longum leucas patet.

Rex cum Regina baptismũ recipit.

Rex ad bellum se accingit.

hortatus pergeret in dimicationem alacer; figni eius, aut Dei qui nostri redimendi causa in eodem affixus pependit beneficio (tantum fiducia ne deesset) hostibus vtique superiorem futurum. Nec vana fuere promissa. hac enim spe nixus Ioannes rex, Iesu Christi nomine inuocato, & cruce prælata, vt à Sosa edoctus fuerat, fusis fugatisque primo certamine rebellibus, opinato celerius belli finem vidit. Victor igitur ad patriam rediit nulla suorum clade accepta. ouantem natu maior filius secutus est; qui cum Christianæ doctrinæ diligentem inprimis operam dedisset, perducto iam ad fastigium templo, summa populi celebritate ac gaudio baptismo lustratus est, Alphonsumque appellari se voluit, quo nomine Lusitaniæ regis filiũ vocari didicerat. Ac ne quid ad lætitiam deesset, baptizati cum ea insignes viri permulti, simul ex plebe infiniti, qui velut ceruus siti enectus ad fontes aquarum, ad sacras baptismatis aquas properarũt anhelantes. Alphonsus salutaribus hisce aquis tinctus, profectus in Isundos, vel Sandos (quos Sundi prouinciæ, de qua iam supra actum est, incolas crediderim,) quibus iam tũ ex parentis auctoritate imperabat, Apostolico apud eos munere ipsemet fungi cœpit, ac veritatis lucẽ admirabili studio omnibus impertire. adeo namque profundè in fidei mysteria penetrarat, vt iam nuperrimè nonnisi discipulus, breui doctor & præceptor factus sit. Hoc tanto Christianæ rei incremento admodum lætus Sosa, quam potuit citissimè in Lusitaniam proficisci statuit, regem tanti prosperi successus certiorem redditurus, sacerdotibus ac Religiosis quos secum duxerat, in Congo, ad nouellas illas plantulas sanctæ doctrinæ aquis irrigandas, & virtutum omnium incrementum addendum

Dei ope rebelles domat.

dum, aliosque ad fidem paulatim excitandos, relictis. At quidnam deinde aduenerit, indagemus.

CAPVT III.

Ioanni I. Congi regi filius natu maior Alphonsus successit, qui non sine miraculo aduersus fratrem natu iuniorem obtenta victoria, quinquaginta annorum spatio summa quiete regno gaudet; & quanam in illum beneficia Lusitaniæ rex contulerit.

NOn ferebat salutis nostræ felicitatisq; inimicus diabolus, tam feliciter Christianæ apud Cōgianos religionis iactæ fundaméta, & frēdebat IesuChristi Euangelium quotidie magis ac magis in illis regionibus, quas duro seruitutis iuro ac tyrannicis cōpedibus constrictas premebat, pullulascere: impedire itaque totis conatus est viribus, & cursui tam prospero remoram si quam posset, inijcere. Percommodum ad hanc instrumentum videbatur minor natu filius Regis, Pansus Aquitimus, qui quamuis ingentem, quo pater ac mater, simul & frater, alijque regni proceres, sanctam ac Christianam fidem receperant, ardorem coram esset contemplatus; cùm in vitia ac lasciuiam quàm virtutem pietatemque esset pronior, tantum abfuit, eorum vt vestigia insisteret, immortali vt aduersus eandem odio exarserit; eam potissimum ob causam, quod illicitis illa voluptatibus, atque inprimis vxorum copiæ viam obstrueret, hinc aduersus eandem debacchari, graue & intolerabile illius iugum culpare, & regni totius pestem atque exitiū iactare; quod regio imposterum deserta foret & incolis destitu-

Pansus Aquitimus regis filius iunior fidei hostis.

destituta. Indignum item & probrosum Congianis fore, maiorum religionem ac sacra negligere, nouam econtra, peregrinam & patrijs ritibus ac legibus adeo repugnantem amplecti. Breui vt complectar, omnem ille nouitatem, quæ sensim locum occupabat, detestari, atque expostulare palam, quod idola euerterentur, fana solo æquarentur, & omnis idolorum cultus ac sacra paulatim proscriberentur, sacerdotum & auspicum consulta auspiciaque (nihil enim barbari, nisi auspicato aggredi solent,) pessum irent. Gratis hæc non è populo solum, sed & à magnatibus nonnullis auribus edcipiebantur, quin & ab ijs qui sacra baptismatis vnda tincti erant. Etenim quamdiu de Ecclesiasticis cæremonijs, & de mysterijs rectæ in Deum fidei est actum, ea tametsi hominis captum infinitis partibus superant; tamen quia Deo digna & rationi consentanea videbantur, haud ita repugnabatur ab ethnicis. At vbi moralia tractari, & de iustitia, temperantia, submissione præcipi est cœptum, & abijcienda auguria, malè parta reddenda, condonandas iniurias, aspernandas libidines, frangendas cupiditates, vniusque vxoris contubernium, denique vbi de Christianæ & diuinæ legis institutis, tum quasi ventilabro ad trituram adhibito, boni viri illico secerni ab improbis, & frumentum cœpit à palea. alteri enim vel amore virtutis capti, vel pœnæ metu perterriti, iter, quod doctores præscribebant, quodque rectà ad salutem & æternam beatitudinem animas perducit, insistere, à vitijs recedere, iustitiamque & omnes Christianas virtutes consectari, duces & rectores animorum suorum honore & beneuolentia prosequi, alteri verò, terræ spinis obsitæ, cuius Euangelium me-

Plures sibi allegit socios.

meminit, persimiles, diuinam sementem animorum sinu recipere renuentes (tanta scilicet praua consuetudinis est efficacia) velut canes ad vomitum, adritus nefarios & pristinas turpitudines, ingluuiem, libidinem, auguria similesque ineptias, quæ in Gentibus obuiæ esse solent, miserandum in modum reuolui, & odisse lucem, magistros auersari, & à piorum consuetudine longè refugere. Nec vulgo tantum serpebat vitium; notissimus ac ditissimus quisque arduum putabat virtutis iter; rex demum ipse, qui tantum initio ardorem ac firmitatem animi præ se tulisset, & diuinorum se mandatorum obseruationi penitus mancipare decreuisset, in illorum obseruatione paulatim adeo elanguit, delicijs & peccati illecebris pellacibus illectus, vix vt in eo roboris Christiani, pietatis & erga fidem Christianam affectus quidquam agnosceres. Occursabant scilicet eius animo pristina oblectamenta, ludi, compotationes, quibus iter diuinorum præceptorum integritas occludit, quæque omnem impuritatem proscribit; ideoque (vrgente præsertim dæmone eo vehemētius, quo ad vomitum ille videbatur procliuior) sensim de statu suo deiecta mens ita obduruit, vt cùm internas religionis & officij recordationes obstinatè repudiaret, tum salutaria sacerdotum ac pastorum hortamenta ac monita, non modò non ad animum, sed iam ne ad aures quidem admitteret. Nullum porro ad defectionē telum sensit acrius, quam muliebres illecebras; nullum quippe Satan habet ad gratiam quam Deus Christianorum animis infudit destruendam, hisce grauius ac virulentius. Pellices enim illius ex inuectis nuper sanctionibus pelli aut ablegari se quotidie, & à pristina qua pollebant aucto-

Rex in diuinis languescit.

Idque muliérũ instigatione

ritate degradari cum cernerent, vt est iracundiæ impotens sexus, & furorem nescit cohibere, damnum & ignominiam non tulere: cœtibus clãculè habitis, per se perq; communes amicos cum rege vehementer agere insistunt, quæ sibi irrogaretur iniuria, quæ damna exponere, ab eodem enixissimè contendentes, aduentitias religiones durũque & horridum vitæ genus abijciat, præsentibus bonis & copia rerũ quoad licet fruatur; nõ incertã spem futurę felicitatis tanto pretio, tantaq; commodum & voluptatũ iactura sibi emendã existimet. Hæc & alia eiusmodi blandimenta cùm neq; rex inuitus acciperet, & eadẽ tabe infecti permulti, ac præsertim regis filius Pansus Aquitimus adiuuaret, breui maximũ in discrimen adducta Christiana tota res est, vt incremẽtum illius vix vllum speraretur, & quod accreuerat exstinctum iri videretur. Obstabant sceleratis conatibus fideles ac boni, vt numero inferiores, ac proinde auctoritate & potentia destituti, ita diuino præsidio & causa longè superiores. Egregiũ verò se pietatis vindicẽ & assertorem præbebat Alphonsus regis filius natu maior, fidemq; quam in baptismo receperat, haud segniter & strenue tuebatur; patrisque miseratus insaniam, quod sensus voluptates sequendo consilijs persuasionibusq; illorũ acquiesceret, quos impios & sceleratos sciebat; dictis factisq; neophytos, sine vlla in regno turba seditioneq; in fide atque in officio continebat. Ad eum tollendũ obicem, ne quis foret qui improbis illorũ conatibus in posterum resisteret, proceres aliquot Pansum incensum iã regnãdi cupiditate omni ratione fouere, illius improbos conatus blandiendo adulandoque, quacumq; ratione promouere. Vt verò votorũ fieret compos, Alphonsum absentem varijs criminationibus patri non modo exosum

Boni & inprimis Alphõsus regis filius improbis se opponũt

exoſum ſed ſuſpectum indies reddere conabatur; degeneraſſe illum plane in externos & peregrinos mores, ex quo alienigenarum vti cœpiſſet commercio, nihil vt patriæ vel auitæ conſuetudinis pateretur, incolas negligeret, & intimos regis familiares ab eodem auerteret aut deteſtaretur; Ritus & instituta à maioribus adeo religiosè obſeruata vilipenderet, ſed omnia, quò Luſitanis eorumque inſtitutis robur adderet, peſſundaret: Regem verò patrem ita vel contẽnere vel odiſſe, vt in eius contumeliam magicis artibus, quas à Chriſtianis nuper acceperit, amnes exſiccet, fruges vitiet, aliaque paſſim damna ac maleficia patret, atque adeo regias pellices ad ſe ipſe pelliciat. Eiuſmodi calumnijs atque portentis cum iuuenis innoxij famam ex compoſito quotidie lacerarent Panſus eiuſque ſocij; regem in effeto iam corpore, animi quoque viribus defectum, ad hæc zelotypia quam maximè laborantem, facilè perpulere, vt Alphonſum omni dignitate, honoribus, vectigalibus per ſummam iniuriam exueret, in ordinem redigeret, omnibuſque quæ prius in illum quam liberaliſſime contulerat, quæque ad illum iure primogenituræ ſpectabant, ſpoliaret. Effectum tandem, vt patris indignationem incurrerit, crediderit quoque illum ſibi mortem machinari, ad regnum aſpirãtem, ideoque ad vltimos regni fines cenſuit relegandum: iacuiſſet porro in ſolitudine & ſqualore circumuentus & proditus Dei ſeruus, ni quidã ex optimatibus, quibus altior mens & cogitatio erat, cum Regem iniquis accuſatorum machinationibus deceptum ac Principem iniuſtè circumuentum cernerent, & ſancti ſpiritus (vt fit veriſimile) inſtinctu admoniti, regem adiſſent, eique plurib. oſtendiſſent, quod hęredẽ regni deſtinatũ, ſtirpis

Aquitinus Alphonſum apud patrem calũniatur.

Alphonſus patri offenſus redditur.

In regni fines relegatur.

Defenditur eius innocentia.

ſtirpis maximum,& omnium iudicio eximia virtute ac pietate iuuenem, indicta cauſa damnari nefas eſſet. Reputaret ſecum illius in arcendis hoſtibus præclara facinora, in tuenda popularium concordia ſtudium, in ipſo rege colendo pietatem ac fidem: dein videret num tantæ indoli tantiſque laudibus conſentanea eſſent, quæ ab inimicis ad inuidiam conficta, de filio nimirum patulis auribus in animum admiſiſſet, qui hactenus patrem tanto eſſet honore proſecutus, & longè maiore, quam qui illum inuidè calumniando traduxiſſent; æmulis quoque tam facilè ac leuiter fidem non adhiberet. Quin per idoneos nec ſuſpectos viros, in filij vitam & actiones inquireret, ac perſpecta demum & cognita veritate, quod æquum videretur, tum in reum, ſi quid caſtigatione dignum admiſiſſet, tum in accuſatores, ſi falſa illorum eſſet delatio & nefariè cōficta, pro merito cuiuſque ſtatueret.

Creditrex filiūque in dignitatē priſtinam reſtituit.

Hiſce monitis quaſi è veterno excitatus rex, per ſummam diſſimulationem quæſitis ijs quæ Alphonſo obiecta erant, ſimul & in vitam illius inquirens, omnia ad inuidiam conficta commentitiaque comperit, ſeipſum leuitatis accuſat, quod inuidorum calumnijs & improborum hominum delationibus aures facile nimis adhibuiſſet, qui talem menti caliginem offudiſſent, & quo minus verum cerneret impediuiſſent. Quare vbi ſeriò examinauit ſingula, filium ab exilio reuocat, & inſontem in priſtinum dignitatis & honoris ac gratiæ locum, maxima bonorum gratulatione, extemplo reſtituit; conſceleratos calumniatores, ne quid huiuſmodi poſtea quiſquam attentaret, perpetua notatos infamia ſecuri percuti iuſſit. Cuius tanti tāque inſperati beneficij magnitudinem Deo acceptam

ptam referens, vt par erat, Alphonsus, multo ardentius in illius obsequio exarsit, ac liberius diligentiusve ad Christianam fidem tuendam atque amplificandam, quacumque demum ratione posset, incubuit; ac præter ceteras artes exterminandis gentium ritibus ad eam diem adhibitas, cum maiori se quam prius auctoritate pollere cerneret; rursus regno toto, vel(vt nonnemo sentit)in ea dumtaxat prouincia, quam illi pater commiserat, palam capite sanxit, ne quis inaniū deorum effigiem vllam aut quid gētili superstitioni dedicatum consecratumque vel priuatim vel publicè coleret haberetve. Edictum hoc magnorum fuit motuum caussa. in rabiem enim efferati inimici, frequentes in regiam coeunt, ac tumultu per operas seditiososque homines excitato, credulum ac timidum regem in eam sententiam adducunt, vt nisi reuocetur illico edictum, ingentem seditionem adesse non dubitet. Hoc timore pauidus senecio correptus, & calumnias patulis, nescio quo verisimilitudinis prætextu, arripiens auribus continuo per celeres nuncios admonet Alphonsum, edictum reuocet, videat etiam atque etiam quid agat, quò progrediatur; non peregrina ac noua religione retinenda mordicus, se suosque omnes & prouinciam vniuersam in apertum capitis ac fortunarum discrimen obijciat. Ille nihilominus in cœpto perstat infractus, & edictum exequutioni mandari præcipit, Deum multo magis quam homines metuendos ducens, præsertim cum illius honore & cultus in discrimine versarentur. ira percitus rex iubet Alphosum ad se quamprimum venire.. At ille cum nascentis eius Ecclesiæ salutem in suo post Deum capite verti probè intelligeret; pericula belli excusando,

Alphōsus in fide propaganda diligētius solito allaborat.

Edictum promulgat aduersus idola eorū que adoratores.

A patre corripitur

Ab eodem accersitus

Venire distulit, donec tandé rex moretur.

do, variasque nectendo moras, , tamdiu rem distulit quo ad letali morbo impleatur parens iam senio & annis grauis, cum ægrũ spiritum per multas curationes in dies aliquot extraxisset, tandem superante medicamenta vi morbi, cõmune naturę debitum persoluens, demortuus est. Interea Pansus Aquitimus natu iunior, qui spe quodammodo certa regnum deuorarat, ægro etiamnum patre (quem morbo sciebat moriturum) ambire proceres & blandè cõpellare singulos, suis vt conatib. quibus ad regnum aspirabat, adessent; hos itaque promissis, illos muneribus sibi deuincire, viuẽdi licentiã & libertatem ostentare. Ingentes deinde copias coegit, vt fratrẽ de iure regni, quod habebat, armata manu deturbaret. Alphõsus verò, cùm indies de omnibus certior fieret, atque à plurimis ad regiã vt veniret, inuitaretur, praua fratris molimina & conatus nefarios euerteret, & copias quas ad regnũ inuadendũ collegerat, profligaret; venire distulit, quoad patrem, de cuius animę salute anxius erat inprimis, obijsse intelligeret.

Alphõsus à matre factus certior vrbem ingreditur.

Regina de patris illũ obitu certiorẽ reddidit, quẽ tamen ad dies aliquot illa suos celauit, quò Alphonsus, in quẽ illa quã in alium erat propẽsior, interim ad regiã ante aduolaret, quã regis mors esset peruulgata. Hic igitur de obitu paterno iam factus certior, ilico sese in viã dedit, & quàm maximis itineribus, quàm citissimè ad vrbem aduolauit regiam, quam noctu occultissimè ingressus est: atque vt primum diluxit, optimates quibus se maximè credebat, simul & populum ciuitatis ante regiam vnum in locum ad concionem vocat. Egregia hic illos oratione compellauit, & suum ad regnum ius pluribus exposuit, qua eos esset clementia ac mansuetudine recturus, quàm de illorũ omniũ esset quiete, bono & æterna animarum

marum

marum vniuscuiusque salute solicitus; simul illos & ad obedientiam fidelitatemque est adhortatus. Igitur quæ pro tempore necessaria videbãtur, ingẽti spiritu, cùm perorasset, omnes quotquot adfuere boni pariter & nefarij, vnanimi eum suffragio regem consalutarunt, & Viuat rex conclamarunt. Quibus rebus confestim ad Pansum in suburbana castra perlatis, vt quam minimum spacij Alphonso ad comparandum ampliores copias relinqueret, cum ijs copijs quas habebat, duplici instructa acie, quod numerosum exercitũ haberet, continuò infestus ad vrbem aduolat. Alphonsus quàm paucissimos secum habebat, atq; vt ipse postmodum per publicas litteras admodum religiosè testatus est, vt postea dicemus, nõ plus quam sex & triginta, præter ceteram imbellem turbã, quæ ad regiam perculsa metu cõfluxerat. At quoniam prudentia valebat, & animo præsenti erat & infracto, videbatq; meticulosorũ animos offirmãdos, præsenti singulos ac bono animo esse iubet; reputarent secum nõ in multitudine armatorum, sed in causæ æquitate, & diuini numinis auxilio spẽ esse reponendã; ac Deum verum, quem spretis falsis dijs venerari instituerint, pro ipsis hauddubiè pugnaturũ. Nec vana cecinit; vbi ad teli iactũ ventũ est, inimici magno impetu conflictũ ineunt, tantamq; iaculorum copiã emisere, vt vmbrã terris nubis instar inducerent; Alphonsus verò cũ suis, sublato ante omnia clamore, Iesum Deũ, & S. Iacobum ex disciplina Lusitanica ingeminat, mirum dictu; verũ tamen: eas voces mox cum edidissent, & inimicorum impetum propulsatum cum armis processissent vlterius, tamquam cœlesti fulmine afflata prior acies, cum aliquãdiu attonitę similis fluctuasset, terga postmodũ vertit. Primam aciẽ vbi fractã sensit Alphõsus inimicorũ

Rex salutatur.

Fratrem bello superat.

cornua subsidiaria perfringit, quæ suorum fuga perculsa, turbant ordines, & eandem viam insistunt, conuersis'que illico signis effusa omnes fuga saltus auios & nemora petiere. Hanc tam incredibilem victoriam ac plane diuinam alia non minus admiranda res subsecuta est.. Pausus metu consternatus vnà cum ceteris in fugam se coniecerat, intimas siluarum latebras petens, quas sibi præsidij loco futuras credebat: at quoniam diuinam difficile euitare vindictam queas, (nisi delicti accedat dolor & pœnitentia, quod ille nolebat agnoscere) eandem Pansus sensit. Cippus erat in siluis, captandæ cuipiā ferę paratus à venatoribus: in eū cippū cū pro se prçcipiti cursu imprudens induisset, sic hæsit, vt explicare se inde nulla vmquam ratione valuerit; hinc factum vt illum Alphonsi milites viuum pedicis irretitum, & corpore toto grauiter consauciato comprehenderint; Alphonsi dein regis iussu in arctam custodiam traditus: magnopere illum frater hortari, delictum vt agnosceret, simulque ei vitam incolumitatemque, si Christiana sacra suscipere velit, ac delicti pariter veniam polliceri: sed frustra. Aquitimus enim vulnerum dolore ingrauescente, & vitā captiuitatemque pertæsus, in pertinaci mentis duritie, & voluntaria cæcitate intra paucos dies animam efflauit. Longè melius & saluti & existimationi suæ consuluit is qui Pausi ductabat exercitum. Erat hic bello clarus: cumque suos fusos ac fugatos, vt iam dictum, cerneret, fuga quoque sibi studuit consulere, sed è fuga retractus cum sibi necem instare minimè ambigeret, misit qui regi demisse nuntiaret; non deprecari se mortem, quam suæ temeritati debitam, præclarę nosset: id vero omnibus votis expetere obtestarique, ne se absque

Pausus captus & neci datus.

Tribunus illius militans capitur.

absque fidei Christianæ mysterijs ex hac vita excedere pateretur. Vitam se præsentem, calamitatum & ærumnarum theatrum, pertæsum, at vereri se, æterna ne excidat; ideoque velle se & summopere desiderare, prius, quam diem extremum claudat, Christianorum numero adscribi. solum enim illorum Deum, non verò quæ coluerat hactenus, adoratione dignum, confitebatur. Quod eo dicebat liberius ac confidentius, quod ipso congressus initio, suis se oculis viros humana specie augustiores ac maiestate plenos, vidisse testaretur, qui regem circum vndique ambirent, eumque ab hostili incursu tuerētur, quin & alios ipsius quā Lusitani adorarent crucis nota distinctos, clarissima circumfusos luce, vultu acerrimo prœliantes, in equis armatos comparuisse, suoque fulgore omnium oculos præstinxisse. Quo viso ita se perculsum fuisse testatus est, vt omni consilio & viribus destitutus, sola sibi potuerit fuga cum suis consulere. Itaque constare sibi, fieri non posse, vt exiguus armatorum numerus, quem Regem habuisse certum erat, tantas Aquitimi copias profligaret, nisi diuino opitulante numine, cui nullæ hominum vires possunt resistere. Alphonsus hisce auditis incredibili gaudio perfusus, cùm infinitas Deo qui tam singularem sibi victoriam contulisset, gratias egisset, & sancto eius nomini varia concinuisset præconia, non modò resipiscentem non est aspernatus; quin potius clementer accepto & per baptismū in Christianos relato, vitam & incolumitatem ea lege concessit, vti purgando in posterum verrendoque sanctæ Crucis templo cum suis operam daret, & in mystici lauacri vsum, puros latices religiose conueheret. Ea victoria magnum rei Christianæ momentum attulit. Regni posses-

Vitam ei rex concedit.

 sione

ſione adita,&barbaris quotquot poſtea ſeEuangelio opponere ſunt anſi,perpetuo felicitatis tenore ſuperatis, Alphonſus, quinquaginta ipſos annos (tot enim deinde poſt patrem regnauit) hominibus verbo & exemplo ad omnẽ virtutẽ ac pietatem erudiendis egregiũ & paſtorem populorũ & vineæ Domini cultorem, ad extremũ vſq; ſe præſtitit. Nunquam enim à primo zelo refrixit, ſed fidem Chriſtianam pro viribus promouit, & ſubditi Deo vt fidele obſequium deferrent inprimis curauit. Adeo vt ſæpe pro cõcione ſuos ipſe ſubditos ad iuſtitiã fidelitatemq; ſit mutuam cohortatus,alios quoq; diuinorũ iudiciorũ iniquis pręparatorũ terrore perculerit, aut præmiorũ cæleſtiũ mercede ad virtutũ ſtudium excitarit; deniq; de doctrina vitaq; Chriſti Domini, & Sanctorum exemplis ſæpius egerit.Illo itaq; regnante Eccleſia Congiana mirum in modum excreuit, & ſubditi perpetua in pace & tranquillitate effloruere. Acres ad hoc illi addebant ſtimulos quæ indies à Regibus Luſitaniæ recipiebat beneficia. Atq; inter ceteros Emmanuel primus eius nominis Luſitaniæ rex, mox vt regnum adijt, multa cũ de Regis Alphonſi ſubditorumq; zelo ac pietate inaudiſſet,& natura ſua inſtitutorumq; ſuorũ diligentia erga pietatem & cultũ diuinũ mirifice affectus eſſet,&pro viribus illũ promoueret;quod feliciter à maioribus ſuis in Congo inchoatũ eſſet,perficere & promouere tota animi contentione conabatur.

Emanuel Luſitaniæ rex mittit in Cõgũ ſacerdotes & munera.

Quamobrem anno ſalutis humanę MDIV.rege Alphonſo viros &doctrina illuſtres & virtutibus excultos,ſimul & teneræ ætati informãdę doctores,varios adhęc artifices &operarios deſtinauit; vt nõ diuina modò,ſed & artes mechanicas gentẽ illã barbarã docerent.Miſit quoque veſtes,quibus diui-

diuina peraguntur plurimas,easq; & pretiosas & arte eximia elaboratas.calices adhęc,cruces,thuribula aurea & argentea;Breuiaria quoque,Missalia,Biblia,historias de vita ac gestis Christi ac Sanctorum,denique quidquid ad populum illum Christiano ritu efformandū pertinere videbatur. Stipendia adhęc amplissima ad sacerdotū aliorūque alimenta submisit,quibus iniūxit vt fide Christiana gentem illam barbarā imbuerent. Tametsi autem quos præstabat sumptus ingentes & infiniti forent, nullū tamen hinc emolumentū sibi euenturū sperabat,sed vnicā Dei gloriā,à quo se æterna sperabat mercede aliquādo donādū, spectauit. Sacerdotes vero,quos rex Emmanuel miserat, in Congum cū peruenere,muneraq; quę detulerant, explicarūt,tanta hominū multitudo cōfluxit illos ad regē perductura, vt nō modica sit inter illos,quis eadē in humeros reciperet, exorta contentio.Quā vero sacerdotes reuerentia prosequerētur,dici vix potest;rex quoq; quā potuit humanissimè officiosissimeque illos cōplexus est. Vt verò suum in regem Lusitanię animum beneuolentiamque à quo tot indies beneficijs cumulabatur, melius testatam faceret,publica pro illius salute supplicia indixit, hac vt illum in vita Deus lætis ac prosperis successibus bearet, in altera vero æternæ gloriæ corona redimiret. Audito igitur sacerdotum aduentu, plures qui infidelitatis virus animo adhuc fouebant, vndequaque confluxere, Christo sacramentum daturi, firmissimo, vitam in melius, mox vt baptismo tincti forent,commutandi proposito.Rex vero, quoniam Lusitani idiomatis patrij ignari erant, & Congiani Lusitanici, quod vtriusque esset peritissimus, interpretis vice apud vtrosque fungebatur, quo sui sacerdotum doctrina

Quomodo Congiani illos sint cōplexi.

D 2 imbu-

imbuerentur, maiorique affectu illorum sermonem, quem rex illis propinaret, auidiusque perciperent.

Emmanuel rex legatum in Congum mittit.

Sed non stetit hic Emmanuelis regis zelus, at cum liberalitate sua permagnam ad Christianissimum accessionem factam intelligeret, & fidei negotium apud Congios pro virili promouere contenderet, anno Domini MDXI. summæ nobilitatis virum, cum aliquot sacerdotibus, vineæ Congianæ cultoribus, apparatu & supellectile sacra, eaque, quo regem Congianum ad pietatem excitaret ardentius, pretiosa & ad pietatem composita, instructis, in Congum legationis fungentem munere destinauit. Alphonsus tanta Emmanuelis munificentia incitatus, filium nomine Henricum, fratrem quoque germanum, & alios nobilitate præstantes pueros, in Lusitaniam, Lusitanicæ & Latinæ linguę perdiscendæ gratia, misit, simul quoque vt fidei Christianæ mysterijs penitissimis imbuerentur. Missus cum his quidam singulari prudentia vir, Petrus nomine, quẽ suum apud Emmanuelem regem esse legatum voluit, quicum Lusitaniæ rex quam libentissimè agebat. Hic cum diutius in Lusitania hærere decreuisset, vxorem comitem itineris esse voluit, quam Maria Regina singulari est prosecuta beneuolentia. Emmanuel igitur rex Christianam apud Congianos religionem stabilire ac confirmare dum vellet, Regis filium ac fratrem, aliosque ephebos honorarios Religiosis quibusdam, doctrina & vitæ conuersatione præstantibus, informandos dedit, Latinam vt eos Linguam, & fidei mysteria edoceret. Haud multo pòst Simonem Siluium precipuæ nobilitatis virum ad regem Congi legatum cum amplissimis muneribus destinauit. Erant in his equi cataphracti & phaleris insi-

Alphõsus rex filiũ misit in Lusitaniã.

Secundã Lusit. rex in Congũ legationẽ desti at.

insignibus ornati, simul & muli non indecores: vasa quoque sacra, tabulæ pictæ, Missalia, & ad sacra peragenda supellex necessaria: fabros addidit & architectos, qui templa construerent & regiam; plenam quoque Siluio in Lusitanos si officio deessent, animaduertendi, iusque illis administrandi si opus foret, auctoritatem & potestatem dedit; iniunxit insuper, vt Regi in iure suis administrando auxiliaretur. Quod quo fieret commodius, Iurisconsultum peregregium, petente id Rege Alphonso, secum duxit. Regi ad hæc, quamdiu in AEthiopia ageret, siquis belli motus ingrueret, consilio, pecunia, atque hominum numero, opem ferret. Regem quoque Congi commoneret, suos vt Legatos Romam ad Christi in terris Vicarium, illius vt auctoritatem agnoscere sese ostenderet, mitteret. Petrus verò Legatus, qui in Lusitania commorabatur, quod prudentia valere iudicaretur, visum fuit Emmanueli, ipsum cum aliquot nobilibus, suis expensis Romam destinare. Quo verò maior Christianę rei fieret accessio, regem Congi orauit, alios vt pueros nobiles in Lusitaniam, præter illos qui iam venerant, quo instruerentur, mitteret.

Siluius igitur hæc in mandatis cum haberet, prospera vsus nauigatione, breui Congum peruenit. Illius se aduentu recreatum dum rex significat, è cognatione sua virum nobilissimum, & è regni proceribus, de felici aduentu qui congratularetur, & ad regiam ciuitatem procul à portu ad quem appulerat, dissitam perduceret, emisit. At Siluius febri grauissima vexatus in itinere, priusquam regem videre contigisset, demortuus est; cuius morte rex non parum ingemuit. Siluio igitur, ex regis Emmanuelis præscripto succedit Aluarus Lopez, qui toti classi præerat. Hic regem

Siluius moritur priusquã ad Congi regẽ perueniret.

 alijt,&

adijt ac Regis Emmanuelis litteras illi tradidit, quibus singularem ille suam pietatem testatam faciebat, & qua eum prosequebatur beneuolentiam, simul & ea quæ legato coram enarranda iniunxerat. Litteris perlectis cum cetera verbis Lopezius exponeret, litterasque declararet, donaria tandem è Lusitania missa exponi iussit. singula rex in manus accepta dilaudare, & eadē conspicando non parum demirari, sublatisq; in cœlum manibus, Deo singulares agere gratias, quod se ex infidelitatis caligine erutum, cœlesti sacræ fidei lumine, idque Regum præstantissimorum, & pietate excellentium, & Deo gratissimorum, Ioannis scilicet & Emmanuelis adminiculo, illustraret. Emmanueli vero plurimum se debere profitebatur, non ob vetera solum beneficia, sed ob præsentia quoque. Quoniam vero Emmanuel, quę in posterum gestare ille insignia debebat, miseratur, suam testaturus virtutē, & ad posterorū gloriam, dictum promulgauit quo insigniū horum rationem, & singulare Regis Lusitaniæ beneficium aperuit. Hoc in decreto, quomodo Ioannis regis opera fidei Christianæ lumen recepisset Congus, & è grauissima Satanæ tyrannide erepta esset, patefecit, quibus adhęc artibus sanctū hoc opus euertere & impedire conatus sit veteratorius ille serpēs, qui humani generis auctoribus paradisi quietem amœnitatemque, qua iucundissimè perfruebātur, inuidit. Addebat insuper, quo studio & animi cōtentione Emmanuel prædecessoris sui conatus & cœpta ad exitum perducere conaretur. Compēdiosam adhæc doctrinæ Christianæ epitomen adiungebat; simul & in mentem ijs reuocabat, patrem, quam ad tempus religionē coluerat, malignorū quorundā instigatione, paulo ante mortē, magna impietatis & incōstātię signo, nequiter repudi-

Rex Alphonsus edictum promulgat.

pudiasse,&ad vomitum magna sui ignominia rediisse;quænã etiã Alphonsus filius natu maximus (se ipsum siquidem in edicto designat) discrimina incurrisset,quàm patrem indignantem & iratum senserit, quod nefariæ illius molitioni cõsentire detrectasset.Referebat deinde exilium & proscriptionem,à patre intentatam,ecquæ etiam in exilio,Iesu Christi nomine, perpessus fuerit: quas mortuo patre, frater turbas excitasset, quæ cum illo regnum iniquè inuadere tentante prœlia gesserit,quomodo triginta sex hominibus comitantibus, Iesu Christi nomine & ope inuocata,fratrem infinitis copijs instructum, nõ humanis viribus,sed Dei omnipotentis brachio,ex hostium etiam testimonio,superarit. Denique congressu peracto,fratrem nõ sine singulari Dei miraculo in suas manus venisse,&dignas peruicaciẹ impietatisq; pœnas persoluisse. Aperiebat etiam, quamobrẽ affinis suus Petrus,qui vnus de numero triginta sex illorũ fuerat,qui pro illo decertarãt,in Lusitaniã missus sit;à quo per literas intellexerit,pro regni Congiani incolumitate ac prosperitate in Lusitania publicas à rege indictas esse supplicationes;atq; hoc vt singulare amoris Emmanuelis argumentũ se habere.Ideoq; se paratissimũ non omnia modo supplicia, & mortem etiã ipsam,si necesse fuerit,pro Christianæ Religionis defensione,locorũ sanctorũ protectione,&mãdatorũ Ecclesiastiasticorũ obseruãtia subire, sed vitã etiã & caput,pro rege Emmanuele defendẽdo tuẽdoq;,aperto discrimini exponere.Hęc tũ conceptis verbis addidit.Vt vero hic immortalitatis laude dignissimus rex magis etiã sibi nos deuinciret, virũ nobilissimũ ad nos cũ muneribus & apparatu sacro destinauit, quod euidẽs affectus illius in nos est testimoniũ.Quoniã aũt Christiani reges gestare solent

Insignia quæ Lusitania rex Alphonso miserat.

ſolent inſignia, ſuam vt ad poſteros memoriam ſuorumque tranſmittant, regiamque dignitatem illuſtriorem reddant; in hoc etiam idem nobis rex voluit gratificari: ſcutum namque nobis dedit ſigno crucis imprimis conſignatum, victoriam vt Conſtantini Imp. quam hoc ſigno in aere viſo de inimicis conſecutus eſt, in memoriam reuocaret; & ſimul etiam quam nos de rebellibus iam olim retulimus, perpetuo ob oculos haberemus. Et quoniam Diuus Iacobus Apoſtolus, cuius opem ſæpius, Hiſpanico more, in prœlio efflagitauimus, inimicos noſtros percellendo, eoſdem fugere compulit, imaginem illius clypeo inſculptam eſſe rex voluit. Vt etiam ſingulari ſculptoque teſtimonio initam inter nos & Luſitanos amicitiam teſtatam faceret, Regum Luſitaniæ ſuperadiũxit inſignia, quinque ſcilicet ſcutula crucis adinſtar diſpoſita: quæ quina, quæ Redemptor Chriſtus in cruce pro humani generis redemptione recepit vulnera, repræſentãt. Cum enim Alphonſus huius nominis primus aduerſus quinque Saracenorum regulos, qui infinitam hominum multitudinem ſecum trahebant, conflictum in Luſitania eſſet initurus, ſuis ipſe oculis Ieſu Chriſti imaginem quinque vulneribus inſignitã, in cœlo vnde auxilium ſperabat, conſpexit. Tantum hinc ille animi ac roboris concepit, vt magnam inimicorum mox ſtragem ediderit: cuius ſingularis beneficij memoriam vt ad poſteros tranſmitteret, hanc inſignibus Luſitanicis inſculpere placuit, qualia etiam Emmanuel rex ad nos deſtinauit; hinc vt ſucceſſores noſtri diſcant, in conflictibus non humanæ potentiæ, ſed Ieſu Chriſti auxilio inniti. Quamobrem, ob hæc aliaque plurima beneficia, infinitas Chariſſimo fratri noſtro Emmanueli gratias agimus, nec vt fratrẽ

Quinque ſcutula in inſignib. Luſitanicis quid deſignẽt.

mod

modo & protectorem agnoſcimus, ſed quidquid habemus, ipſam etiam vitam illius obſequio libentiſſimè dedicamus. Et quamuis etiam extrema & quidquid vires ſinunt, illi detulerimus, minimo tamen quod ab illo recepimus beneficio pares referre non poſſumus. Humanæ igitur cùm vires deficiant ac reſpondere nequeant, regum Rex Deus, ad cuius honorem ſua Emmanuel dirigit omnia, tamque laudabilia ſuſcipit opera, æterna illum mercede beet. Ceterum filios noſtros & omnes poſteros commonemus, & prout poſſumus imperamus, hæc vt geſtent inſignia, hæc clypeis inſculpant, hiſce litteras obſignent, hęc in vexillis depingant; denique ſemper, quod per eadem deſignatur ob oculos habeant, vt horum recordatione ad virtutem & pietatem excitentur, & Redemptoris ope de inimicis ſuis victoriam conſequantur. Quod etiam bellica facinora & fortitudo militaris pręmijs ampliſſimis affici ſoleat, vt qui virtute ſua ad altiorem dignitatis gradum aſcenderunt, roboris ſui ac virtutis ſigna poſteris valeant oſtendete, idem rex Emmanuel alia etiam ſcuta velut nobilitatis inſignia miſit, quibus triginta ſex illos, qui in prœlio, in quo Panſum Dei ope debellauimus, ſtrenuè ſe geſſere, illorumque familiam ornaremus: vti reipſa, ipſo auctore & ſuaſore, iam facimus, vt huiuſmodi præmijs alij ad virtutis ſtudium excitentur, atque hac ratione non in hac vita dũtaxat aduerſus inimicorum violentiam communiamur, ſed in altera etiam bonis ſempiternis locupletemur. Hiſce litteris, quas vbique per regnum ſpargi iuſſit, & quarum exemplar ad regni proceres deſtinauit, Alphonſus oſtendit, quãtis erga regem Emmanuelem eſſet obligatus nominibus; cuius ſuaſu Petrum, cum duodecim

Inſignia hæc in Cõgo vſurpare Alphonſus voluit.

Legationē ad Rom. Pontificē adornat.

præcipuę nobilitatis viris ad sacræ Rom. Ecclesiæ caput, Christique in terris Vicarium misit,& ad Regem Emmanuelem magnam eboris vim aliaque quibus Congus abundat; Duodecim item ephebos pueros Prinoipum, qui cum alijs in Lusitania instituerentur. Petrus cùm in Lusitaniam redijsset ,quidquid ad iter Romanum necessariū foret, Emmanuel illi & filio Regis Henrico alijsque socijs,magna liberalitate suppeditauit. Quāta eos humanitate Pontifex & magnificentia exceperit,dici non potest,cui litteras Regis Alphōsi obtulere; quibus, Ioannis secundi Lusitaniæ regis opera tā se quā vniuersum Congi regnū ex potestate Satanæ & errorū tenebris eductū,ac deinde indefatigabili Emmanuelis regis industria incredibile in fide Christiana incrementum factū fuisse commemorauit; agnoscere se proinde iā ac perspectum habere, quo olim contagio & errorū lepra infectus fuisset, & superstitionē omnem præteritam summopere detestari. Deferebat ad hęc, infinitas se Deo ob singulare hoc beneficium,quo ab idololatrica caligine ad verum fidei lumen se vocare mirabiliter dignatus sit,gratias agere, & perpetuam illius in animo memoriam conseruaturum. Et quoniam multorum s rmone intellexisset, habere Iesum Christum suum in terris vicarium,cui omnes Christiani reges obsequiū deferrent;cuiusque constitutionibus, velut cœlo profectis & diuinis quamlibentissimè obtemperarēt; nolle se à laudabili hac cōsuetudine recedere,sed omnium Christiauorum Principum vestigia insistendo, illorumque submissionem æmulando, filiū se suum Henricum in sacris iam diligenter in Lusitania institutum, & affinem suum Petrum, cuius prudentiam & virtutem iam multis in rebus perspexerat, Romam destinare voluisse; suo vt

nomine

nomine sacris illius pedibus osculum venerationis infigerent, regnumque illi suum, de eo vt pro libito disponeret, offerrent, nec pati se posse, quēquā Christianorum Principum sibi in debito erga Romanam & Apostolicam sedem obsequio praeferri. Addebat insuper quod necessarium videbatur, quò sanctissimus Pontifex Legati sui verbis fidem adhiberet, & quae ab eodem ad fidem spectantia peteret, facilius impetraret.

Quae Pontifici & Cardinalibus exstitit longe gratissima.

Gratissima summo Pontifici fuit haec Legatio, & quidquid ab eodem rex petebat, sine vllo negotio obtinuit. Credebat enim Pontifex simul & Cardinales, non sine singulari Dei ope & gratia nationem hanc barbaram & ab omni humanitate ciuilique conuersatione prorsus alienam, gentili superstitione repudiatâ, fidem Christianam amplecti potuisse; aequissimum propterea videri, magna gratiarum actione primitias illas AEthiopum, quae post tot annorum reuolutionem Ecclesiae offerebantur; recipere. Legati in Lusitaniam, ac deinde in Congum cum rediissent, omnia humanitatis officia, quae à summo Pontifice & S. R. E. Cardinalibus exhibita fuissent, retulere, non sine incredibili regis & magnatum omnium gratulatione & gaudio. Emmanuel verò interea nobiles illos AEthiopum pueros non lingua Latina dumtaxat & Lusitanica, sed & scientijs maioribus, vt Philosophia & Theologia instituendos curauit. Hinc factum, vt nonnulli eorum, qui ceteris melius in sacrarum litterarum cognitione profecissent, ad sacros sint ordines promoti, & in patriam reuersi, plurimos suorum, qui nondum Christo nomina dederant, doctrina ac vitae honestioris exemplo, ad fidem Christianam perduxerint. Quin etiam in

Episco-

Episcopum, vt suo loco dicemus, ex illorum numero quidam fuit cooptatus. Sed rei seriem prosequamur.

CAPVT IV.

Regi Alphonso successit filius nomine Petrus, hoc regnante ad Insulam S. Thomæ traducta Colonia, quæ & Episcopatu nobilitata: hinc Episcopi, qui & Congiani, in Congum commigrarunt. quid in eadem ab Alphonsi primi obitu ad vsque Aluari I. tempora contigerit.

HIs aliisque rebus cum regnum suum indies florentius redderet Alphonsus, & tenellam Christianę religionis plantulam summa industria & contentione foueret, deque illius incremento summoperè sollicitus esset; in quo eum spes minimè fefellit: tam profundas siquidē radices egerat, vt eradicari non posse videretur; visum Deo, ad se illum vocare, & immortalem illi pro industria ac sollicitudine, in subditis ad illius cultum & agnitionem attrahendis, mercedem (vt piè credendum) elargiri. Vt verò ad periculosum hoc mortis iter, quod omnes, & inprimis Principes & Monarchas, ob rationem Deo mox reddendam, percellere solet, oportunius se pararet; lento eum morbo, quo corpus paulatim emoriebatur, conficere placuit. Nec tamen eum morbus à cœpto religionis promouendæ studio deterruit aut auocauit; lecto quippe affixus, regni Christi latius extendēdi rationes assiduè vouebat, tantoque de eadem re circumstantes ardore alloquebatur, hanc sibi cordi in primis esse & imis mentis penetralibus insidere, vt ostenderet. Inter

cetera

cetera enim, quæ filio in extremis, ad felicem ac prosperam regni directionem inprimis necessaria, commendabat, Christianæ fidei tutelam, protectionem, amplificationem & incrementum. illi cordi esse inprimis volebat. Sancto igitur fine in Domino obdormiuit, regnique successorem reliquit Petrum, acerrimum paternarum virtutum, atque inprimis pietatis ac fidei æmulatorem.

Alphonsi obitus cui Petrus filius succedit.

Hoc regnante frequentior quam ante Lusitanorum fuit in Congum nauigatio, etiam commercij causa. Hinc factum vt Lusitani Emmanuelis regis suasu, in Insulam S. Thomæ Colonias deduxerint. hęc sub æquinoctiali sita est linea, quinquaginta circiter leucas à continenti Africæ remota. Coloniæ ducendæ ratio erat, quod ex insula facilior in Congum esset nauigatio. Quoniam verò frequens insulæ huius incidit mentio, prius illa quam vlterius descendamus describēda. Hoc dicta est nomine, quod ipso Apostoli Thomæ festo à Lusitanis, dum in Indiam nauigare inciperent, fuerit detecta. Patet hæc in longū sexaginta millibus passuum, id est leucis nostratibus quindecim, in largum non minus: rotunda quodammodo est, quadraginta quinque in circuitu leucas complectens; fertili est solo, & cānis saccareis abundat. terra enim humidior est, & quotidiano rore sub auroram humectatur, vt sine alio humore cannæ feliciter proueniant & multiplicentur, cum tamen ante Lusitanorum aduentum nullas hic reperire esset: sed à primis Colonis inuectæ, adeo luxuriarunt, vt quadraginta quotannis naues saccaro onerarentur; sed abhinc paucis annis quod vermiculi radices cannarum corroserint, vix quinque aut sex naues onerantur. Quamuis autem initio oram maritimā pisca-

Insula D. Thomæ quando reperta, et vnde nomen traxerit.

Saccaro felix.

piscatores incolerent, interius tamen penitus erat deserta. at ex quo Lusitaniæ rex Colonias in eandem deduxit, plures constructi sunt pagi, & vrbs satis ampla, septingentis domibus instructa; Episcopalis iam est; adeo vt Capitulum hic & Episcopus sit, cui non Lusitanorum modo & aliorum incolarum, sed Congianorum etiam Christianorum cura concredita. Idcirco primus Insulæ S. Thomæ Episcopus, mox in vrbe prædicta inauguratus est, & res Ecclesiæ suæ in ordinem cùm redegisset, in Congum, diœcesanos suos visitaturus profectus est. Hic cũ ad Prassensem portum, qui quadraginta circiter milliaribus à regia distat, appulisset, admirabili quodam applausu & exultatione à ciuibus receptus fuit: nec defuit hic officio suo rex. omnes enim vias, per quas transeundum foret, purgari complanarique imperauit, quas & storeis constrauit, adeo vt terram pedibus non tangeret. Magnus huc vndique popularium concursus fieri, pastorem suum coram cernere gaudentium, vt omnes pene viæ spectantibus vtrimque, velut sepimento, communirentur: nonnulli arbores locaque eminentiora, eum conspicaturi, ascendere. Omnes eum vt numen cœlo delapsum venerari, singuli offerre pro facultate sua donaria, hic agnum, ille capellã, pullos gallinaceos, perdices, pisces, alijs quin & beatos sese credere, cùm eadem dignaretur recipere. Multi per viam sese baptizandos offerre; atque inter hoc nonnulli octogenarij & nonagenarij; & tanta nonnullorum fuit pertinacia & instantia, vt non prius à petendo destiterint, quam votorum redderentur compotes. His vt satisfaceret Episcopus, aquam semper & salem, aliaque ad sacramenti huius administrationem ex Ecclesiæ præscripto necessaria præfe-

A Lusitanis habitata & Episcopatu illustrata.

Huius Episc. etiã Cõgianis præest.

Quomodo primus Cõgi Episcopus receptus.

præferebat. Iniecit hoc moram itineri. Vrbis metropolitanæ territorium ingredienti obuiam clerus processit & rex cùm optimatibus. Deducitur deinde ad ædem S. Cruci dedicatam, in qua actis Deo ob prosperum iter gratijs, in domum, quam parari illi rex iusserat, descendit. sed nulla hic illi quies; neque enim ad quiescendum ac feriandum venerat. Illico igitur muneris sui partibus fungi, & non segniter in vinea Dominica operari cœpit, Ecclesiæ primum negotia disponere, S. Confirmationis Sacramentum administrare, sacerdotes tum Religiosos tum sæculares officij commonere, Christianos quoq; tam Lusitanos quam incolas, ad virtutē exhortari. Constituit adhæc vt Sanctæ crucis Ecclesia, in qua duodetriginta Canonici vnà cum Præbendarijs, in posterum Cathedralis foret. Verum se igitur pastorem, strenuum, vigilem, cumque diuini nominis ageretur honos, nullum periculum aut difficultatem subterfugientem; & diœcesios, pagos & oppida, in quibus Christiani commorabantur obeundo, vicinos vel etiam Pastores instituendo, & quidquid ad gregis sui bonum ac salutem spectabat, quàm diligentissimè procurādo, indefessum se Episcopum & speculatorem quoad vixit ostendit. Placuit tandem Deo impigrum hunc vineæ Dominicæ cultorem, cùm nouū hunc surculū gnauiter curasset, ex huius vitę ærūnis ad æterna pręmia & glorię coronā, vti speramus, educere: corpus ad insulā S. Thomę delatum, ibiq; terrę traditū. Successit huic in curā & laborē Alphonsi regis filius, quē supra in Lusitaniā & deinde Romā missum diximus: hic cū in bonarū artiū studio ac Philosophię ac Theologię sciētia mirificos fecisset profect⁹, in Lusitaniā cū reuertisset Episcopus S. Thomæ & Congianorū est cōstitutus.

Illius sollicitudo.

Obitus.

Secundus Congi Episcopus.

Sed

aduigilaret, à longo iam tempore caruissent, omnia ex animi sententia ac pro voluntate, nemine refragante, & administrabant, & agebant; hos dũ Episcopus officij commonere satagit, illi monentem aspernari, & vnusquisque se potestate illi parem & auctoritate credere, monitaque explodere; magnum hinc Neophytis oriebatur scãdalum, & non mediocre damnum noua patiebatur Ecclesia. Episcopus econtra se opponere, auctoritatem ac dignitatem tueri, ac functiones sui muneris exequi; refractarios vero censuris alijsque seuerioribus flagellis compescere. Episcopi partibus rex adhærebat, Clerum pastori vt obediret obtestãs, cui piè monenti si qui resisterent refractarij, in Lusitaniam captiuos transmittebat. Hinc minui Ecclesiasticorum numerus cœpit, quod peruicaces ablegati essent, & alij officio suo deessent: tanta enim illorum in opinione praua fuit pertinacia, vt in Lusitaniam cum ijs quę in Congo sibi parauerant reuerti, quam Episcopo auscultare maluerint. Fides igitur quæ tam lætum ac felicem in Congo ortum habuit, penitus propemodũ exstincta est & emortua. His auditis, Ioannes Lusitaniæ rex eius nominis tertius, qui rem Christianam illiusq; apud infideles, ad quos iam tum per se tum maiores suos delata erat, progressum & incrementum cordi inprimis habebat; quatuor è Societate Iesu è Collegio Conimbricensi, quod ipse fundauerat, in Congum mittendos ad se euocauit, qui rem Christianam & conseruarent & propagarent, Christophorum Riberam, Iacobum Diazium, Didacum Soueralium, queis Georgius Vasæus præerat, viros vineæ illi percommodos & in laboribus Christi nomine tolerandis impigros. Ij ab Olissipone ad celebrem S. Thomæ insulam, anno Domini MDXLIX.

Ioann. 3. Lusit. rex in Congũ IV. è Societate Iesu mittit.

E naui-

nauigarunt, ex qua facilis ad littora Congi traiectus est. In ea insula pedem dum ponunt, febribus alijsq; morbis vexari cœpere; sed non ideo animi strenuitas ac magnitudo victa cessit. necdũ enim recuperata valetudine ex Insulâ Pindã Cõgi emporium trãsmittunt. Eorum aduentu auditor, ex à leucis quinquaginta è proceribus duos obuiam misit: ab ijs in regiã ligneis equis de more patriæ summo cum honore & applausu perducti. Rudis artificij tale cõmentum est. Cantherio seu ligno dodrãtalis fermè crassitudinis, pedum octo longitudine, bubulum corium ad sellæ amplitudinem intendunt. huic ephippo diuaricatis cruribus viator insidet, baiulis succollãtib. duobus; & vbi longius iter, succedentibus alijs. huiusmodi caballis lãguidos adhuc Patres in interiora prouectos comiter ac benignè accepit, in Ioannis videlicet regis gratiam, cuius litteris commendabantur, rex vnà cum liberis & alijs plurimis ad C ucẽ extra mœnia positã honoris causa progressus. Tũ illis assignatur hospitium, cuiusmodi AEthiopum ædificia sunt, vnius cõtignationis, culmo paleisq; contectum. Ibi Soueralius, quoniam non ad quietem otiumque, sed ad laborem negotiumq; venerãt; manu operi admota, publicè ludum aperuit, & sexcentos breui pueros collegit, quos labore maximo & litteris & Christianis præceptionib. imbuebat. Ceteri regi, à quo comiter excipiebantur, propositũ suũ significãtes, ad emẽdandã populi ac procerum vitam omni ope connixi primum, dein ad prędicãdum ethnicis Euãgelium operam cõtulere, nec sine fructu: quippe intra quintũ mensem Riberus mille septingentos AEthiopas probè institutos ad Christum adiũxit; Diazius quadringẽtos, Vasęus trecentos: idemq; Vasæus cũ fido vno dũtaxat interprete, viatico prorsus nullo, in proximos

Equi lignei in Congo.

ximos

ximos pagos egressus, duo millia & septingētos baptismo lustrauit. Ac præter templa olim in vrbe, Alphonsi primi beneficio, cōdita, tria in finib. excitauit, dicauitq; Saluatori vnum, Mariæ Adiutrici alterū, tertium D. Ioanni Baptistæ. at ingrauescēte dein morbo, domū redire coactus: ac reliqui item aduersa cōflictati valetudine (siue id è grauitate cœli, quod Lusitanico grauius, siue ex insolētia deterioris cibi, cōtingeret) à spiritualibus ministerijs ad necessariā corporū curationē, haud sine magno ipsorū dolore traducti. Accessit ad prędicationem interrumpendā, regis quoq; alienus à studio religionis animus, cùm rei Christianæ, quæ ipsius auctoritate ac munificētia inprimis egeret, segniter admodū ac malignē pro sua parte cōsuleret: atq; inter cetera pessimi exēpli delicta, ab improborum cōsuetudine & à multiplici pellicatu auelli nō poterat. Hæc simul & grauiora optimatum ac Principum, qui regis exemplum sequebantur, crimina, omnē fructus faciēdi spem Patribus præcidebant; adeo vt in Lusitaniam redire, à superioribus, qui illorum opera alio forsan loco, in Dei re agenda opus habebant, euocati redierint. *In Lusitaniam redeunt.*

Haud ita multo post Iacobo rege vita functo, graues in Congo motus & seditiones, regni adeūdi causa exortæ; vt paucorū dierum spatio tres ad regnum euecti, mox à cōpetitoribus sint interfecti. Primus erat Iacobi filius maior natu, cui ius ad regnū paternum erat, velut legitimo heredi; sed displicebat hic populo, vt eodē quo rex salutatus die, sit iugulatus. Erāt hoc sublato & alij duo, qui ad sceptrū aspirabāt. In horū alterum optimatū nōnullorū & populi animi propēdebāt, at Lusitanis simul & Congianis aliquot proceribus, parū erat gratus: quare omni studio fratrē illius ad regnū euehere ānitebātur. Itaq; cū in necē huius cōspirassēt *Tumultus in Congo.*

 impe-

impetu facto in templum, vbi pro more reges coronari solebant, & inter faustas populi regem salutantis acclamationes, nescio quo tumultu inopinato exorto regi fauces præcidunt. Hoc interempto, cum nullus maius ad regnum ius haberet, ipsum quem euehere ad sceptrum contendebant, regem certo certius credebant futurum. Sed (ô iusta Dei iudicia!) longè secus accidit. Qui enim partes secundi sequebantur, qui totius populi & procerum suffragio electus erat, audito, iam antequam interficeretur, Lusitanos & aliquot optimates in fratrem animis propendere, quo omnem huic ad regnum spem præciderent, lictores & sicarios qui hunc clàm neci darēt, submisêre: vt quo ille obtruncatus est die, eodem sit hic in alio quodam templo interfectus. Populus omnem stirpem regiam excisam cum cerneret, tantum aduersus Lusitanos (quos horum omnium causam credebat) odium cōcepit, vt quotquot obuij forent, neci dederit, præterquam sacerdotes, quibus dignitatis & officij sacerdotalis gratia pepercit.

Tres reges Congi eadē die occisi.

Hi dum motus inualescerent, ne quid interea detrimenti regnum, si diutius rege careat, acciperet, optimates vnà cum populo Iacobi fratrem Henricum ad regnum euexêre. Excusserant interim Anzicani Congianorum iugum, quos Henricus rex domiturus, cum copioso exercitu in illorum fines profectus est; Aluarum vxoris suæ ex alio filium, vicesimum quintum annum agentem, interim velut regni vicarium constituit. Hac in expeditione obijt Henricus, & in ipso stirps regia penitus exstincta; cui omnium suffragio Aluarus successit. Valebat hic prudentia, & benignioris erat indolis; quamobrem mox omnes, qui per regnū passim tumultus exorti erāt, componere sa-

Henricus Iacobi frater coronatur rex.

re satagebat; Vtque regnum beneuolentiâ subditorum constabiliret, Lusitanos omnes tam Ecclesiasticos quam laicos, qui per diuersas regni prouincias, ne eodem quo ceteri modo iugularētur sparsim vagabantur, ad se euocauit. Quidquid actum erat excusare conabatur, & illos à conspirationis prætentæ crimine immunes præstare. Idipsum & regi Lusitaniæ & Episcopo insulæ S. Thomæ perscripsit, eumque, vt sine vllo prorsus metu ac suspicione, eodem quo prius modo in Congum veniret, rogauit. Noua hæc beneuolentia non Lusitanos, sed & Congianos mirificè recreauit; multis enim, quæ Lusitanorum Societas commerciumque afferebant, cōmodis se cernebāt frustratos. Hinc renouari cœpêre commercia, vetera odia sopita, & præteritæ dissensiones inimicitiæque obliuionis tumulo obrutæ; Episcopus quoque, qui ob motus illos in Congum transire ausus non erat, regis vt litteras accepit, rei Ecclesiæ dispositurus, in Congum traiecit; & omnem vindictæ appetitum, in vtrisque, si quis supererat, extinguere pro virili conabatur; suis item consilijs sanctionibusque quibus Ecclesiasticū statum, qui insignem iacturam fecerat, & non parum tum præteritis tumultibus, tum longa Episcopi absentia labefactatus erat, restituit: denique cum omnia ex voto composuisset, in insulam D. Thomæ reuertit, in qua in morbum incidens, breui demortuus est, vt iam tertiò sedes Episcopalis vacauerit.

Tumultus præteritos excusat.

Episcop. in Congum trāsit, & quidnam præstiterit.

Interim Aluarus rex, quod iuuenili licentia efferuesceret, & parum firmas in fide radices egisset, brutalibus voluptatibus, cum à nemine officij commouefieret, habenas laxabat. Episcopo siquidem vita functo, & clero in dissolutionem relapso, non erat qui illū coarguere audebat, aut à

Rex Alu. I. fidem Christianā deserere molitur.

vitæ liberioris semita auocare; penitus vt ei, optimatibus quoq; & populo, (qui Principis exemplum sequi solet) diuina omnia desiperent ac displicerent, adeò vt iam de fide publicè deserenda agi cœptum sit. Regem, eò vt dementiæ propemodum veniret, induxerant euanidi quidam ac stolidi adolescentuli, atq; inprimis Franciscus Bullamaterius, illi consanguineus, cuius præ ceteris magni apud illum valebat auctoritas, tum quod sanguine illi iunctus esset, tū quod nouis illū quotidie dignitatib. exornaret. Hic igitur ceteris audacior, publicè ac priuatim apud Regē fidē Christianam sugillare, & eam regno ac rebus publicis perniciosam iactare, inprimis quod vxorū pluralitatem vetaret; satius videri veterem amplecti, sub qua Congiani & opibus & potētia vicinis omnibus præcelluere. His alijsq; criminationibus tātum apud regem ac populum, imo & apud omnes regni propemodū incolas, effecit, parū vt abfuerit, qu n fidē Christianam, quam olim tāto zelo & ardore amplexi erāt, velut inutilē & noxiam proscriberent atq; abiurarent. Sed diuinæ bonitati ac potentiæ obicē huic molimini visum obijcere; dū in nefarij huius cōsilij auctorem suasoremq; grauissimè animaduertit. Cum enim Frāc. scus Bullamaterius affinitate & fauore regis turgidus, quotidie magis magisq; insolesceret, & aduersus Dei legē nullo nō loco debaccharetur, ecce mors illū peccatis inuolutum & blasphemātem oppressit.

Idq; suasu Francisci Bullamaterij cōsanguinei.

Mortuum rex, quamuis publicum fidei desertorem, quod sibi affinitate iunctus esset, solēniter in S. Crucis templo condi iussit. Sed audi rem mirabilem; quæ velut frænū eos qui fidē iamiā abiuraturi erā, retinebat, & qui in eadem nutabundi vacillabant, confirmabat. Nocte enim post sepulturā prima, magno fragore excitato magnaq; violētia dæ-

Dæmones cadauer eius in tēplo sepultū abripiunt.

dęmones tẽplũ ingrediũtur, vt eminus audiri possint. Hic templi tectũ perfringere, storeas è quib. constructum erat, frustatim cōminuere, impium hoc cadauer tumulo eruere, & secum flammis, vt creditur, infernalibus vnà cũ anima vstulandũ abripere. Postridie tota ciuitas hoc repentino denocte fragore excitata, ad templum spectandi gratia cōfluunt, hic tectũ perfractum, tumulũ vacuũ, corpus ablatum demiratur; nemo quo delatum esset nouerat, sed oẽs consternatos magnus incessit metus: vt rex & quotquot in fide ancipites fluctuabãt, ducti pœnitentia ab impio proposito destiterint, & alij de fide Christiana rectius quam antea sentirent. Rex tamen qui cælebs erat, & neminem à quo ad meliora excitaretur, & à vitiorum semita abduceretur, habebat, in fœdo voluptatũ cœno hæsit, donec tãdem grauius in eum Deus animaduertit, vt sequenti referemus capite.

CAPVT V.

Giacha barbari Congum diripiunt & expilant, sed à Lusitanis profligantur: rex sacerdotes Catholicos mitti sibi contendit; quid aliquot Societat. IESV Patres in Congo egerint: rex Aluarus II. egregiam de fratre, qui ad regnum adspirabat, obtinet victoriam.

HAud procul à lacu, qui è duobus, è quibus Nilum nasci cōstat, magis ad meridiẽ vergit, populus est, ferus & barbarus, quem Giachas dicunt; rapto hi & latrocinijs, Arabum ac Numidarum ritu, victitant: humana vescũtur carne, ab omni tamẽ sunt humanitate prorsus alieni. nullũ enim dominum aut regẽ agnoscũt, incertis vagãtur sedibus; sed pastorum instar, modo huc, modo illuc, prout fert impetus ferũtur, mapalia *Giacha eorũque mores.*

ex arbustis constructa, aut tentoria quæ secum deferunt, domorum vicem obtinent. Arma offensiua sica est oblongior, arcus & sagittæ, aut telum missile; quibus vero se tuentur, clypeus oblõgus, in medio latior, integrum vt corpus obtegat; sed ad vtrumque extremum angustior; in imo acuminatus, vt terrę insigant ac propugnaculi vicem obtineant. Hi ea tempestate terminis suis egressi omnia circumquaque diripiebant, vt tandem & in Congum per Battam sibi vicinam prouinciam descenderint, quidquid obuium haberent neci dantes. Hæc dum in Regia sparguntur, copiæ aliquot quæ eos compescant & intra fines suos compellant, emittuntur; sed à barbaris ad internecionem delentur. Giachæ itaque nullum qui resisteret obuium habentes, Congum regni totius caput, crudelitatis & immanitatis vbique signis relictis, petunt: quorum audito aduentu, fuga sibi quisque consulit; tanta animos omnium inuaserat formido. Rex non minori pauore consternatus, horum audita feritate, ad conflictum egredi non est ausus, finibus eos suis pellendo; sed in vrbe regia, quã ad impetum ferendum satis credebat munitam, illos exspectare decreuit. At nõ minor hic barbarorum fuit audacia; montis enim cui Congo inædificata, radicem aggrediuntur. Rex hostem accedere dum videt propius, assumptis secum aliquot, quos apud se habebat (potior enim pars, hostem audito aduentare, fuga sibi cõsuluerat) vrbe egressus est, barbaros ne montem alioquin salebrosum ascenderent impediturus, ne ad planitiem illam pertingerent, in qua olim rex Alphonsus tam prospero successu rebelles domuerat. Sed non tam felicem hic nactus est: vt qui nec pari in Deum confidentia in aciem descenderet. Internè enim peccati liuore vulneribusque

Congum expilant.

Regem in fugam cõ ijciunt.

erat

erat exulceratus, & vehementibus conscientiæ stimulis exagitabatur, adeo vt diuinum sibi auxilium diffideret adfuturum, vt qui debitum Deo cultum & honorem non detulisset. Hostis itaque facili negotio planitiem subit, & regem cum suis fugientē in vrbem compellit. Hic exaudiri mulierum ac puerorum eiulatus & gemitus, quasi iam in hostiles manus incidissent. Rex cùm varia agitasset animo, videretque nullum defendendę cōseruandęq; spem vrbis superesse, fuga sibi consulere, & locum aliquem munitum petere statuit. Conuasatis igitur omnibus, & vniuersa pretiosa supellectili asportata, cum militibus & præsidiarijs abitum maturat, vrbemque omni destitutam prǽsidio deserit: sola enim hic restabat plebecula, quæ tantæ barbarorum multitudini non poterat resistere. Barbari interea sine vlla difficultate vrbem ingressi, ferro flammaque omnia exscindere, obuios vindice gladio trucidare, nec templis & regio palatio parcere. Ita visum Deo, non in regem modo, qui omni penè regno exutus erat, sed & incolas, tam Congianos quàm alienigenas, tam sæculares quam Ecclesiasticos, animaduertere. Nullum apud barbaros sacrorum profanorumq; discrimen, tamque sacra & fana quam plebeiorum ædes diripiebant: cumq; nec satis esse crederent, omnia pretiosa expilasse, & potissimam vrbis portionem flammis dedisse, per vniuersum se regnum diffundunt, obuia quæque ferro obtrūcant, domos succendunt, agros deuastant, & magnam longè lateque, nemine impediente, stragem edunt. Incolæ enim audito regem fuga sibi cōsuluisse, & vrbem regiam à Giachis euersam & direptam, vitæ consulturi, montana, facultatibus hostili furori omnia deuoranti relictis, conscendunt. Plurimi verò eorum qui ad montes confu-

Congum regiam diripiūt.

 gerant,

Magna regni desolatio.

gerant, cum rerum necessariarum copiã non haberent, famè miserè extincti sunt, vt nõ pauci per viã inedia iacerent consumpti. Rex in insulam caballinam secessit, quam iam ante descripsimus: at quoniã plurimos secũ habebat, multi indies, quod commeatu destituerentur, extinguebantur: secuta est, vt fieri solet, grauis aeris contagio, & pestilens lues, vt omnes propemodum qui eò confugissẽt, inedia & ærumna consumerẽtur. Buccella quippe panis cum mãcipio permutabatur, quod antea vix decem coronatis emeretur; quin & felices se hoc pretio si cibum nanciscerẽtur, existimabant. Lusitani qui in insula S. Thomæ commorabantur, audito eos qui in insulam Caballinam fugerant, rerum inopia diuexari, commeatũ exiguum, quẽ cum mancipijs, vti diximus, permutabant, ad eos miserunt. Erat hauddubiè funestũ spectaculũ videre à parentibus fame pressis vilissimo pretio filios diuendi, quo vitã ad aliquot momenta differrent; à fratre fratrẽ cum buccella panis permutari; quodq; longè deterius, à filijs parentes venundari, & libertate spoliari ab ijs quibus vitã dederant. fuere & optimates qui sponte se seruituti subijciebant, hac spe freti, ab emptore se saltẽ necessaria ad victum habituros. Hinc Insula D. Thomæ & Lusitania mancipijs Congianis repleri cœpta est, & quidem viris nobili genere prognatis. Rex quoque, quamuis non tanta quanta ceteri fame premeretur, extremam tamen passus est inediam, vt cibis deterioribus & esui minimè idoneis viueret. hinc hydropem contraxit, quo ad extremum vsque vitæ diuexatus est. Sic Deo visum in Regem sæuire, vt ad mentem saniorem rediret, qui miraculo superiori admonitus à vita scelesta non recesserat. Sed vexatio dedit intellectum, nam ad extrema redactus oculos aperuit, & sibi

Paupertas & inedia illorũ qui cum rege fugerant.

Rex à Deo punitur.

à Deo

à Deo hæc ob delicta flagella immitti agnouit, vt magno cum gemitu & lachrymis illius opem auxiliumque supplex depoposcerit. Atque vt Deus non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, afflictum regem, illiusque subditos consolari voluit, illum regno, & hos quieti restituendo, quod hoc pacto contigit. Lusitani qui in Insula D. Thomæ commorabantur, Regis & regni calamitatem cùm intuerentur, cõsilium suggessere, legationem vt in Lusitaniam adornaret, qua præsentem ærumnam indicaret, & nisi suppetias aliunde nanciscatur, breui de salute sua atque omnium Congianorum actum fore nuntiaret. Hæc sub initia regni Sebastiani regis Lusitaniæ contigere, qui mox ducem Goueam nomine, cuius industriam tam in India Orientali quàm Africa varijs in conflictibus perspectam habebat, in Congum destinauit, additque ei sexcentos præsidiarios, præter ingentem nobilium Lusitanorum spontaneorum multitudinem, qui fortunæ periculum facturi suæ, in expeditionem illam vltrò dabant nomina. Gouea igitur cum suis in Insulam S. Thomæ cum appulisset, illius præfectus, vti à Lusitaniæ rege in mandatis habebat, commeatu & alijs ad expeditionem necessarijs, copias instruxit, idque tanta celeritate, vt Gouea cum suis breui in Congum traiecerit, & ad ciuitatem Prassensem appulerit; è qua rectà in Insulam equorum nauigauit, regemque incredibili, aduentu suo, voluptate perfudit. Nec mora, in copias suas allegit omnes quos armis ferendis reperit idoneos tam incolas quam Lusitanos, & ea, qua fieri poterat festinatione aduersus Giachas læto rerũ præteritarũ successu turgidos, cõtendit. Multis eos conflictibus, ac prœlijs attritos, intra sesquianni spatium, multis

Rex Sebastianus Congi regi succurrit.

multis eorum obtruncatis, regno penitus exegit. Post diuinum auxilium non parum ei profuit balistarum æ nearum fragor, quem Giachæ, vtpote non assueti, mirum in modum exhorrescebant. Rege igitur regno, & regno paci restituto, ouans in Lusitaniam reuertitur; Rex verò ad Regem Sebastianum litteras misit, quibus infinitas ei gratias egit, cuius ope non vitam modo, sed & regnū recuperarit; simulque enixè sacerdotes aliquot in Congum incolarum instruendarum gratia destinari petijt. Plurimi verò Lusitanorum, qui cum Gouea in illam regionem nauigarant, terræ vbertate & regis liberalitate, qui nouis indies eos honoribus & beneuolentiæ signis prosequebatur, illecti ibi remanserant. Rex itaque Congianorum flagellatus & castigatus cum saperet, ex animo se ad Deum conuertit, & Catholicam quamdā, nobili stirpe oriundam, sibi in vxorem adoptauit, è qua quatuor deinde suscepit filias, sed è concubinis venalibus prius duos filios & filiam. Quoniam vero pro regni consuetudine filiæ paterni regni successionis incapaces sunt, maior natu filiorum è Concubinis prognatorum Aluarus, paterno nomine appellatus, legitimus hæres & successor regni declaratus est, & regnum, vt dicetur, adijt. Interea verò dū Gouea cum copijs suis in Congo subsisteret, ad regem Lusitaniæ perscribitur, auri, argenti aliorumque metallorum venis regnum hoc abundare: quare duos eruendi auri peritissimos artifices, quorum opera Hispani in India occidua, in aurifodinis inuestigandis vsi fuerant, misit. His imperauit, vt Rege Congi annuente, Congianas fodinas indagarent, & rimarentur, num quod inde erui emolumentum posset. Rex Congi, sacerdote quodā Lusitano Francisco Barbutio in consiliū adhibito, fossores aliò

Rex Lusitan. fodinas Cōgianas aperiri iubet.

duxit.

duxit, vbi nullas esse auri venas sciebat, veritus ne si fodinæ Congianę referarentur, regnum pessum iret, & ipse in extremo periculo versaretur. At quamuis vtile hoc consilium videretur, quo alienigenas à regni sui possessione ita arceret, nō adeò tamen lætum res successum habuit. Lusitani enim cum aurifodinas quibus tantopere inhiabant reperire se posse in Congo diffiderent, non adeo libenter, vti solebant, cum Congianis inibant cōmercia; atque hinc fiebat, vt pauci sacerdotes eodem commigrarent, magno rei Christianæ quæ sensim extinguebatur, detrimento. Iacturam hāc religionis dum Congi rex intueretur, maxima animi contentione à Rege Lusitanię postulauit; sacerdotes aliquot vt in Congum transmitteret, ne Christiana fides, quam tanta animi pietate ac zelo maiores sui amplexi erant, penitus in regno intermoreretur; idque non tam incolarum satis in religionem propensorum vitio, quam sacerdotum, qui eos officij commonerent, sacramentaq; administrarent, inopia ac defectu. Gouea in Lusitaniam reuersus, regi Sebastiano litteras, quibus hęc postulata cōtinebantur, tradidit; qui aliud nō respōdit, quàm regi vt in sacerdotum petitione mos gereretur, daturū se operam. Sed nullū res est effectum cōsecuta. Adeo vt Congi rex pietatis in regno restaurandæ ardens desiderio, legatum insuper in Lusitaniam miserit, à rege qui peteret, vt quæ motu præterito diuendita Lusitanis essent mācipia, persoluto pretio redderētur, & sacerdotes, qui suos fide Christiana imbuerent, in Congū mitterētur. Legatus in Lusitaniam cū appulisset, plurima redemit mancipia, alij tamen libertatem seruituti postponentes, in Lusitania manere, Deo vt seruirent securius animæque salutem procurarent, quam in patriam huiusmodi auxilijs spirituali-

Religio Christiana in Cōgo sacerdotū inopia extinguitur

tualibus destitutam,quamuis in libertatem asserti,redire malebāt. In altero legationis capite votorum non est compos factus, sed inani promisso lactatus,sine vllo prorsus sacerdote in Congum reuertit. Abhinc tamē triennio Episcopum in Insulam D. Thomæ Sebastianus rex,Hispanum natione, Antonium Gliouam, miserat, dederatque in mandatis vt in Congum trāsmitteret, incolas illius cōsolaturus & edocturus, visurusq; quo in statu res ibi Christiana versaretur. Episcopus in Insulam D. Thomæ cum venisset,præfecto illius parum gratus exstitit,atq; ideo propediem in Congum traiecit,sed pręfecti inuidiâ,iniustè apud regem superbiæ & arrogantiæ,& quod regiæ se maiestati præferre contenderet,fuit accusatus. Tantum autem apud regem valuit calumnia,vt regni illum aditu primò interdixerit;at vbi didicit deinde nonnisi meras esse calumnias & maleuolentiam, comiter illum excepit,& filiorum vnum obuiam illi misit,à quo magno beneuolentiæ argumento in regiam perductus est.Episcopus cū octo mensium spatio in Congo substitisset,in Lusitaniam,paulo antè quam Sebastianus rex in Africam expeditionem moueret,rediijt,sex duntaxat in Cōgo sacerdotibus relictis,religiosis duobus & quatuor sæcularibus, qui centesimæ regni portioni sufficere non poterant.Rege Sebastiano in Africa exstincto,iterum è Congo ad Henricum Cardinalem,qui Lusitaniæ regnum adierat,venit Legatio, qua enixè sacerdotes petijt.Sed cum & Henricus haud multo post demoreretur , voto satisfacere regio nō potuit.Philippus II.Hispaniarū rex Henrico Cardinali cùm successisset,legatione hac piâ auditâ,præfecto insulę S.Thomę perscripsit,regio vt nomine Legatum in Congum mitteret, & regi amicissimè perscriberet quàm maiores sui Lusitaniæ re-

Regis Cōgi instantia pro impetrandis sacerdotibus.

niæ reges oſtenderant in Congianos reges beneuolentiam & affectum,ſuo nomine non defuturũ. Sebaſtiano de Coſta haſce litteras præfectus tradidit,qui eaſdem Legati nomine in Congum detulit. rex Aluarus mirificè hiſce litteris recreatus eundẽ Sebaſtianum cum litteris ad regem Philippum deſtinauit,quibus præter ea quæ ad litteras regias reſponderat, auri argentique venas, quas in Congo latere fama erat, vltro velut amicitiæ pignus&vinculum obtulit.Vt vero promiſſis fidem faceret, aliquot etiam laminas ac ſpecimina metallorum Congianis venis eductorũ miſit;non aliam à Rege Hiſpaniæ viciſſim compenſationem exſpectare aſſerens,quàm ſacerdotes aliquot,qui populum rudem fide Chriſtiana imbuerent, & vacillantes in eadem confirmarent; periculum enim eſſe, ne,niſi propediem doctor aliquis aduenerit,eandem amittãt. Sed priuſquam legat⁹ hic appuliſſet,haud procul a Luſitania naufragium paſſus eſt; at quæ in mandatis habebat, naufragium non fecere,nam arcula,cui regiæ litterę incluſę,in littore reperta fuit.Congi rex triſti & peracerbo hoc caſu non mediocriter cõtriſtatus,nõ ideo à cœptis deſtitit,ſed eadẽ qua prius contentione ſacerdotes, qui rem Chriſtianam promouerent,per nouam legationem petere decreuit.Plures ſe optimatesCõgiani,hac legatione vt fungerẽtur obtulere, ſed regi viſum cõuenientius alienigenæ eandem cõmittere;ſelegit itaque Eduardum Lopeſium Luſitanũ, è cuius geſtis hæc omnia Pigafetta Italus, & nos è Pigafetta mutuati ſumus.Conceſſerat in Congũ hic Eduardus,cũ Sebaſtianus rex in Africã traijceret, ex eo tẽpore ibidẽ erat cõmoratus mercatorem agẽs,&mores, linguã,regniq; ſtatum perfectiſſimum habebat,vt illi poti⁹ quã ſubditorũ vlli legationẽ ſuã ad regẽ Philip-

Philippi II Hiſp.Luſitan. regis in Cõgum legatus.

Eduardus Lopez Luſitanus regis Cõgi Legatus.

Philippum committere decreuerit. Huic in mandatis dedit, Regi vt miserũ rei Christianę in Congo statum significaret, & enixè peteret, animarũ, quæ doctoris à quo in viam salutis reuocarentur, defectu miserrimè peribant, vt illum tangat miseratio; sacerdotes proinde aliquot, qui populum pabulo spirituali carentem, ideoque tabescentem reficerent, mitteret; neminem esse namque, qui diuini verbi panem frangat & impertiat, sacramentaque administret. Vtque etiam pondus aliquod haberet & efficaciam legatio, emolumentoque saltem temporali ad illud opus permoueret, laminas iterum aureas aliasque, quæ fodinis Cõgianis eruuntur addidit, quas regi Hispaniæ deferret, plenum ei ius & per quoslibet auri argentique effodiendi potestatem offerens. Iniunxit insuper Eduardo, nomine suo vt Rom. Pontifici pedes oscularetur, & obedientiam pro more aliorũ Christianorum Principum, obsequiumque quam suppliciter offerret, ei Congianam messem & sacerdotum penuriam aperiret, vt eo maiori sua Sanctitas affectu rebus Congianis prospiceret, quò ex officio ea quę & ad Dei cultum & animarum salutem spectant, eum curare diligentius cõstabat. Legatus hic cum octo adhuc mensibus in Congo rerum suarum curandarum gratia esset commoratus, mense tandem Ianuario nauigationem instituit; sed satis sinistram & infelicẽ: plurimis enim tẽpestatibus & procellis, non sine periculo diuexatus est, & tandem in Insulã Culazoam, è regione insulæ Margaritæ, gemmarum piscatu nobilis, haud procul à noua Hispania sitam, appulit. In grauem hic morbum incidit, qui anno eum integro lectulo affixum detinuit. Perijsse eũ naufragio, vt Sebastianum, credebat rex, ideoque aliũ cum ijsdem mandatis litterisque destinauit, Petrum

In Hispaniam mittitur.

Et ad summũ Pontificẽ obedientiæ deferẽdæ causa.

Petrum Antonium nomine, præcipuæ Congianæ nobilitatis virum.

Socium ei Gaſparem Diazium Luſitanum adiunxit, virum pietate non minus quam opibus illuſtrẽ, cuius ope auxilioq; , quòd Hiſpanorum & mores & linguam calleret, quæ poſtulabat facilius ſe ſperabat adepturum. His quoque iniunxit, vt ſi fortè in Eduardum Lopeſium incidiſſent , ei ſe ſocios adderent, ſimulque omnes quam maximè ad petita obtinenda iunctis viribus conniterẽtur. ſed hiſce legatis caſus accidit non minus ſiniſter quam ſuperioribus, nauis enim quam conſcenderant in Anglorum piratarum, quibuſcum Luſitanis & Hiſpanis immortales tunc erant inimicitiæ, manus incidit; hanc igitur in Angliam cum abducerent, ſcopulis & vado illiſa perijt, Petrus Antonius eiuſq; filius, ſimul & aliquot Congiani ſubmerſi; ſed Gaſpar Diazius ſoſpes euaſit, & in Hiſpaniam peruenit, vbi in Eduardum Lopeſium forte fortuna incidit, qui ante aliquot dies eiuſdem rei cauſa appulerat. Diaz Eduardum omniũ caſuum ſuorum certiorem cum feciſſet, clanculò & inſalutato illo in Congum reuertit. Eduardus cum ſe ſolum eſſe videret , litteras regis Congi Philippo regi, qui tum Madriti verſabatur, obtulit; à quo humaniter acceptus & ſumma cum voluptate, legationis dum mandata depromit, auditus fuit. Sed interea dũ res differtur longius, nuntiatum eſt, Regem Congi à quo miſſus erat, exſpiraſſe; adeo vt aliud ei reſponſum non fuerit, quam regem Philippum, bellis Anglicis tũc occupatum huic negotio hoc tempore vacare non poſſe. Eduardus itaque cum hanc ſpem fractam cerneret, Romam, Pontifici qui tunc Sixtus V. erat, legationis munus expoſiturus petiuit. Benignè eum comiterque Pontifex excepit; cui cum Congianorũ

Alia legatio regis Cõgi haud multo lætior

Aluarus I. Congi rex moritur.

necessitatem ac miseriam aperuisset, quantoque in periculo res apud illos Christiana versaretur, & quãtum discrimem, pastorum qui verbi Dei & sacramentorum pane illos reficerẽt, inopiâ, animabus illorum immineret; quã potuit efficacissime ab eodem, Regis Congi nomine postulauit, vt pro paterno in Christianos omnes affectu, nouellæ illi Ecclesiæ de Episcopis, pastoribus, alijsq; sacerdotibus, qui rudem illam barbariem erudirent, sufficienterq; instruerent, prospiceret; se quoq; si qua in re facultatibus suis vsui esse possit, easdem vltro quam libentissimè offerre. Promittebat insuper sumptu se suo (nam opibus in Congo abundabat) domum ædificaturum, in qua iuuentus tum litteris tum Christianis præceptionibus informaretur. Respondit pontifex, Regi se Hispaniensi, cuius hæ partes erant, negotium hoc committere; adeo vt Romæ nihil omnino profecerit, & effectu optato caruerit legatio. Cõstat tamẽ, aliquot Soc. Iesu Sacerdotes sæpius Congum, ex quo domũ in Insula Loanda nacti sunt, adijsse. Inter alios, is qui anno salutis M D L X X X I. negotij alicuius ardui conficiendi gratia, eodem traiecit, vidit, quã cultoribus indigeret vinea illa Christi, qui quod deessent, vrticis & lolio scatebat. Triginta enim oppidorum vicorumq; millibus, quę habere Cõgus dicitur, decem aut ad summum duodecim sacerdotes scribebat præesse: magna hinc rerum ad salutem spectantiũ in populo illo ignoratio; nã interrogati quid crederent, aut cui religioni addicti essent, aliud Christianismi sui dare indicium non poterant, quã salem se comedisse, quo se baptizatos aliquãdo fuisse testabantur; baptizandis siquidem salem Ecclesia dari præcipit. Hic igitur vineam illam cœpit excolere, excaudicare noxia, rudiores imbuere, & quæ salutis erant palam ac pri

Exitus legationis Eduardi Lopez.

Missio cuiusdam Soc. Iesu in Congũ.

uati m

uatim edocere;quin & mille quingẽtos quinquaginta septem baptismo renatos Ecclesiæ adiunxit. Alius quoque societatis eiusdem Religiosus Anno MDLXXXV. postea in Congum traiecit, qui etiam messem quidem multã, operarios vero paucos reperit. Scripsit enim plurimos hic reperiri pagos, quorũ habitatores omnes Christianos esse se asserunt, rarissimè tamen ad eos sacerdos commigrat; sunt qui nũquam vllũ sacerdotem viderũt. Quocunq; hic se conferebat, incredibili aduentu suo Christianis solatio erat; multi obuiã illi procedere, & magna illũ excipere beneuolentia. Ille vicissim ad salutis semitam eos allicere, qui iam Christo adscripti erãt in fide cõfirmare, paruulos parentũ permissu baptismo lustrare, quin & alios prouectioris ætatis, qui Christiana præcepta callerẽt, & baptizari postularẽt. Baptizatorũ numerus, adnumeratis etiã quos in Angola baptizarat, ad millesimũ pertingebat. cũ enim in vtriusq; regni limite ageret, modo ad Cõgianos, ad Angolanos modo se conferebat. Elapso deinde biennio alius quidã eiusdẽ Societatis sacerdos, a rege ob magni momẽti negotiũ conficiendũ euocatus, (vt iam iã referemus) eodẽ cõtẽdit, quod hoc pacto cõtigit.

Item alterius postea.

Aluarus I. de quo hactenus locuti sumus, rex demortuus filiũ sibi cognominẽ, regni simul & fidei heredem ac successorem reliquit. Hic initio regni sacerdoti Soc. Iesu, qui tum forte in regno Angolano, tum Lusitanorũ tum incolarum iuuandorum & ad virtutũ iter incitandorũ gratia versabatur, perscripsit, optare se de nonnullis quæ ad animæ salutem spectabaãt, cõferre. id ipsum quoque perscripsit Lusitanorũ qui in Congo commorabãtur Pręfectus, & alij nobiles viri Lusitani, qui Regi famulabãtur. Sacerdos cũ ad iter se iã cõparasset literę ei redditę pręfecti Lusitanorũ Angolã incolẽtiũ

Tertia missio alterius sacerdotis qui à rege postulabatur.

quibus illum ad iter hoc capessendum instigabat, additis etiam litteris suis ad Regem Congi perferendis, quibus illi aditum regnum paternum gratulabatur, simulque ei omne, Lusitaniæ Regis nomine, illius defendendi causa, si quis motus insurgeret, obsequium spondebat. Ingentem hoc regi nouo animum addidit, illiusque rebus non mediocre emolumentum attulit: quod enim legitimo nō esset natus matrimonio, non deerant, qui regno eum deturbare conabantur. Hic igitur sacerdos vnà cum socio ad Regem profectus, benigne comiterque ab eodem receptus est; quod hinc manifeste colligi potest. cum enim pro more haberet, nonnisi aliquot diebus exactis eos qui salutandi causa ad regiam confluxerant, temporis vt diuturnitas auctoritatem pareret, alloqui; audito sacerdotem hunc aduenisse, nomine eum suo per vnum ex optimatibus salutauit, & in regiam introduci imperauit. Obtulit hic Regi Præfecti litteras sacerdos, simul & pia aliquod munuscula, vt Reliquias, imagunculas sanctorum, grana benedicta, aliaque quæ regi, vt vultu præferebat, gratissima fuêre. Aduentus huius non minus regi vtilis exstitit: cum enim à morte patris hactenus ab omnibus desertus & à suis contemptus domi se continuisset, ne quam improbis in caput suum coniurandi causam daret, simul vt opportunum, quo bonorum omnium consensu in regem coronaretur, tempus exspectaret; audito Præfectum Angolanum litteris illi de paterno esse regno congratulatum, & aduersus coniuratos opem pollicitum, tanto repente in omnium animis orta est mutatio, vt plurimi optimatum sponte illi regnum gratulatum venerint, & obsequium, quod hactenus distulerant, vltro detulerint. Soror interim, quam à parte habebat paterna, occultam aduersu-

Regi hæc grata & vtilis.

uersus illum machinata est coniurationem; in alterum enim fratrem tunc absentem magis propẽdebat, eiq; regnum delatum volebat. Tantũ porro illa auctoritate sua effecerat ac verbis, vt alter, dum nullum sibi putat aduersaturum, ad vrbem cum exigua hominum manu recta celerrime contenderit, vt priusquam aduenire nuntiaretur, coram adesset. Cognito igitur Angolanum præfectum fratri litteras misisse, Lusitanis omnibus qui in Congo versabantur, interdixit, ne quod Aluaro fratri auxilium aut suppetias ferrent; sin minus, ferro se obtenta victoria (quam sibi certam & indubitatam iam spondebat, & humanitus loquendo, non sine ratione; quam paucissimos enim secũ habebat Aluarus, nec ad cõflictum se parabat) in omnes animaduersurum, omniaq; illorum tẽpla altariaq; euersurum. Aluarus vero cum Deum exercitibus & prælijs sciret præesse, in que illius manu omnem omnium regum potentiam ac regna versari, precibus illum sibi propitium reddere studuit, & si forte illum haberet iratum, peccatorum præuia exomologesi, & sacro Christi corpore velut cælesti quadam armatura, magno animi ardore assumpto, gratiam illius & opem deposcere. Sacerdotem deinde Societatis Iesu, qui tum in regia versabatur, & ceterosqui in vrbe erãt sacerdotes, rogauit, vt postridie, Kalendis scilicet Augusti, quo die de summa re iacienda erat alea, sacrificijs & orationibus Deum propitium redderent, & victoriam ab eodem flagitarent. Quicquid in regia pretiosi habebat, sacerdoti nostro, quo asseruaret, aut, si forte profligatus occumberet, in pios vsus conuerteret, in manus tradidit. Ac tum primum bellico apparatui comparando incubuit; quod vero plurimos fratris partes sequi compertum haberet, & in caput suum conspi-

Frater illũ bellum minat.

Aluarus ad bellum se parat.

raſſe(neque enim huiuſmodi moliminū ignē quis celarit,quin indicio ſe prodat ſuo)quod etiā nonnullos ſuſpectos haberet, nefarios imprimis ac turbulētos homines,quibus parum fidebat, in regiā cōuocatos hacce oratione cōpellauit: Vidiſtis, crediderim,Proceres, fratrem nō legibus patrijs dūtaxat.ſed iure naturę etiā cōculcato ac violato, armata me fratrē ac regē ſuum manu oppugnare. Quāuis aūt natura in rerū nouitatē propēdeat,tūq; ætatis ſit feruētioris &rationis incapacis,tū quod lata animi cōtentione regno inhiet; nunquam tamen erigere cornua, & huiuſmodi quid machinari auſus eſſet,niſi hac in vrbe ſocios & rerū ſuarū cōſcios inſtigatoreſq; haberet.Hoc in cœtu, hocque in loco ſunt,qui illius partes mordicus tuēdo pro eodē decertēt:maius vt mihi meis cū ciuibus (ſi modo ciuiū digni nomine, remp. & ciuitatem qui euerſam volunt)quam cum hoſte(ita enim fratrē dicam neceſſe eſt,ita dici cum velit)ſit futurū negotium. Nouiſtis,credo,patre vos annuēte,qui tantis laboribus regni cōparati me heredem eſſe voluit,ſacramentū mihi velut regni ſucceſſori & heredi legitimo dixiſſe.Vos inquā me ſceptro dignum iudicaſtis,vos regni inuitum gubernaculis admouiſtis,vos reluctātem ac nihil minus ambiētem ſublimaſtis; itaq; verbis dumtaxat veſtris ac fide fretus morē geſſi, ac fututorum neſcius præſentia ſolummodo ſpectaui:an metu mei, an vero patris memoriæ conſeruandæ ergò hoc factum ſit neſcio,Sunt tamē permulti, qui vel odio mei,vel rerumnouarum mutationiſq; deſiderio, vel etiā forſitan ob rē aliquā momenti maioris,ſacramēti iuramentique obliti, quamuis corpore ſint in ciuitate,foris animo verſantur, & mente nos ſua oppugnant. Vt vero toti,& animi & corpore cum hoſte ſint,procul à bonorū ſegregati cōſortio, ne

qua n

quam illis improbitatis labem aspergăt, plenam absolutamq; abeundi & quocumq; se conferendi potestaté elargior. Ipse vero nó humanis viribus, sed diuino innixus auxilio, & causæ æquitate fretus (quamuis etiă inuictum Lusitanorũ robur mihi nó defuturum sciă) aut summa cũ æquitate, hoste cõfecto & superatis rebellibus, regnare hocce loco decreui, aut, si visum Deo, ius meũ ad extremum vsq; defendendo occumbere. sed in victoriă spes mea pronior est, ac certo mihi persuadeo, hosté quamuis instructissimum, quăprimum vt in cõspectũ nostrum venerit, metum cõsternatum fuga sibi cõsulturũ. Non enim ignoratis, eos qui secundis reb. insolescăt, & audaciam quandă temerariă preferunt, infirmioribus insultare ac cõtemnere, atq; hinc sępenumero ab ijsdé fundi fugariq;: eos vero qui in rebus aduersis inuictos se ostendunt, nec animũ despondét semper meliora sperantes, inimicis sæpius prequalere. Qui namq; causę æquitate prepollet, intrepidus & securus inire conflictũ potest. Hæc cum ingéti animo auctoritateq; singulari perorasset, ita omniũ permouit animos, vt permulti cõiuratorum qui aderăt, regis pedib. aduoluti, veniă supplices postularint, si quid in fide vacillădo cõmissum esset, se pro virili resarturos spõdentes, & vită coră illo in prœlio viriliter pugnădo malle exponere, quam vllo ei pacto aduersari. Nec inanis aut verbosa illorũ fuit pollicitatio; nullus. n. ex vniuerso illo numero, è prœlio, quod postridie cõmissũ, si nó occubuit, euasit illęsus. Atq; hoc nó inimicorũ viribus, sed nõnullorũ qui amicos se mentiebătur, perfidiæ est ascribendũ. Multi namq; in vrbe qui alterius partes sequebătur, remăserăt, hi cùm cõflictus ferueret, quămis inter regias turmas agerent, in extremo agmine hærétes clăculo in Regé ac suos tela emittebant: vt rex ma-

Egregium principis propositũ.

Proditores multo magis noxij quă inimici manifesti.

vt rex manifeſtè copias ſuas minui, & hoſtibus animos videret accedere; cauſam tamen horum omnium ignoraret. Bis regij in fugam acti, bis etiam reſumptis animis, vel pudore vel deſperatione exſtimulante, hoſtilia cornua aduerſo pectore perfregere. Ad extrema tãdem compulſi quid agerent, ignorabant; non deerat ſiquidem animus, ſed vires ob vulnera à tergo clanculo recepta, deficiebãt; nullus enim integro euaſit corpore. Quocirca longioris conflictus pertęſus frater regis, ſpemque ſuam differri ægrè ferens, Aluarum & oculis & voce, nominatim ad duellum illum prouocando per vniuerſas turmas quæſiuit. Nec vllus inueniẽdi fuit labor: in prima namq; ſuorum verſabatur acie ſtrenuè depugnans; & tum è regio ſchemate, tum è ſanguine qui vulneribus toto corpore acceptis emanabat (non tamen idcirco à ſtatione diſcedebat) facilè poterat dignoſci.

Duellum duorum principũ.

Cùm itaque eminus eum cõſpexiſſet, nudato mucrone rectà ad eum per tela per enſes, perq; ſclopetorum fragores, quos regij excitabant, properat. Non detrectat duellum & congreſſum, quamuis imparem, Aluarus; prævalebat enim alter viribus & magnitudine præſtabat, nullumque corpore vulnus exceperat. integer namque & rabie tumens, rebuſq; ſecundis elatus, ac ſpe plenus fratrem de medio tollendi regnoq; potiendi aduolabat. Aluarus dinina potius ope, quàm proprijs innixus viribus, victoriæ certiſſima ſpe cõcepta animo ingenti fratri ſe ſiſtit. Vbi in conſpectum ventum eſt propius, ecce regis frater efferueſcẽs elato brachio ictum parat, quo fratrem diſſecare putabat medium, vitaque ſpoliare. Sed dum elato brachio latus regi, ictum fraternum vmbone (quo in duas partes diſſecto, leue ſecundum manus vulnus accepit) excipienti denudat, enſe per coſtas transa-

trãsacto, solo deijcitur; & mox exspirauit. Hostilis acies, ducis audita morte, fugam capessit. sed frustra tentata fuga. Omnes enim elabendi vias iam regij præcluserant, vt quam paucissimi sint cõseruati. Regi adepta victoria ouãti Sacerdos noster, qui interim dum congrederentur acies, precibus in templo operam dederat, occurrit, eiq; victoriã ac prosperum successum est cõgratulatus. Humane benigneq; rex illum excepit, ac pariter D. Iacobi ædem, deinde D. Antonij, Deo immortales gratias acturi, adierũt, domum deinde vulnerum curandorum gratia concessit. Templum eodem quo frater occubuerat loco, cõstrui iussit; & mox, vt persanatus, quo templum citius assurgeret, cũ suis ad lapicidinas contendit; nec probro aut dedecori sibi putauit, regijs humeris lapides ad locum in quo ædes erat ædificanda, deferre; idque magnorum Christianorum regum ac principum exemplo, suos ad imitandum vt hoc pacto excitaret: nec vanum fuit augurium; secuta enim postridie regem regina cum suis, & omnis Lusitana nobilitas. Is fuit belli, adeo periculosi, & à quo omnis fidei Christianæ successus conseruatioque dependebat, exitus. Haud ita multo post Sacerdos noster, qui cum rege erat assiduus, à superiore in Loandam euocatus, regi valedicit; sed veniam is abeundi dare recusauit: cùm tamen violenter illũ se retinere non posse non ignoraret, summa illum humanitate dimisit, breui tamen se reuersurum, aut alius suo vt loco mitteretur, effecturum, pollicitum. Abeuntem rex viatico instruxit, & mille ei coronatos ad res necessarias Loandensi domui comparandas addidit. Quo vero fauore & beneuolentia vniuersam Societatem prosequeretur, edicto quodam publico, cuius hæc series est, patefecit; *Aluarus Dei gratia Congi rex*; Omnibus præsen-

Aluarus fratrẽ interimit.

Construi eodẽ loco, quo occiderat tẽplũ iubet.

Edictũ pro Socie. Iesu promulgat.

ſentes viſuris & lecturis notũ facinus; nos, obſe-quij quod Societ. Ieſu Patres Loandæ cõmoran-tes, Deo & animabus noſtrorũ, quos ad fidẽ Chri-ſtianam conuerterunt, tam in inſula Loanda, quã Corimba, alijsque regni locis, impendunt, intui-tu; conſiderando etiam doctrinam ſalutarem, qua populum imbuunt, ad quam docendam potiſſimũ à Rege Luſitaniæ miſſi ſunt, abſolutam illis, nemo vt refragari & impedire audeat, per regnum noſtrum docendi, ac cruces & templa erigendi poteſtatem concedere.

Volumus adhæc vt in omnibus portubus & pon-tib' ab omni ſint liberi portorio, ſimul & illi quos in ſuo habebunt comitatu, nemo etiam ligna tem-plorum aut domorum conſtruendarum ergò cæ-dentes, quocumq; etiam loco, impediat. Sed om-nibus ſubditis imperamus, & inprimis Mocolutis quibus portuum & fluminum cura concredita, vt prædictis Patribus, omni in loco obſequiũ & be-neuolentiam exhibeant; ac rebus neceſſarijs, dum docendi, confeſſiones excipiendi, concionandiq; gratia prouinciã obeunt, illos & comites iuſtru-ant; cum nullam horum omnium exercitiorum & functionum cauſa mercedem temporalem ſpe-ctet. Actum in ciuitate hac mea S. Saluatoris v 11. Iulij, Anno MDLXXXVII. Hæc diplomatis re-gis Congiani ſeries. atque hæc ſunt, quę de Con-go hactenus comperta fuere. Iam Angolanum re-gnum percurramus.

CAPVT VI.

De regno Angola; quomodo eodem Luſitani penetra-rint, & qualem fides hic Christiana ortum ha-buerit.

REgnum quod Luſitani modo Angolam nun-cupant, trans Congum eſt, ad meridiem. In-

colæ

colæ olim Ambondi, & regio Ambonda dicecebatur; & in multas diuidebatur prouincias, quas Mirindas vocabant, præerant his varij reguli, qui Sobas seipsos dicebant, qui cum plena absolutaque potestate suæ singuli præerãt prouinciæ, quãuis Regi Congi parerent. Sed abhinc centum aut amplius annis, vnus Sobarum Angola nomine, qui deinde Inena cognominatus, id est, magnus, Lusitanorum in Mirinda sua negotiantium ope subsidioque bellum ceteris Sobis intulit; hic singulos cum ex interuallo superasset, vectigales reddidit, sed prouinciæ sibi vniuscuiusq; dominium retinuit, atque hac ratione mirifice imperium propagauit. Ab eo tum tẽpore & hac de causa prouinciam, cui ille præerat, regnum Angolæ nuncupauit. Ad septentrionem Congo contermina est, ad quam olim spectabat; ad Occasum alluitur Oceano; ad Meridiem regno Matamanensi adhæret, quod crystalli varijque metalli feracibus venis abundat; ad Orientem deniq, Molembanos respicit. Angola porro argentifodinis refertissima est, ad victum necessariis abundat, animalium feracissima. Bobus & vaccis diues est. Nullã porro caninæ carnem prǽferunt incolæ, canũ enim greges hunc in vsum domi educãt, & epulis velut cibum sapidissimum apponunt. Venditum hic canẽ, Anglicano molosso non maiorem, ducentis & viginti aureis tradunt, cum viginti duobus scilicet mancipijs permutatum; singula enim mãcipia vix decem quis aureis compararet. Linguam habent Congianę admodum affinem, quamuis idẽ in pronuntiatione vtriusque sit discrimen, quod Lusitanos inter & Hispanos: alter tamen non intelligit alterum. Incolis regio abundat, tot enim singuli, more patriæ vxores habẽt, quot adlubuerit; adeo vt rex quàm breuissimo tempore centũ bellatorũ millia

Regnum Angola cur ita vocetur.

Fines illius & termini.

Canina caro ab Angolanis magni fit.

millia in bellum cogat. Arma gestant eadem propemodum quę Congiani, arcum, tela, & sicā. Omnes in bello sunt pedites, equos enim aliaq; animalia domandi artem ignorant. Conflictum inituri extendunt se quam maxime, quo cōmodius iaculentur, & hostilia tela huc illucq; cursitando deuitent. Prima in acie versantibus iam defatigatis, canitur receptui, nouiq; & integri succedunt; donec tandem tota simul acies cōferta in hostem feratur. Vexilla Europæorum instar vsurpant, tubas autē & tympana; nō item ex arboris enim cortice, quem corio conuestiunt, tympana parāt, quę deinde malleolis eburneis pulsant. In prœlijs varia instrumenta musica vsurpant, quibus suos ad arma concitent, & animos suggerant. Inter cetera cymbala pulsant lignea, quæ tubarum nostratium ritu horrendum dant sonitum; est & aliud instrumenti genus pyramidis inuersæ formâ, cui plurimos circumquaq; circulos ansasq; annectūt, quos baculo ad numerum pulsant. Varia insuper adhibent cornua, tum magna tum parua, è cauatis elephantum dentibus confecta, quæ, ceu tibię nostrę, perforata & delectant & in bella exacuunt. Singuli duces plurima secum ad bellum instrumenta militaria deferunt: si enim prœlij signum cunctis dandum, maiora pulsari iubet; sin vero vni dumtaxat turmæ, minora; & eorum maiora, si turma copiosior; si minor, minora; adeo vt singulæ militum turmæ suum habeāt signum, & ipse belli imperator tot secum signa habeat, quot turmas bello explicat. Quam igitur in aciem emittere decreuit, illius signum pulsat; quę mox suo vicissim, paratam se vt significet, respondet. In primam aciem conijciūt velocissimos quosque, qui campanulas è cingulo gestant, quibus & se & alios non minus ad strenuè pugnandum exhortātur. Duces pileo-

pileolos gestant struthionum,& pauonum pennis circumcinctos: pectus ferrea, quæ ex humero dependet,catena,& sub vtraq; axilla antrorsum decussatim deducitur,communiunt;quæ quo grauior, eo & honestior: ansularum spissitudo articularem viri mediocris digitum exæquat; femoralia gestant ad genua vsque dependentia, at inferne dependet tunica, quæ ad mediam vsq; pertingit tibiam, laciniam vero vtramque anteriorem cingulo affigunt. ceteri vero nonnisi à pube ad vsque genua tecti sunt,cetera nudi. Rex bello nõ interest, sed omnem suam in alium potestatem transfundit. Belli imperatore occumbente ceteri in fugam se dant. Exercitum si quando rex conscribit, omnes armis ferendis idoneos etiam inuitos & reluctantes in bellum cogit. Quoniam autem ingens bellatorum est multitudo, nec ad sarcinas conuehendas equis vtuntur;hinc commeatum qui longo tempori sufficiat, nunquam habent; hinc nõ procul à sedibus suis bellum gerere solent:alioquin,omni commeatu absumpto, re infecta,fame propemodum enecti,domum redire compelluntur,vt & plurimi etiam per viã inedia & ærumna confecti exspirent. Augurijs, Romanorum more, credentes bellum suscipiunt; si de parte lęua aues volarint, & ferali cãtu terrorem incusserint,domum re infecta discedũt, etiam ad pugnandum paratissimi, triste hoc & ominosum arbitrati.

Omnes armis ferẽdis idonei ad bellũ cõscribuntur.

Præerat his olim Congi rex, omnesque eum Sobæ vt caput ac Principem habebant;at vbi Angola Inena,de quo supra actum, ceteros prouinciarum dominos subegisset,supremam sibi potestatem ac dominium vsurpauit;adeo vt tanta illius sit hodie potentia,quanta Congiani. interdum tamen illi tributum,sed voluntarium pẽdit, vt si

Lusitanorũ cõmercium in Angola circa mancipia.

vt si nolit, non pédat, illius aut amicitiam aut hostilitatem parui ducẽs. Nullum Lusitanorum cum Angolanis est commercium, nisi mãcipiorum, quę deinde in Brasiliam saccari parandi gratia, vel in Lusitaniam & aliò, vt in auro argentoq; eruendo laborent, deuehunt. Quamuis autẽ permulta hinc quotannis educantur, licet quoque bello aut domestico aut cum Lusitanis plurimi occũbãt, propagãtur tamen & crescunt mirum in modum, tum quod mulieribus abundẽt, tum quod calida & humida sit regio, Hæc quidem Lusitanorum negotiatio nõ adeo pia aut tuta est quoad cõscientiã; sępè enim qui venduntur, nõ serui sed liberi sunt, ac vi abrepti aut inique inseruitutẽ redacti. Quod vt fiat manifestius, sciendum in singulis Angolæ Mirindis siue prouincijs, quatuor hominum esse genera. Primi sunt Mocotæ, qui nobili in Angola loco nati sunt, atque ideo liberi; secundi, qui ex Mirindæ illius originarijs prognati sunt, qui proinde filij prouinciæ dicuntur; sunt horum pleriq; opifices & mechanici, sed liberi. Tertij qui sunt Quisici, id est, iuxta vim verbi, serui & mancipia Mirindæ, qui eiusdẽ regulo velut patrimonium quoddam annexi sunt, ideoq; hæreditaria quodãmodo successione ad dignitatis successorem, velut bona patrimonialia, deuoluuntur. Quarti denique sunt aliud mancipiorum genus, quod Mobicas appellãt; hi sunt quos Sobæ alijque ciues sibi vel iure belli vel persoluto pretio, alijsque rationibus comparant. Erant hi in vsu etiam priusquam Lusitani eodem nauigarent: qui plura apud illos habuerit mãcipia, habetur ditior, quod eorum opera & in terra colẽda, & in re domestica, vtantur; quin & in rebus necessarijs emendis sunt vsui, dum illa cũ alijs mercibus permutãt. Ipsi quoque patres, quãuis ditiores, filios diuendere graue nõ ducũt, præsertim

Quatuor hominum genera inter Angolanos.

fertim si è ferua prognati sint; hinc Lusitanos sæpe mancipia nancisci contingit, quæ Sobarum aut filij aut cõsanguinei. Ipsæ etiam puellæ, ipsas sibi despondentibus venduntur, dum illarum loco aut mancipia aut boues aliaque similia persoluunt; adeo vt hic mariti vxores pretio comparēt. Bello qui capiuntur, in seruitutem abripiuntur, & sępe præter omne fas & nefas; Sobæ enim non aliam ob causam se mutuo bello lacessunt, quam vt imperij limites extendant. Multi, etiam è duobus primis generibus, ob leues quasdam noxas, vel parentum, sæpe in seruos veneunt. Si enim vel minimam Soba suspicionē concipiat, aliquē sibi subditorum iniuriā irrogare velle, aut aduersario in bello auxiliū ferre, nō hunc modo vel occidit vel in seruitutē abripit, sed omnes etiā illius cõsanguineos & necessarios. Quod vero iniquissimum, nulla de criminis veritate falsitateq; habetur quæstio, sed Sobæ, vel vnius etiam testimonio certissima habetur fides. Si quis de veritate, secus ac Soba retulerit, testimoniū ferat, cõfestim neci datur, vel vnà cum omnib. suis seruituti traditur. Leges habēt iniquissimas: solus rex pauones alit, & plurimos quidē; ideoque legē tulit, ne quis, nisi cū cognatis mortē vel seruitutē subire omniaque bona fisco adiudicari velit, pennam hinc auferat. Statuit adhęc, vt quicunq; cucurbitas, è palmetis suis dependētes, è quibus vinū quod emanat colligit, tetigerit, eadē pœna cū omnibus suis multetur. Sunt hic & cõsuetudines in vsu nō minus barbaræ & iniquæ, quā quas retulimus leges; siquis Sobæ etiā vel minimū debēs demoriatur, oēs illi filij mox in seruitute abripiūtur, etiāsi pretiū illorū infinito interuallo debito sit maius. Esse ferunt in Angola locū, in quo publice caro humana, vti apud nostrates bouilla aut veruecina, diuēditur; si q

Plurium Angolanorū seruitus iniqua.

Angolanorum leges iniqua.

Feritas quorundā Angolanorum.

man-

mancipium viuum tanti non veniret, quanti mortui caro, mactatur & cibo destinatur; ad eo vt leui sæpe de causa homines, barbara quadam feritate, mactentur. Hæc aliaq; quæ infra narrabuntur, Lusitanorum cum illis agentium & Societ. Iesu Patrum, qui ad eosdẽ fide Christi imbuendos eodem missi sunt, relata accepta sunt; è quibus hæc cum hausisset Ludouicus Molina eiusdem Societ. Iesu Theologus præstantissimus, ac sæculi nostri facile doctissimus, in suum de iustitia & iure tractatum eadem retulit. Sed iam satis de illorum moribus & institutis locuti sumus; iam disquirendum restat, quonam apud illos modo suum Lusitani imperium propagarint.

Tractat. 2. disp. 34.

Insula Loanda fertilitas & opes.

Congi rex mox vt Christianorum sacra susceperat, Lusitani eum Congianis frequentiora inituri commercia, varia eiusdem emporia portusque adiere. Hinc nonnulli ad Insulam Loandam peruenere, quæ nono gradu & dimidio Latitudinis australis est, haud procul à finibus Congi ad ostium duorum fluminum, quorum quod Septentrionem respicit Bengius, quod Meridiem, Coanza dicitur, atque hoc modo Congum ab Angola discriminat. Loanda quamuis exigua, diues est & incolis abundat; conchyliorum, quæ nummorum loco in Congo vsurpant, hic frequens piscatus, vt ante dictum; & quæ ad vitam tolerandam necessaria sunt, suppeditat quam copiosissime; pecore enim abundat. Per siluas passim hic vagantur copiosi caprarum, ouium & aprorum greges: ora maritima etiam pisculenta, trichiæ hic frequentes, vt & aquis exsiliant, & in littore etiam hieme capiantur. Septem pagos cõtinet, quos inquilini Libatas nuncupant, quorum primario Lusitani S. Spiritus nomen indidere; atque in hoc regis Congi præfectus commoratur. Præcipuus Loan-

Loandæ portus ad Septentrionem eſt, quingẽtos in latitudinem patens paſſus,& profundus quàm maximè. Haud procul inde pagus erat olim, quẽ Luſitani cum ſuis incolebant; ſed is in vrbem S. Pauli dictam nomine mutatus, in qua Societate Ieſu ſacerdotes domum nunc & Reſidentiam habent,qui anno MDLXXVIII. eodem, vt ſuo loco dicetur,commigrarunt.

Luſitani qui in Loanda negotiabantur,cùm notaſſent,flumen Coanzam nauigiolis poſſe procul ab oſtio enauigari,ſæpe aduerſo flumine vlterius contenderunt,vt cum vtriuſque ripæ habitatoribus commercia inirent; hinc fiebat vt interdum in interiorem regionem ſua vendituri,& mancipia empturi penetrarent. atque ita tandem ad aulam Sobæ cuiuſdam peruenere , quem Angolam dicebant,cui plurima obſequia & inſignem operã præſtitere. Horum enim ope induſtriaque Sobas ſibi finitimos ſubegit,& totius regionis dominiũ obtinuit,quæ à ſuo nomine Angolæ hodie nuncupatur.At quod Luſitani,qui hic operam ſuam impenderãt,tum in Luſitaniam, tum in Loandam Inſulam abijſſent,videbat rex eos in Angola ſacerdotum defectu cõmorari noluiſſe: quocirca à Luſitaniæ rege ſacerdotes ſibi mitti poſtulauit,ſe nãque in Chriſtianam religionem propendere. Rex Luſitanus cum ſincerè & candidè Angolanum agere putaret,aliquot ſacerdotes tũ ex D. Thomæ inſu la,tum è Luſitania,&inter alios quẽdam Ordinis Ciſtertienſis religioſum , in Angolam nauigare iuſſit.At quod vnicum barbarus hic Luſitanorum in ſua ditione ſpectaret cõmercium,&eorum opera imperium ſuum cõfirmare vellet,de animæ ſalute parum ſollicitus,nullum è Chriſtiana hac miſſione emolumentum ſecutum eſt: vt ſacerdotes,re infecta,& nemine ad Chriſtum conuerſo,

Quomodo Luſitani cũ Rege Angolano agere cœperint.

partim emorerētur, partim in Lusitaniam reuerterentur; relictis tamē calicibus & apparatu quodam sacrorum; Rege forsan barbaro sibi hæc retinente, dum vel sperat alios hac de causa eò libentius concessuros, vel cupiditate exstimulatus hæc in rem suam reseruat. apud illum enim hæc postea reperta. At cum videret, Lusitanorum cōmercia intermori, nullum in Angolam appellere, nec eorum opera imperium se posse suum propagare; nouam ad Ioannem III. Lusitaniæ Regem, anno MDLX. legationem destinat, summa animi contentione rogans aliquos vt sacerdotes in regnum suū mitteret, qui tum se tum suos veri Dei cultum edocerent; incredibili se namq; Christi fidei amplectendæ desiderio teneri, daturumque operam, subditi eandem vt amplecterentur. Quo vero petita concederet facilius, temporali etiam emolumento illum illicere decreuit; & argenti fodinas, quas Angola habet fecundissimas, vt quantum & quoties vellet erueret, offert; adhæc vt quæ ipse vel Lusitani vellent mancipiorum in Angola emendorum potestatem concessit. Rex Ioannes cum summa gratulatione & honore hosce legatos excepisset, illorum voluntati breui morem gessit, ac petita concessit. Quatuor enim illis Societ. sacerdotes, regio quo desiderio fidei Christianę (vt dicebat) amplectendæ satisfaceret, reuertentibus socios dedit. Addidit etiam legatum suum Paulum Diazium virum domi nobilem, magni illius Bartholomæi Diazij, qui abhinc centum & decem annis Bonæ spei promontorium detexit, nepotem.

Ioann. III Lusit. rex quatuor illi Socie. Iesu sacerdotes mittit.

In Angolam cum legatis cum venissent Patres, cognouere legationis auctorē Angolam Inenum interea temporis obijsse, eiusque in locum filium Dambium Angolam successisse; idcirco ad illum velut

Paulus Diaz. legatus regis Lusitā. ad Angolanū

velut ad paterni regni successorem contenderũt. Magna, vt apparebat, humanitate affectuq; Regis Lusitaniæ legatum & sacerdotes excipiebat in ciuitate regia Cabaca: postea vero, auaritia & inconstantia motus, audito legatum & Lusitanos socios varias secum attulisse merces, quas cum mancipijs in Lusitaniam deuehendis permutarẽt, has sibi nequiter vsurpat & arrogat, mancipia earum loco se persoluturum asserens. Vti & persoluit, sed vaferrimo consilio; nam postea eadem abstulit, non quod mancipiorum recuperandorum esset auidus, sed vt hac ratione Lusitanorum reditum in patriam impediret. Quin & omni eos facultate spoliauit: quam iniuriam permulti ægerrimè ferentes, præ tristitia & mœrore vitam amisere; aliquot tamen eius manibus cum elapsi essent, in naues, in Loanda quæ erant, se receperunt: Legatum tamen & duos Societat. Sacerdotes inuitos deterruit, dum illorum occasione Lusitanos libentius sperat in Angolam venturos. Alij duo sacerdotes haud multo post in Angola, ob aeris inclementiam aliasque iniurias & miserias, demortui sunt, & aliquot etiam Lusitani, vt quampaucissimi in patriam sospites reuerterentur. Legatus & duo Societat. Patres, cum aliquot alijs Lusitanis ibidem detentis, omnem, etiam Regis Lusitaniæ ope implorata, elabendi occasionem quæsiere. Sed effectu res caruit, donec tandem barbarus, legatum & alterum Sacerdotem in Lusitaniam dimisit, altero velut obside relicto. Spondebant siquidem se in Lusitaniam reuersos, apud Regem negotium tam feliciter in rem Angolanam acturos, vt quidquid peteret, obtineret. Dulcibus hisce verbis inescatus barbarus vtrumque custodia educi imperauit. Moritur interim Patrum alter,

Cum duobus Soci. patribus detinetur.

Captiuitate educitur

A Sebastiano rege obtinet potestatem iniuriam illatam vindicandi.

obses, Franciscus Gouea dictus tristis & peracerbi exilij casum & iniquam detentionem pertęsus.

Paulus Diazius in Lusitaniam reuersus, cũ à Rege Sebastiano iniuriæ Lusitanico imperio irrogata vindicãdæ potestatem, anno MDLXXVIII. obtinuisset, copias conscripsit, prçter eos qui spõte sua in expeditionem nomina dabant, quod fama esset, quæ nec postea mortua est, argenti venis Angolam scatere. Dederant qui regis conscientiæ præerant Diazio normam, quam priusquam regi Angolano bellum inferret, seruari præceperãt; quæ si executioni mandat fuerit, nulla æquioris belli reperiri causa queat. Comitabãtur Diaziũ aliquot Societ. Patres, quæ ducis simul & militũ confessiones exciperent; qui in hunc vsq; diẽ eamdem ob causam numquam in Angola defuere, ac plurimos incolas, vti postea dicendi locus erit, ad fidem Christi cõuerterunt. Imperator igitur cũ suis in Insulam Loandã cum appulisset, ad aliquod ibi dies hęsit; interim nuntius allatus Dambium Angolam, qui insignem illam iniuriam intulerat, obijsse; & eius in locum, nepotem Quilongum Angolam, successisse; huic igitur egregiũ donarium misit, quod Lusitanię Regis nomine auo suo Dambio Angolæ detulisse significauit, simul & respõsum ad litteras quas Regi Lusitaniæ scripserat; sed quod illius loco ipsum regnare comperisset se successori illa mittere. Munere hoc alijsque obsequijs, quæ Diazius Regi demonstrabat, veteris amicitiæ commercijque iura inter Lusitanos Angolanosque renouata; adeo vt regi, quoties Sobis suis bellum inferret, egregiam operam nauarent. Ad quadriennium inuiolata & integra hæc stetit amicitia, nulla vt vtrimque inferretur iniuria, sed alter alterum mutuis præuenire officijs cõtenderet. Sed interim Angolæ ceu, audito magnã mercium

Quomodo feliciter gesserit.

cium vim Cabacam, (quæ regni caput & regia) tredecim aut quatuordecim nauibus delatam esse, quibus triginta, aut vt summum quadraginta præerant Lusitani, (nam mercibus exoticis inhiant barbari;) auaritiæ œstro exagitatus, obuios in plateis Lusitanos qui merces detulerant, (vt nõ nulli scribunt) interfici iubet, sibiq; omnia arrogauit. Aliorum tamen est sentẽtia, eum quod diffideret, omnes simul Lusitanos qui cum mercibus ad regiam appulerant, se posse superare; varias se expeditiones per manibus habere finxisse, ideoque eorum operã, postulando huc decẽ & illuc quindecim, atq; alios alio misisse, & à se mutuo distractos à barbaris interfici iussisse. Quo demum cumque modo res gesta, rex tantæ stragis & auctor & suasor: vt vero aliquo honestatis prætextu tantam veritatem palliaret, exploratum illos aiebat, non venditum merces, & sub mercium diuendẽdarum colore, regem iugulatum venisse; vt regno perturbato & motibus facescente ceteri, qui in Loanda commorabantur Lusitani, imperium inuaderent. Sed friuola hæc & mendacia. Quis enim credat, tãtillum hominum numerum tam arduum, in regni meditullio, & Angolanis vndique circumseptum negotium aggredi ausum? Alia igitur cædis huius dari causa nequit quam inexplebilis barbari auaritia. Cui cum non esset satis, Lusitanos innocuos nefariè obtruncasse, eorumque merces inique vsurpasse, Paulum Diazium oppugnare cœpit; qui cum tantam barbari perfidiam nequitiamque cerneret, defendere se & iniuriam Lusitanis omnibus illatam vlcisci statuit. Omnes itaque quos reperire potuit Lusitanos, quam citissime conscribit, quos triremibus duabus quas proprias habebat, alijsque nauigijs quæ in Loanda erant, imponit. Classem hãc aduerso flumine Coanzam subire iussit

Paulus diaz bello regem Angolanũ vexat & multũ terra occupat.

ſit, omneſque regulos & Sobas quos in ripa citeriori Angolam reſpiciente reperiebat, Luſitaniæ regi aut amicos aut tributarios reddidit. Rex inopino caſu conſternatus & læto hoc ſucceſſu perculſus, veritus ne omnes Angolani ſponte ſe Diazio, qui & opibus affluebat & munificentia præſtabat, dederent, ingentẽ ilico conſcribit exercitum, impetum Luſitanorum propulſaturus. Diazius comperto ingentes Angolanum collegiſſe copias, Congi Regem vt ſuppetias ferret rogauit, qui ſexaginta illi mox bellatorum miſit millia, quibus Sebaſtianus Manibamba regis affinis præerat, quin & centum ac viginti Luſitanos, regij corporis cuſtodes, vnà cum eorum duce, quibus omnibus ſtipendia, nondum merita perſoluerat. vniri hæ copiæ cum Diazij copijs debebant, ſed quoniam onerariæ, quæ eoſdem per Bengum flumen quod tranſeundum erat, quodque tribus à Loanda diſtat leucis, tranſmitterent, ad manum non eſſent; viderentque duces minoribus cymbis nonni ſi magna cum difficultate & temporis diſpendio tantas copias traijcere poſſe: aliud iter ingredi, & per terram cum Diazij ſe copijs coniungere decreuerunt. Cum itaque Bengi ripam ſequerentur, in hoſtiles incidêre copias, quibuſcum frequenter manus conſeruere, penes Congianos tamen ſemper manebat victoria, magna vtrimque editâ ſtrage. At quod comeatus inopia Congianos premeret, domos quiſque ſuas fame & morbis ex inedia prognatis confectus, repetere coactus fuit. Hoc ſibi auxilium cum nulli vſui fuiſſe cerneret Diazius, Coanzam traijcit & in Coanzæ & Luyolæ confluuio, in inſula quam efficiunt vtrumque enim flumen iam coniunctũ iterum ſeparatim ad teli prope iactum fluit, ac deinde rurſus coniungitur) naturâ loci ſatis munita

Copia Cõgianorum qua Paulo Diaz auxiliatum venerant, reuerſa.

nita, in colle quodam qui confluuium fecit, arcem exstruit. Insulam hanc nemo tum incolebat, sed iam vrbem habet, Massagam, à Lusitanis exstructam, quæ illis admodum commoda; hinc enim facilis est mari nauigatio; terra quoque tutum patet ad quinquaginta leucas iter. Haud procul hinc sunt etiam montes Cambambes, argento fecundi, quos occupare Lusitani, illos vero hinc pellere Angolani conabantur; metuebant enim, ne patrijs opibus ditati Lusitani validius incolas oppugnarent. At vbi Angolæ rex Lusitanos vidit hic se communijsse, nullumque se ijs inferre damnum posse, exercitum dimisit.

Cambãbes montes argenti feraces.

Diazius anno 1580. eosdem inuadere dum parat montes, regionis interiacentis incolæ de illius expeditione certiores facti, magnis collectis copijs, iter impedire illius conabantur, sed à Lusitanis in fugam acti ac profligati fuere; qui vlterius prouecti nullam itineris ab hoste remoram habuere. Sed non sine dispendio domestico; plurimi enim cœli inclementia, & morbis Autumnali tempestate grassari solitis exstincti sunt; adeo vt iter interrumpere, & in Coanzæ ripa vallum contra barbarorum insultus exstruere coacti sint.

Lusitani illos parãt inuadere.

Secum duxerat Diazius quemdam Societatis IESV Sacerdotem, qui militibus & sacra administraret, & Confessionibus eorum vacaret, hic quamuis eodem morbo affligeretur, ægris tamen adesse non cessabat; cumque præ imbecillitate non valeret incedere, mancipiorum opera in militum tentoria, eorum vt Confessiones exciperet, aut morientibus salutaria monita daret, gestabatur. Sed egregiam præstitit operam in militum animis, qui à se inuicem discordes erant conciliandis: adeo

enim alter in alterum exardebat, vt instructa aciē partes concurrere voluerint, & iam diē crastinam conflictui cōstituerint. Sacerdotem nostrum hoc intestinum odium & conflictus indictus non latebat, quare nocte praecedenti praecipuos vtriusque factiōis adit duces, & diuina fretus ope ita vtrosque conciliauit, omnis vt odij fomes sopitus sit. Hæc dum per eos dies gererētur, & Lusitani duas hebdomadas ibidem essent ob pluuias assiduas commorati, iter cœptū ad montes rectâ prosecuti sunt. Cùm quarta tantum leuca à montibus abessent, infinitæ Angolanorum copiæ in itinere conspectę sunt: Lusitani mox se in loco commodo, quod nauigijs adiri posset, (Mocūba loco nomē) cōmuniere; hunc Angolani obsedere quàm arctissimè. Imminutus admodum iam erat frequentibus morbis Lusitanorum numerus, & indies etiā minuebatur; vt triginta vix dierum spatio cētum Lusitani & quadraginta sint mancipia exstincta; ceteri vero adeo confecti & exhaustis viribus fuere, vix vt ægra membra traherent. Vrgente tamē necessitate, resumptoque animo vires languidas confirmantes, strenuos se in hoste depellendo oppugnandoque exhibuere, vt quoties excursiones facerent, fuso semper hoste domum reuerterētur. Quod vero protraheretur obsidio, indiesq; grauior videretur, plurimis defensorum vel morbo vel conflictu exstinctis, & iam è trecentis qui è Loanda discesserant, vix centum armis ferendis idonei recenserentur, animum pene obsessi desponderant. Exspectabant indies auxiliares Congianorū copias, miserat siquidem Rex septuaginta hominum millia, qui obsessis suppetias ferrēt, quorum accessione non modo liberandos, sed & hostē debellaturos certissime sperabant. Sed nuntius interim adfertur, auxilia Congianorum ab Angolanis

Arctè obsessi ab Angolanis.

fusa

fuſa & profligata fuiſſe. Hac itaque cum ſpe excidiſſent, & res peſſimo eſſet loco, quiſque de ſalute cœpit cogitare. Plurimi itaque è caſtris clãculo fugientes, in Loandam Inſulam conceſſere; ſocijſque quo in periculo Luſitani in Mocumba verſarentur, enarrarunt. Societatis Ieſu ſacerdos, qui in Loanda tum forte hærebat, cum perſpiceret, non Luſitanorum modo, ſed Chriſti etiam rẽ ſummo in diſcrimine tum verſari, Luſitanos omnes qui in Loanda commorabantur, magna animi contentione exhortari cœpit, ſocijs ſuis in extremo periculo verſantibus vt ſuccurrerent, expeditionis ſe futurum ſocium, & eandem ſortem ſubiturum. Tantum ille ſua apud eos oratione profecit, omnes vt in expeditionem quam libentiſſimè nomina dederint. Horum aduentu creuit obſeſſis & animus & audacia; excurſione enim facta inſignem hoſtium ſtragem edidere, reliquos in fugam compulere. Inciderat hæc victoria in diem Natali Ioannis Baptiſtæ ſacrum, quem ſingulari Luſitani cultu perſequi ſolent, quod ſacræ apud illos equitũ militiæ patronus ſit: huius itaq; precibus ac meritis egregiam hanc victoriam acceptam retulere, ideoque locum S. Ioannis nomine donarunt. Tanta quoque illorum obſidij tempore fuit pietas, vt nunquam, niſi peccatorum ſacerdoti, quem ſecum habebant, confeſſione præmiſſa, & ſacra Euchariſtiæ communione accepta, manus cũ hoſte conferrent; mirũ vt non ſit, tam ſingularem ijs cœlitus de hoſte victoriam collatam eſſe. Tãtum hæc Angolanis terrorem iniecit, potiſſima vt regni pars in Luſitanorum manus venerit, plurimique Sobæ vltro in eorum poteſtatem conceſſerint, atque horum nõnulli hac occaſione ad Chriſtianorum religionem tranſierint. atque inter ceteros Soba Banzanus, Regis gener, qui fratrẽ filiũque

Auxilia nãciſcuntur & inimicos pellunt.

Cõuerſio Soba Banzani regij generi.

que natu maiorem ad sacerdotem, qui cum Lusitanis erat, baptismo lustrãdos præmisit, simulque exoraturos vt ad se prima occasione, docendi baptizandique sui gratia, excurreret. Nec differendum iter ratus Pater, quamprimum se in viã dedit. Quotquot in itinere idola habuit obuia, deiecit & eorum loco crucem Christi erexit, incolasque vt ad Christiana sacra transirent est exhortatus. Sexaginta quinque in hoc itinere baptismo expiati. Sed relatu dignum est, quod cum mago quodam illi in itinere negotiũ fuit. Hic quamuis vir, muliebri vestiebatur schemate, cæsaries promissa & crispans per collũ dependebat; vt numen quoddã eũ suscipiebant barbari, & sanitatis & pluuiæ eum largitoré credebant, quæ dũ luberet, dare & tollere poterat. In hunc cũ sacerdos noster incidisset, cur fœmineo vestitu vtatur, rogat, vir cum foret. Respondit, genium qui vniuscuiusq; sortem & fata prænuntiare solet, matri prædixisse, se nisi sexum mentiretur, propediẽ emoriturũ, atq; ideo muliebrẽ se togam induere. Mox illi cæsariẽ præsecat Pater, atq; omnes impiæ superstitionis characteres & signa remouet. Et ecce rem miram, tanta derepente pluuio cælo delapsa, omnes vt sub tecta concederent; Sacerdos vero magum vinctum sub dio reliquit, perplutum & omniũ ludibrio expositum; à pluuia, si posset, se tueretur, dicens, cũ sua ipsius sententia pluuiæ & auctor & largitor esset. Inde ad aliũ pagum contendunt, cuius dominus iam ab hinc annis aliquot fidẽ Christianã susceperat. Hic Crucis signum plantatum & templi cuiusdam fundamenta iacta, idque tanta Christianorum diligentia vt ad culmen breui perductũ sit, & sacra sacerdos etiã priusquã inde discederet celebrarit. Toparcha loci incredibilẽ ex idolorũ euersione lætitiã capiebat, & narrabat duo sibi ob pium

piũ hoc opus beneficia eximia cælit⁹ collata. Prius enim quãChristianã fidem suscepisset, omnes illi agri inaudita ariditate quotannis exedebantur, at postquã eandem amplexus est, & idola cõminuit, numquã sibi optatã pluuiæ irrigationẽ, eo quo indigebat tempore defuisse; vicinis tamẽ qui nõdũ fana idolaq; destruxerant, huius beneficij expertibus. Deinde referebat, hippo potamũ quẽdã (quos aquis egressos mirã in terra tũ animaliũ tũ hominũ stragẽ edere, & obuia queq; destruere diximus) qui suos sæpi⁹ infestare solebãt, ex quo Christianę fidei accessisset, sine vllo negotio, aut alicui⁹ dano (quod miraculi ille loco tenebat) interfectũ. Sacerdos noster, cũ nõ procul esset ab oppido, in quo Soba Banzanus cõmorabatur, à quo euocatus erat, in itinere illũ obuium habuit; honoris enim causa obuiã processerat, & elata orationẽ Dominicam aliaq; Christiana documẽta voce decantabat. Mirifice hoc Sacerdotem nostrũ recreabat, qui à catechumeno incredibili animi alacritate & honore excipiebatur. singularem namque illi aliquot, quibus apud ipsum hæsit diebus beneuolentiã exhibuit; interim plurima quæ circũquaque colebantur idola, destructa & igni tradita. hic cum satis iã Christianus mysterijs videretur imbutus, in Lusitanorũ castra, quo maiori põpa solẽnitateque ei baptisma cõferretur, perductus est. Magna hic ducis omniumq; militũ gratulatione & gaudio ac festo bõbardarũ, tubarũ, tibiarũ, ac tympanorũ fragore ac cõcẽtu exceptus est. Postridie quã aduenit, baptismo admotus est, & ducis nomine Paulus, (dux nãque Paulus Diazius de sacro illũ fonte suscepit) vocitat⁹ est, Vt vero illi⁹ exẽplũ ceteri Sobę sequerẽtur, dux regis Lusit. nomine, facultatẽ illi arcũ regiũ gestandi dedit, ideoq; more patrio, dux AEthio. creat⁹ est: soli quoq; illi cõcesũ, corã

Fides Christi temporaliũ successũ prosperũ dedit.

Soba Banzanus baptizatus.

Lusita-

Lusitaniæ regum prætoribus in solio peristro: natis cooperto sedere; quod hactenus AEthiopum nulli datũ fuerat; sed quod Sobarum Angolanorum primus fidem Christianam adijsset, quam ceteris maiora illi collata sunt priuilegia. Hæc vnius è duobus sacerdotibus opera peracta sunt.

217. homines baptizantur

Alter, qui anno & bimestri in Lusitanorum castris hęserat, postquam in Loandã redijt, baptismo quodam sollenniori ducentos ac septemdecim Christo adiunxit. Tanto porro Catechuimeni hi baptismi recipiendi ardore ac desiderio tenebantur, vt cum sinum quendam maris, quo in Loandã peruenirẽt, traijci oporteret, & nauigia quib. oẽs simul trãsmitterẽt, nõ sufficerẽt vxoribus & filijs ijs quas habebant cymbis impositis, viri æstuariũ hoc latissimum nataru traiecere; non tamen sine euidenti vitæ periculo. magna enim hic Tuberonum (quibus dentes sunt acutissimi, quibus natantium tibias integras cum femore præmordeant) copia. Sed non sine singulari Dei beneficio sospites omnes Loandæ littora adnatarunt. Idem quoque sacerdos ad alios quosdam Coanzæ accolas, qui in arborum corticibus cõmorantur, & cãcros tam parum abominantur, vt cubantibus illis & cœnãtibus faciei & ferculis superinambulẽt, graue aut tetrum nõ ducant; excursionem fecit. Quadringentos hic Christo, sine pueris, adiunxit, & baptismo tinxit; plurimis quoque in locis, idolis ad terram deiectis, salutare Crucis signum erexit.

Item alij quadringenti.

Dici non potest, quantum Sobæ Banzani cõuersio rei Christianę apud Angolanos incrementum dederit: permulti enim illius exemplo commoti, oculos aperuere, & rei Christianæ participes fieri summopere desiderarunt. at quamuis incredibilem permulti fidei suscipiẽdæ ardorem reipsa demonstrarẽt, baptismum tamen illis cõferre parũ consul-

consultum videbatur, ne, quod nullus esset, qui in fide suscepta neophytos conseruaret, ad priores superstitiones & patrias cõsuetudines deinde relaberentur. In vniuersa enim regione, eaq; latissima nonnisi tres Societ. Patres erant, qui ne Lusitanis, nedum AEthiopibus satisfacere poterant. Tamen anno Dom. MDLXXXIV. mille sunt sacro fõte abluti, qui in vicinia haud procul inde habitabant, ac proinde facilè ad illos, si quãdo indigerent, fieri excursiones poterant. Sed accessit mox baptismus, qui tum ob ob baptizandi dignitatem, tum ob causas quibus ad eundẽ permotus est, singularis fuit. Regulus quidam Angolanus, in cuius ditione vixerat, quam Lusitani in Mocumba construxerant, cum ab hinc biennio plus minus, fidei rudimenta, quæ baptizandos scire oportet, edidicisset; in grauem prius incidit morbum, quam baptismo tingeretur, adeo vt exigua de vita illius spes superesset. De cuius inualetudine Diazius & Societ. Sacerdos quo docente fidei rudiméta perceperat, certiores facti, per nuntium ab eodé postularunt, annon prius quam è vita discederet, baptismum recipere velit. Tantum vero nuntius ille huic gaudij attulit, vt ab illo tum tempore habere cœperit meliusculè, & pristinæ breui sit valetudini restitutus. Confirmatis igitnr viribus idola euertit, ac mox vnà cum vxoribus, filijs familiaribusq; baptismo lustratus. Omnes deinde vxores repudians, vnã legitimo sibi matrimonio, iuxta Ecclesiæ cõsuetudinem, copulauit. Incidit Baptismus hic in diem Deiparę natali celebrẽ; anno salutis hamanæ MDLXXXIV. qui magna fuit sollẽnitate & põpa collatus. Omnes siquidem catechumeni albis induti, & veste serica, palmas manu prę ferentes lõga serie præcedebant. nõ fuit etiã minus Lusitanorum gaudiumq, uod auxit etiã inopina-

Miraculo sa cuiusdã Soba sanatio, & baptismus eiusdem.

pinatus suorum aduentus, qui eodem fortè die bellica quadam expeditione, ad quam abhinc trimestri profecti fuerant, domum ouantes redibāt, imaginem Deiparæ, quam non sine miraculo hostium manibus extorserant, secum ferentes. Præfectus, vt Neophytis simul & ethnicis præsentibus, quo Deipara honore digna esset ostenderet, magna sollennitate & pompa hanc excipi imaginem iussit. Eodem quoque die Neophytos in Patrum Soc. domo prandio Præfectus excepit. Sobę huius baptisma iam per vniuersam regionē diuulgatum erat, quem æmulati pia quadam cōtentione reliqui principes, se de Christianorum numero nondum esse conquerebantur, & baptismo maximoperè initiari contendebant. Horum vt volūtati satisfacerent Patres, simul & aliquod illius periculum facerent, vnum è suis ad eorum pagos emisere, qui deorum imagines prius igni daret, & eorum subditos Christianæ fidei rudimentis imbueret, ac deinde baptizandos illos spónderet. Patrum voluntati morem gessere barbari, magno Toparcharum & Lusitanorum, ac præsertim Patrum gaudio, qui eorum feruorē assidua frequētiorique visitatione fouebāt; quo factum vt semper nonnullos Christo lucrifacerent, vt sequenti capite referemus: si quæ in eadem regione gesserunt Lusitani, quæ non mediocre fidei nostræ incrementum attulere, prius retulerimus.

Aliorum optimatū pia contētio & æmulatio.

CAPVT VII.

Insignes Lusitani de Angolanis victorias retulere, ac praclarum fides in Angola incrementum habet.

IAm supra Lusitanos, ad Cambambes montes argenti feraces dum contendunt, in Mocumba quatuor inde leucis distante castra metatos, atque

que magna Angolanorum manu circumſeptos vlterius progredi non potuiſſe, diximus. Ad biennium ibi cum ſubſtitiſſet, dux ipſe exercitus Paulus Diazius cœptum iter dum proſequi vult, ſuos ad argentifodinas, à loci domino vltro oblatas tẽdere iubet. Huius profectionis fama ad regẽ Angolanũ cum perueniſſet, nũtiatumq; eſſet à Luſitanis montes iam occupatos, ingentes ille colligere copias, & duodecies centena hominum millia cõſcribere (tantum enim numerum ſuorum eſſe deprehendit in exercitus luſtratione, vti ſui etiã teſtati ſunt) quibus Luſitanos incautos opprimere voluit: Centum vix & quinquaginta Luſitani erãt. quibus accedebant Aethiopes aliquot, qui Sobæ Banzano, quem iam abhinc aliquot diebus Chriſto nomen dediſſe diximus, domino ſuo adhæſerant. Reliqui enim tãta hoſtium multitudine perterriti defecerãt ad hoſtem. At diuina bonitas ſuis in maxima neceſſitate, & hominum ope fatiſcente, adeſſe ſolita, hic ſuos non deſeruit: pauculi enim illi Luſitani, & exigua Aethiopum manus, quæ cum Soba Banzano in prima verſabatur acie, innummeras illas hoſtium copias profligarunt, & magnam per caſtra ſtragem dederunt, nonniſi ſeptem ſuorum deſideratis; qui, cum Sacerdos noſter qui aderat, ab orando deſiſteret, ſubito à barbaris interfecti ſunt. Cum enim in ipſo certaminis initio precibus à Deo victoriam poſtulare cœpiſſet, & ipſo conflictus tempore non deſiſteret, quãdiu, Moſis exemplo, manus in cælum ſuſtollebat, penes Luſitanos, nullo ſuorum amiſſo, ſtabat victoria; at cum orare deſineret, quod prœlium iam confectum crederet, hoſtes mox reuerſi in Luſitanos ruunt, ac ſeptem illorum obtrũcant. Hoc viſo ad orationem redit, quam non prius finiuit quã Luſitani victoriæ finem impoſuiſſent; vnde colligere

Duodecies centena millia Angolanorũ vno in exercitu.

A CL. Luſitanis & aliquot Æthiopib. profligata.

Mirabilis vis orationis.

ſiſſe, ad illum, perfidiæ ſuę pœnas veriti, redire uon audebant, & victis quam victori adhærere malebant. Quamobrem dux in locum aliquem natura munitum hiemandi cauſa concedere ſtatuit, ideoque in arcem quam ſupra inter duo flumina cōſtructam diximus, ſe recepit, in qua auxilia, quæ è Luſitania belli huius conficiendi gratia euocarat, exſpectabat. Hoc cum intellexiſſent barbari, ne quod hoſti communiendi ſui auxiliorumve exſpectandorum tempus darent, magnas breui denuo colligunt copias, quibus locum illum circumcingunt: vt vero omnem eundi redeundique in Loandam poteſtatem tollerent, è qua & commeatum & ſuppetias habere poterant Luſitani, omnes aditus vafro commento intercludere ſtatuunt. Erant ea tempeſtate nonniſi duo in Angola Sacerdotes, & ambo Societ. Ieſu, quorum alter cum obſeſſis verſabatur, alter in Loanda hærebat. hic, audito obſeſſorum diſcrimine, in Inſulam D. Thomæ proficiſci ſtatuit, vt ſuppetias, ſi Luſitanica forſan appuliſſet claſſis, quamcelerrimè obſeſſis ferret. Occurrit ei in via claſſis, quæ auxilium latura Oliſſipone ſoluerat, cum qua in Loandam redijt; plurimi qui eadem vehebantur, mox vt appulêre, in grauiſſimos incidêre morbos. Quatuor Societ. Ieſu Sacerdotes eadem vehebat, quorum vnus haud ita multo poſt quam appulit, demortuus eſt: omnes enim qui recenter venerant, tum ob ciborum inſolentiam, vel etiam famem aliaque incommoda, quæ plurimos etiam equos conficiebant, malè habebant: nullus erat qui eorum curam habebat, paſſim hinc inde ægri omni auxilio deſtituti iacebant; vt tandem Societ. Patres miſeratione tacti ægros in domum ſuam delatos omni quo poterant beneuolentiæ officio fouerint, donec

Luſitani ab Angolanis obſeſſi.

H tan-

tandem publicum erigeretur nosocomium, in quo & alerentur & curarentur. Interim Diazius cum ducentis Lusitanis & aliquot Angolanis magna rerum premebatur inopia, deerant commeatus & ad bellum habendum necessaria, adeo vt obsidionem ferre se diutius posse diffideret. Appulit interea classis, quæ è Lusitania auxiliatum venerat. hæc cum in Loanda compacta, & ægri pristinæ essent valetudini restituti, ostium Coanzæ fluminis petiuit, ad arcem in qua obsessi tenebantur nauigatura. Animos addidit hæc classis obsessis, adeo vt eruptione facta hostes in fugam compulerint, & decē aut amplius Sobas cum præfecturis suis Regi Lusitaniæ vectigales reddiderint, & rex ipse nō parū timeret. Hęc Anno M D L X X X V contigerunt. Quod vero populosa sit hæc regio, & incolarū numerus, etiam plurimis occisis & diuēditis, vix minui videatur, anno sequenti rex vires reparauit, multumq; Lusitanis negotij facessiuit. duplici .n. cū illis prœlio cōtēdit, sed in vtroq; vict⁹ est; & in horū altero à ducētis Lusitanis & duobus Aethiopum sociorū millibus sexcenta hostiū millia fusa & fugata sunt, nullo Lusitanorū interempto. quod Dei auxilio, Deiparæ precibus obtento, cuius cultui Diazius cū suis vnice deditus erat, ascripserūt. Habebat namq; in castris Deiparæ imaginē, & huic quotidie corā omnibus supplicabat, felicem vt expeditionis successū precibus obtineret. Eadē porro imago paulo ante cōflictū nō sine miraculo, eo quo sequitur modo, impias barbarorū manus euasit. Nam cum densa barbarorum turba Lusitanicum vallum perfregisset, & Aethiopes socij, dum hostilem impetum ferre non valent, ad interiora Lusitanorum castra relictis sarcinis confugissent; barbari occupato iam loco, (sunt enim gazæ & supellectilis Lusitanicæ, quam magni faciunt, auidissimi) quid-

Auxiliū obsessis allatum.

Imago Deiparæ barbarorū manus non sine miraculo effugit.

quid obuium erat conuasantes diripiunt. Erat inter hæc impedimenta sarcina cui Deiparæ erat imago inuoluta, hæc in via integra reperta, quamuis eodem loco hostes transijssent & reliqua diripuissent, Deo impiorum oculis etiam, vt veri simile est, caliginem offundente, ne oculis viderent, quod cognitum sacrilegis manibus forsan temerassent. Hoc cognito, dux, incredibili lætitia perfusus, imaginem magna pompa & sollennitate in castra reduci imperat, quam ipse simul & Lusitani cum Neophytis Angolanis magna animi pietate excepere; Fortissima hinc salutis & victoriæ, insidiarumque hostilium in posterum effugiendarum spe concepta, tam potentis reginæ auxilio eos obumbrante. Accessit his & aliud, quo illorum spes & in Deiparam pietas accreuit. Haud ita multo post admirabilem illam victoriam, quam de duodecies centenis Angolanorum obtinuere millibus; Lusitanus, cum negotiorum causa, Cabacam ciuitatem adiisset, in totius exercitus præfectum incidit, à quo cur tanta hominum multitudo à pauculis Lusitanis euersa & profligata esset, amice petebat. cui alter: Lusitanorum robur & animos non timebamus, quos minimo negotio conficere potuissemus; sed matrona quædam pulcherrima & splendore rutilantissima, simul & senex, flammeum rotans ensem, qui in aere vestros præcedebant, nos consternarunt; ita vt perterriti exanimatique in fugā nos dederimus. Si barbari huius testimonio aut eius qui retulit fides adhibenda est, Lusitanis magna, diuina beneficia per Deiparæ intercessionem obtenta agnoscendi obligatio incumbit. nam ipsam, feminam illam splendidam, & venerabilem senem, D. Iacobum, quem in prœlijs inuocare Lusitani solent, fuisse credunt. *Deipara ope Lusitani barbaros profligant.*

Multi quidem deinde Angolanorum baptizari petebant, sed omnium petentium voto nō satisfiebat: consultum enim videbatur baptismum differre, donec Christiani toti regno dominarentur. fidei quippe incolumitas ac progressus à regum dominorumque nutu dependet. Atque hoc pacto sacrificulorum Angolanorum, vel potius magorum, quos Gangas dicunt, videbatur retundi posse insolentia; quos tanto barbari prosequuntur honore, vt semideos & numina quædam credant; ab his enim salutem, incolumitatem ac vitam hominum, quin & omnium rerum cōseruationem dependere sibi persuadent. Hos pluuias in aere putant sistere, vel nubes laxare, ac proinde sterilitatis vbertatisque annuæ existere auctore. Incantationibus eorum & artibus magicis hoc ascribendum; cuius sunt peritissimi. Apud vulgus inoleuit opinio sanitatem illos vel tollere vel dare posse, denique hominum vitam ac mortem in eorum potestate sitam. Maleficijs hoc nanciscuntur, vel quod solis illis, quid sanitati hominum noceat, quid ad eandem conseruādam recuperandamve conducat, pateat; & vtrumque quibus voluerint, applicent. nullis nisi sequacibus suis huiusmodi secreta manifestant, quo maior sui apud populum sit veneratio, ac diuinis afficiantur honoribus. sinistram aut lætam vnicuique sortem prædicunt, ac ventura prænuntiant. Quod vero familiari dæmonum commercio nonnulla verè prædixerint, hinc oraculorum instar responsa eorum haberi solent. At diuina prouidentia, horum impostorum impietatem interdum detegit: in eamque meritis animaduertit pœnis, quo misellos & dementatos barbaros à fascino illo liberet ignorantiæ; vti eo quo dicam modo, anno MDLXXXVII. contigit.

Magi Angolani Gangas dicti.

Cum

Cum Lusitani Sobę cuidam finitimo bellum intulissent, & in alterius Sobæ, quem socium atque amicum habebant, ditione castra metati essent; tanta per terram circumquaque grassata ariditas est, vt sementis in agris tosta quodammodo videretur, idque pluuiæ defectu. Hanc Gangas quidam magus (cui, vt iactabat, cœlum parebat) cœlo se deuocaturum spondebat. Multi spectandi prodigii causa confluxerant: ipse itaque sereno cœlo patētem quemdam locum haud procul à Lusitanorū castris, ingreditur, hinc multi illorum prodigij quod facturū se spondebat, spectatores esse cupiebant. In cōferta spectatorū corona sese collocās, tintinnabulis alijsq; instrumētis magicis instruct⁹ saltare & magicos quosdā modos canere, verba quædā incondita ignotaque inter dētes mussitans, cœpit. Execranda hæc cæremonia ac dæmonum inuocatio ad mediam iam horam durauerat, & ecce magno fragore & repentino tonitru densa quædam nubes exorta est. Secutura iam iam pluuia putabatur. Ipsum rei exitum Lusitani exspectabant summo cum silentio; barbari econtra exultantes insolenti incondito que clamore, Gangam in cœlum vsque laudibus euehebant. Ipse præuijs hisce signis factus insolentior se palam iactare, & Christianos irridere (ignarus quantum capiti mali impenderet) vt Lusitanis bilem & indignationem moueret. sed longe secus quàm putarat, euenit. Crescentibus enim fragoribus tam vehemens tonitru exortum, vt cœlum terraque iamiam dehiscenda videretur; & fulmen secutum terribili quodam boatu, spectatoribus omnibus trepidantibus, misello incantatori caput, velut fulmineo mucrone à ceruicibus præsectum abstulit, & exanimem in terram truncum deiecit. Vnde verissimum esse

Promittit pluuiam magus.

Dæmones aduocat & tēpestatem ciet.

patebat, quod barbaris dicebant Christiani, non hominum esse cœlorum cataractas, pluuiæ petendæ aut negandæ causa, claudere aut reserare, sed solius Dei, ad quem in huiusmodi necessitate confugere opis petendæ causa necesse sit: meritas itaque Gangas hic superbię & insolentiæ pœnas dedit. Hinc discimus, altum sapientes, quò magis se euehunt, eò deprimi & humiliari profundius ab eo qui superbis resistit, & humilibus suam elargitur gratiam. Sed in fidei Christianæ progressu apud Angolanos progrediamur. Anno MDXC. viginti Christianorum incolarum numerabantur millia, qui omnes Patrum Societat. Iesu industria operaque ad fidem venêre, & hoc ipso anno mille quingentos baptismali lauacro tinxere: & plures, si qui in fide Catechumenos erudirent, suppeterent, tinxissent. Verebantur namque, ne, si baptizarentur ij, qui procul à Lusitanorum arcibus, in regione interiori commorantur, à fide deficientes, pro more, ad pristinas superstitiones & nefarios gentilitatis ritus delaberentur. At pauculorum horum pietas & feruor multitudinis defectum supplebat. In sacris enim audiendis, & sacramentorum susceptione seduli erant, & in oratione assidui, tantaque Socios veneratione ac reuerentia nimia prosequebantur, vt aliquo beneuolentiæ signo & amico nutu fuerint, quo liberius eorum commercia frequentarent, inuitandi. Superiori anno morbo Paulus Diazius exstinctus erat, qui pro eo quo semper Socios erat prosecutus affectu, tantum illis terræ ac fructuum testamento legauit, quantum quingentis alendis Socijs sufficeret; hæredibusque suis imperauit, vt omnibus in expeditionibus tum domi tum belli, eorum

20000. Angolani Christiani.

Pietas Christianorũ inquilinorũ

Pauli Diazij obitus & testamentũ

rum consilio vterentur. Testamenti quoque tabulis Regem Hispaniæ (in quantum erat & Lusitaniæ) rogauit, vt in hac regione Societ. Religiosos stabiliret ac foueret, velut Angolanę vineæ cultores integerrimos. Nec huius vnius dumtaxat singularis in illos fuit affectus, sed & omnium Lusitanorum Angolam incolentium, vt sæpenumero splendida ijsdem, nisi impedimento essemus, donaria legarent, ne dum ad cœlestia eosdem exhortamur, terrena ambiuisse videamur. Duæ hac in regione Societatis sunt Residentiæ, quarum prima in Loanda Insula, quæ ad Regem Congi pertinet, cuius omnes incolæ iam, Dei gratia, & Patrum prædictorum studio contentioneq; Christiani sunt. altera in vrbe Massagan, in qua arx illa Lusitanorum, quam gemino diximus fluuio circumcingi. At quoniam Lusitani interiora regni penetrant, bello imperiū dilataturi, semper castra sequuntur aliquot, qui militum confessiones excipiant, & ad bene viuendum Christianeq; moriendū excitent. Magna Lusitanorum erga Deiparam hic pietas & affectus singularis, qui in templo Sociorum, Sodalitatem quamdam sub nomine Beatæ Mariæ de Victoria instituerunt; quod omnes se victorias Deiparæ potissimū ope in Angola nactos norint. Atque ideo dāt operā, vt, si quando cum hoste dimicandū sit, id aliquo Deiparę festo cōtingat. Quidquid hactenus vel pace vel bello prosperū ijs successit, vni post Deū Deiparæ intercessioni ascribūt. Prœliū ituri, in Deiparę orare tēplo, sacramētis Confessionis & Eucharistię pręmissis, antè solent; domum reuersi ibidem quoque vota persoluunt, Deoque ac Beatissimę Virgini, immensas ob recepta beneficia gratias agunt. Eiusdem quoque Virginis imaginem semper in castris ha-

Duæ Resi dentiæ Societ. in Angola.

Lusitan. in Angola cōmorantiū pietas erga Deiparā.

 bent,

bent, & ſingulari cultu proſequuntur: ſi quando diutius aliquo in loco hærendum, oratorium quoddam erigunt, in quo eamdem interea imaginem venerabundi deponant; abeuntes verò illud ſuccendunt, aut deſtruunt, ne ſacrilegis barbarorum manibus violetur, cruce dumtaxat ibidem, quæ oratorij memoriam refricet, relicta. Regionis cuiuſdam Soba, cum Luſitanos, excitato aliquando huiuſmodi oratorio diſceſſiſſe comperiſſet, fracto quod cum iiſdem pepigerat fœdere, ſuam in oratorium impietatem ac nequitiam oſtendit. Sed audaciæ mox pœnas luit: morbum namque contraxit, ex quo anno integro lecto affixus decubuit, omni medicorum magorumque ope incaſſum tentatâ. Cum itaque omnem medici ſpem abijcerent; cælitus ſibi hunc morbum ob delictum immitti agnouit, quare ſuum SS. Cruci quam Luſitani in oratorij loco reliquerāt, pallium dono, velut oblationem miſit, ſe Chriſtiana, ſi conualeſceret, ſacra ſuſcepturum ſpondens. Rem miram, veram tamen! Quamprimum vt cruci oblatum fuit pallium, ſanitati fuit æger reſtitutus, & mox Legatos ad Regis Luſitaniæ Vicarium in Angola, miſit, qui delicti ab eo veniam poſtularent, orarentque ſe vt reciperet, non modo vt Regni Luſitaniæ clientem, ſed etiam fratrem; deſiderare ſe quippe Chriſtianis accedere & baptiſmo ablui, vti & reipſa deinde, in fide ſatis à ſacerdote noſtro inſtructus, præſtitit. Non prætermittere hic oportet eximium quoddam diuinæ prouidentiæ ac Virginalis auxilij exemplum in ſerua cuiuſdam Luſitani. Vapulabat hęc ab hero grauiſſimè leuem ob noxam, mordebat barbaram infamia ac verbera; quare violenta morte deſperabunda ſui ipſius vltrix, vitam ſtatuit abrumpere. Hanc ob cauſam

Soba cuiuſdam punitio qui locum ſacrum violauerat.

Miraculoſè à morbo liberatur & fit Chriſtianus.

ſam cum nocte media domo eſſet egreſſa, reſtim arbori ex qua ſuſpendere ſeipſam volebat, adnectit,& lapidum ſtruem quæ aſcenſum præberet congerit; quos, dum collum laqueo implicaſſet, pedibus ſubuerteret fulcroq; ſublato in aere dependeret. At ecce, rem mirabilem, quotieſcumque lapidum illam congeriem aſcendere contenderet, mulier quædam eximiæ pulchritudinis eandem deſtruebat. noctem ergo integram ſtrui ſtruendæ impendit, ſed labore irrito, mulier enim cœptũ opus ſemper demoliebatur. Cum itaque luceſceret, timore correpta domum conceſſit; ac totam rei ſeriem ſecum demirata, Hac, inquit hero, ſeruam nocte hauddubie amiſiſſes, niſi per dominam quam in Sociorum æde adoramus, ſtetiſſet: quo dicto quid ſibi nocte contigerit enarrauit. Credere ſe rem diſſimulauit herus, ſed vni è ſacerdotibus noſtris accerſito,quid ancillæ eueniſſet refert,orans vt ad locum illum ſe cõferat. Ille locum adit, & laqueum arbori appenſum ac lapidum ſtruem comperit; quæ indicia ancillam vera dixiſſe teſtabantur. Hoc itaque modo mater miſericordiæ huic auxiliata eſt mancipio,ac præſentiſſimo corporis animæque periculo miſellam eripuit. Suam quoq; Deus ſæpenumero miſericordiam erga aliquos patefacit, quos in vltima vitæ clauſula ad fidem Chriſti amplectendam exſtimulat. fidem facient tres adoleſcentes, in quos duo Soc. Sacerdotes, qui in littore gradiebantur,inciderunt in vitæ extremo iam conſtitutos: hos cum interrogaſſent num Chriſto dare vellent nomina, velle ſe reſpondentibus collatus baptiſmus, quorum animæ, iam recenter Chriſti mundatæ ſanguine, ad æternam beatitudinem euolarunt. Quod euidens prædeſtinationis illorum argumentum. Alius quoque ſacer-

Serua Chriſtiana ſuſpẽdioſe enecare dum conatur à Deipara ſeruatur.

Tres adoleſcentes exanimes baptizati.

dos eiusdem Societatis cum forte fortuna in locum venisset in quo puerpera in præsentissimo mortis periculo vnà cum fœtu suo versabatur; & hoc altera quædam illi femina quæ è puerperio venerat, significasset, matrem vnà cum prole baptismo abluit, quæ suscepto baptismo exspirantes, rectà, vt credere fas est, cœlum adierunt. Quin & alijs per mortem hanc temporalem, vitam contulit Deus immortalem ac sempiternam. Anno siquidem Domini MDLXXXIX. Sobæ nonnulli Lusitaniæ regis vectigales cum occultam aduersus Lusitanos conspirationem inijssent, & re iam detecta morti adiudicati essent; horum vnus quicum olim Patres de fide suscipienda egerant, priusquam supplicium capitis subiret, baptismum sibi conferri enixissimè petijt, atque idipsum alteri quoque è coniuratis persuasit, adeò vt ambo morientes cælo felicius renati sint, quam in terra exstincti. Septem deinde post annis, alij duo Sobæ, qui varia Lusitanis intulerant mala, in eorum manus ciciderunt, à quibus morte sunt condemnati; prius tamen quàm mortem subirent, baptismo lustrari voluerunt; fidei igitur rudimentis pro temporis oportunitate imbuti, baptizati sunt. Mortuorum corpora, Ecclesiæ ritu, magno honore ac solenni pompa terræ sunt mandata, quod fidei ante mortem dedissent nomina. Ipsi enim duces militares ac tribuni, baiulorum ac vespillonum officio fungentes, sepulcro eosdem intulerunt; stupentibus Angolanis, simul & indignantibus, tam exquisitas ac delicatas terræ condi epulas. In Angolæ enim ac Congi confinio barbari quidam commorantur (apud quos hoc contigit) qui nullam mortuis sepulcrum parari

Conuersio duorum Sobarum supplicio addictorũ

Item aliorum duorum.

Anthropophagi in Angola.

rari

rari poſſe putant melius ac decentius, quam viuenti ſtomachos apud: quos ſi quando genio indulgere voluerint, moris eſt, ſi inimicos ad manum non habeant, conſanguineos & amicos mactare, coctoſque conuiuis apponere. Rex autem Angolanus, quod vel damnorum quæ in conflictibus cum Luſitanis accipere ſolet, eum pigeat, vel quod pacem bello potiorem credat, anno Milleſimo vndeſexcenteſimo ad Prætorem Luſitanicum legatos pacem petituros miſit, fidem adhæc noſtram ſe amplecti velle ſignificauit. Cuius vt legationi fidem haberent Luſitani, aliquot Principum filios velut obſides deſtinauit, quos tamdiu in arcibus ſeruari volebat, donec Patres, quos petebat, à quibus vnà cum ſuis fidem edoceretur, ad interiorem regni partem perueniſſent. Prætori Regem Hiſpaniæ, viſum fuit, quid hic faciendum foret, conſulere, cuius litteræ dum exſpectabantur, obſides fidem ac Chriſtianorum ritus interim edocti ſunt.

Rex Angolanus pacem à Luſitanis petijt & fide imbui.

Hæc ſunt, quæ de hoc regno annum vſque MDC. ſcire potui.

CAPVT

CAPVT VIII.

Ora maritima ab Angola ad vsque promontorium Bonæ spei, atque hinc Soffolam vsque, simul & Monomotapa, & Mosambici descriptio.

EX Angola & Congo Austrum versus per oram maritimam progredienti occurrit regnum Mata manése, quod prouincias aliquot, quas incolæ Chimbebas nuncupant, comprehendit. Ad septentrionem Angolæ conterminum est, ad meridiem flumine cingitur Brauaghul, quod è Lunæ exoritur montibus; ad orientem alio, quod Magnicum dicunt, quod è lacu, qui è duobus quos Nili fontes esse constat, magis ad meridiem vergit, originem trahit. Ad occidentem mari alluitur oceano, idque à Sinu vaccarum ad vsque Tropicum Capri corni, qui Lunæ Montes, quos ad meridiem statuit, ab hoc regno discriminat. Trans illos vero ad Austrum, regio est, quæ à Bonæ spei promontorio haud procul distat, cui plurimi reguli ac dynastæ imperant. Interior regio, quæ in Lunæ mōtium radice sita, ob intensum frigus deserta est, & nonnisi à paucissimis incolitur. Atque hi Arabum ritu in mapalibus habitant pellibus conuestiti, legumine ac terræ fructibus victitant, crudaque tam ferina quam humana carne, à bestiali ritu consuetudineque parum distantes, vescuntur. In horum montium radice occidentali lacus exiguus est, è quo fluuius enascitur, quem incolæ Camissam, Lusitani flumen dulce nuncupant. Is non procul à Bonæ spei promontorio in mare se exonerat, in cuius ostio sinus quidam & æstuarium paruum, cuius extremitas occidentalis, Promontorium fal-

Montes Lunæ.

falſum, à Luſitanis ideo, meâ ſententiâ, dicitur: quod dum in Indiam nauigantes hoc promontorium eminus conſpicantur, fallantur, dum Bonæ illud ſpei eſſe credunt. Eſt enim & aliud quoddam, magis ad Orientem in altera ſinus extremitate caput, quod vulgo promontorium Acus dicitur, quod hoc loco nautica acus rectà ſeptentrionem reſpiciat, nullam vt in partem declinet; quod vix alibi contingere comperitur. Alterum ab altero promontorium viginti quinque diſtat leucis; atque hoc vulgo Bonæ ſpei dici promontorium ſolet, ob nimiam terræ in Oceanum prominentiam. vbi enim vtrumque hoc promontorium enauigatum fuerit, vtrimque latius ſe paulatim extendit. Bonæ Spei nomen, vt libro primo dicere memini, à Ioanne II. Luſitaniæ regi ei inditũ. nec omnino abs re. quicumque enim è Luſitania in Orientalem Indiam nauigant, aut inde domum repetũt, felicem nauigationis curſum hoc capite præteruecto ſperant. nam quod venti procelloſi qui è montibus vicinis magno impetu deſcendunt, per mare graſſentur ac tempeſtates excitent, quibus permultæ naues periere, exhorreſcere hoc nautæ ſolent. Hinc quoque leo Marinus nuncupatur, quod vorticibus ac fluctibus naues ſimul & homines merceſque pretioſiſſimas abſorbeat ac quoddammodo deuoret. Atque ideo qui è Luſitania Iudiam petunt, duobus aut tribus ad meridiem gradibus ab eo declinant, vt ne videant quidem. E duobus tamen ſignis id ſe præteruectos comperiunt: primo ex acu nautica, quæ vti diximus, rectà ſeptentrionẽ reſpiciens, è regione Promontorij Acus nauem eſſe oſtendit: deinde ex auibus quibuſdam cygni inſtar candidis, niſi quod alarum extrema nigricent, ideoque mani-

Promontorium bonæ ſpei

cas-

cas holosericas Lusitani easdem nuncupant. hoc auium genus hic abundat, quæ præternauigantes semper aduolando salutant; quasi speculatrices hic à Deo constitutæ, nauigantibus quo in loco versentur, indicantes.

Hoc promontorium prætervecto, ad orientem plures occurrent portus; quorum facilè primus est is, quem ob decorem atque elegantiam formosum nuncupant; occurrit deinde sinus quidam, quem quod lacus similitudinem habeat, Lacum dicunt. haud procul inde flumen est, quod à S. Christophoro nomen habet, in cuius faucibus tres paruę sunt insulæ. Sequitur deinde terra, quam, quod à Lusitanis in Natalitiorum festis detecta fuerit, Natalem appellant; tum etiam quod continuâ rigeat brumâ. Naufragijs hæc nobilis, vt, aliquorum sententia, non minus quam promontorium Bonæ spei, sit metuenda. Desinit hæc in Caput, quod à Piscatu nomen inuenit. Longius idem iter rectà prosequenti ad vsque flumen Magnicum, obuium erit regnum Buttua, quod, si Continentem spectes, ad Lunæ montes & flumen Brauaghul extenditur. A Magnico ad Cuamæ flumen vsque est ora Sofalana. At priusquam eandem describamus, de incolis regionum quas iam recensuimus, nonnihil paucis est dicendum: omnes nigri sunt, vt AEthiopes sub zona torrida commorantes; quamuis Promontorij Bonæ spei incolæ in XXXV. gradu sint latitudinis australis; adeo vt hinc manifestè colligi queat, non esse calori Solis hanc nigredinem ascribendam; cum Brasilij ac Peruani, qui sub Zona torrida etiam habitant, nigri non sint; atque Abyssini subflauo sint colore. Quamobrem dicendum potius, agnatam hanc illis esse nigredinem, & non

Regnum Buttua.

non terræ situi asscribendam. Quod etiam manifestius patet in ijs, qui in eadem ora commorantes, quamuis Æquatori his sint viciniores, vti paulo post dicetur, colorem tamen candidum vultu præferunt.

Sed cœptum iter prosequamur. Magnicus, à quo à parte occidentali Sofalana ora initium habet, è maximis & celeberrimis Africæ fluminibus est. E primo lacu è quo Nilum nasci diximus, originem ducit, qui duodecim gradibus latitudinis est Australis; regnum deinde Monomotapæ pertransiens ac Lunæ montes, tandem in mare, ad Austrum, tribus & viginti ac dimidio gradibus, deuoluitur. Occurrit deinde Promontorium quod dicunt Currentium, ac mox nobile illud flumen Cuama, quod septem ostijs, quinque insulas constituentibus, Nili instar, in Oceanum se exonerat: ex eodem quo Nilus nascitur lacu, quamuis hic septentrionem versus decurrat, & in Mediterraneum se mare exoneret; Cuama vero econtra tum Meridiem tum Orientem versus defluat. Porro Sofalæ ora, quæ inter vtrumque hoc flumen interiacet, non multum ad interiorem regionem extenditur; rex quippe Monomotapæ per interiora prouinciæ dominatur. Ora hæc Sofalæ ab ostio Magnici ad vsque promontorium Currentium sterilis est ac deserta; sed inde ad vsque Cuanam incolitur ac feracissima est. E regione promontorij Currentium, inter ipsum atque nobilem insulam S. Laurentij, alio nomine Madagascar dictam, sunt breuia ac scopuli, quos Iudaicos indigetant nautis metuendi, vt metu, interim dum præteruehuntur, exalbescant: nec immeritò; permultæ enim naues ijsdē illisæ miserè naufragium passæ sunt, ac præsertim anno MDLXXXV. vt suo loco referemus.

Magnicus flumen.

Cuama flumen.

Scopuli Iudaici.

nerationem in mare (Sofala ora si excipiatur) extenditur, ad regnum Monomotapæ spectare; cui si & hæc ora includatur, erit, insulæ instar, aquis vndique circumcincta. Regnum hoc auri ferax est. In plurimis enim illius prouincijs venæ sunt, è quibus auri magna eruitur copia, ac præsertim in regno Toroa, in quo etiamnum veterum ædificiorum lapideorum supersunt vestigia, quæ & magnitudine & splendore cum veterum sunt Romanorum ædificijs comparanda. Hanc ob causam non desunt qui credant, hinc Salomonem ac deinde reges omnes Hebræos, quod singulis tribus annis, teste scriptura, ex Ophir (quam Sofalam aut Sephalam esse dicunt) accipiebant aurum, eduxisse: septuaginta enim Interpretos Soupheir aut Sopheiram nuncupant: quod nomen Sofalæ affine admodum est. Ad hæc referunt incolæ (teste Thoma Lopesio in suo itinerario Indico) penes se libros esse, qui Salomonem hinc omne suum accepisse aurum testentur. Alibi tamen diximus, probabilius videri in auream Chersonesem, vel regionem, quæ à Pegu ad vsque Malacam cum insula Sumatra extenditur, quæ & auri venis & alijs rebus ad Salomonem deferri solitis, qualia sunt gemmæ, simij, pauones, ebur, & lignum quod Thyinum in scriptura nominatur, abundabat, nauigationem institutam, hæc siquidem omnia in India orientali, non vero in Sofala (auro & ebore excepto) reperiuntur: vti nec in Peru, quam nonnulli esse Ophir volunt, cuius sacræ meminere litteræ, ebore enim & ligno thyino caret. Tanta porro in Monomotapa elephantum est copia, vt quotannis

Aurifera est

Regnum Toroa.

plusquam quinque occidantur millia, ideo hic ebur, quod elephantorum dentes suppeditant, vile est. Rex Monomotapæ opulentus est ac locuples. permultos regulos sibi vectigales habet ac subditos, adeo vt longe lateque imperitet, & ad vsque Bonæ Spei promontorium imperium illius extendatur. Regnum enim Toroæ, auri feracissimum, quodque regi huic paret, huic est promontorio proximum, Magnas militum copias sustinet, quas hinc inde per prouincias, velut præsidiarios, dum in bello non occupantur, distribuit; tum vt potentiam suam patefaciat, tum vt subditos in pace contineat. Sunt qui præcipuas illius vires in quadam mulierum legione sitas existiment; habitant hæ separatim in prouincia, quam rex illis concessit, ab omni virorum remotæ consuetudine, & veterum Amazonum exemplo ad bellum procedunt. Mamillam etiam dextram titione exurunt, ne arcum tendentibus (is enim arma sunt) impedimento sit aut remoræ. cum Giachis siluestribus, de quibus ante egimus, vt plurimum bello contendunt, quibus industria, strategematis, arteque bellicâ non cedunt; animosæ enim sunt, & rei bellicæ peritissimæ. Hæc quidem à nonnullis perscripta sunt, rei tamen veritas non adeo certo constat. Arma & insignia regis Monomotapæ sunt exiguus ligo cum manubrio eburneo, & binæ sagittæ: ligone, subditos ad terram colendam adhortatur: altera sagittarum designat, habere se potestatem rebelles ac nefarios comprimendi; altera verò, arma sibi ad inimicorum impetum propulsandum suppetere. Regum ille vectigalium filios in aula nutrit, tum vt mores & elegantias discant aulicas, tum vt patres, ne cornua

Opulentia regis Monomotapa.

Regis insignia.

nua

nua extollant, in officio contineat Quotannis ad omnes reges ac Principes sibi subditos, qui aliqua potestate pollent, legatos mittit ad ignem nouum, vt apud illos moris est, accendendum: qui ritus ad fidei experimentum hic in vsu est, atque hoc modo peragitur. Quando legatus Regius in domum Regali alicuius aut Principis appulit, omnis mox qui ibidem reperitur ignis exstinguitur: nec prius alius exstruitur, quam legatus ignem excitarit, è quo omnes eiusdem Principis subditi suum accendũt ac mutuantur. Si quis secus fecisse compertus fuerit, violatæ fidei reus peragitur. Hæc sunt potissimum quæ de hoc regno traduntur. at prius quam de fide apud Monomotapenses plantata agamus, de Insula Mozambico nonnulla præmittẽda sunt. Omnia igitur Cuamę ostia vbi trãsieris, aliud occurrit flumen, Qualimana nũcupatũ, quod Lusitani cõmercijs suis frequẽtãt, ac regi Giloæ, qui hic longê lateque dominatur fœdere iuncti sunt, sequitur deinde regnũ ac flumen Angoscia, ac deinde aliud, Masuta nominatũ, quod nõnisi noue à Mozãbico leucis distat.

Ritus recentis ignis excitandi infidelitatis signum.

Qualimana flumen

Erat Mozambicum olim, vt asserunt nõnulli, promontoriũ à veteribus Prasum nuncupatum: hodie vero insula est Africã respiciẽs, in quinto decimo gradus latitudinis australis; ante hanc duæ aliæ sunt insulæ minores, quæ rectà oram continentem respiciũt, ac velut ad amussim sitæ; vnde cõijcio aquam, cum sensim terram absorberet, duas has loco Promontorij prioris insulas effecisse. Ea quę ad orientẽ vergit magis, à S. Georgio nomẽ habet, altera à S. Iacobo: vtraq; deserta, & parua; at Mozãbicum incolis abundat; quis nõ tãtę sit magnitudinis, vt quę ad sclopeti iactum in latitudine extẽdatur, lõgitudine vero

Mozambicum promontoriũ olim iam insula.

quater latitudinem superet, vel vt nonnulli sentiunt, quingentis in longum pateat passibus. regio plana est, simul & ora maritima. Palmis abundat Indicis, de quibus suo sumus locuti loco; quin & ficus habet quæ quotannis emoriuntur, & enascuntur, quibus nonnisi vnicus est ramus, tot ficuum ferax, vt toto anno non deficiant; vna quippe post alteram maturescit. Longiores sunt quam latiores, & Europæas magnitudine longè excedunt. Cibus hic communis est, salubris tamen; folia habet quæ longitudine cum viri mediocris statura certent, & ad quinque ad sex in latum palmos extendantur; ficu emoriente radix non emoritur, sed ab illa noua repullulat arbuscula, quæ mox in arborem excrescit. Est & aliud

Ananazas fructuum genus quod Ananazas appellant, quod cucumeri non absimile est; longum ac rotundum, palmari longitudine, colore subflauo, ac corticibus tenuibus velut crumenulis contectum, qui squammarum instar nonnihil eleuati sunt, atque ad extremitatem virescunt, odoremque edunt suauissimum. Non prius comeditur, quàm omnis ablatus fuerit cortex, gustum habet pomis nostris cydonijs non dissimilem, quamuis paulo sit sapidius. Ijdem quoque fructus in India reperiuntur, vnde huc forsan delati sint. Mala citria, & aurea, aliaque, quæ Europæis similia sunt, hic

Oues magna cauda. non recenseo. Oues hic tantam caudam habent, vt quartæ ouis parti magnitudine & pondere respondeat, adeo vt in quinas oues hic

Gallinæ hic carnẽ habent nigram. partes constituantur, quarum vna est cauda. Gallinæ non plumas hic modò nigras habent, sed & carnem, & ossa, quamuis alioquin sapidæ

pidæ ſint. Incolæ regionis Cafres dicuntur, vti & Sofalæ, atque omnes oræ huius incolæ à promontorio bonę ſpei ad vſque Mozambicum; atque hinc omnis regio Caffraria nominatur. Omnes vt plurimum ſtupidi & barbari ſunt, nudi incedunt, ſola verenda tecti, quæ viri linteo contegunt; mulieres vero à pectore ad vſque tibiam mediam teguntur. Nullum adorant idolum, adeo vt quod à vera eos religione auertat, nihil ſit præter barbariem ac ſtuporem mentis innatum; vix enim vllum ingenij iudicijque micam præferunt. Tota Mozambicum inſula Luſitanis paret, qui vrbem hic ſimul & arcem munitiſſimam habent, quod totius ſit Indiæ propugnaculum ac clauis, vt ſi eamdem amitterent, difficillima foret nauigatio. Huc enim aquaturi exſcendunt, corpora nauigatione tabida nonnihil refocillaturi; vt refectis animis ſimul & corporibus iterum nauigationem reſumant. difficile quippe foret longinquum hoc iter ſine interruptione atque vno tractu peragere. Conducit hæc etiam tum vt illorum tuta cum vicinis, vt Sofalanis, Monomotapenſibus, & alijs, à quibus aurum magna copia recipiunt, ſint commercia, tum etiam vt Reges omnes ac Principes illius oræ, quos aut ſubditos aut fœdere ſibi iunctos habent, in officio contineantur. Dominicani hic monaſterium habent. Hæc ſunt, quæ de hac regione ſcripta ad noſtras venire manus potuerunt, iam ad ea quæ fidei progreſſum ſpectant properemus.

Arx Luſitanorũ in Moſambico.

CAPVT IX.

Gonſaluus Silueria Goa in Mozambicum mittitur, atque inde Regem Inambanæ adiit, quem ad fidem conuertit, deinde regem Monomotapa.

VT, cur Gonſaluus Silueria in Mozambicum miſſus, conſtet apertius, ſciendum, haud procul ab hac inſula, in ora continenti, verſus Bonæ ſpei promontorium, regnum Inambanenſe eſſe, cuius rex anno MDLIX. duos habebat filios, quorum natu minor cum à Luſitanis, qui in paterno regno commercia frequentabant, multa de fide Chriſtiana inaudiſſet, plura audiendi, eiuſque ſi alluberet, amplectendæ æſtuans deſiderio, illius ergò Mozambicum vltro venit. Ipſe præfectus arcis, cùm quis eſſet probè perſpectum haberet, ac ſimul quamobrem eodem veniſſet; ſumma illum humanitate atque honore excepit: cuius etiam factum opera, vt in fide Chriſtiana ſatis ſufficienterque inſtitueretur: quæ tantoperè illi placuit, vt quam enixiſſimè baptiſmum ſibi conferri poſtularit. Quem etiam mox recepit non ſine pompa & applauſu: nec modò candidam innocentiæ veſtem in anima recepit, ſed exterius quoque pretioſis indutus fuit veſtibus, quas ei dono præfectus dederat: qui cùm in patriam reuerti ſe velle ſignificaret, aliquot ei Luſitani, qui honoris eum cauſa comitarētur, additi viæ comites. Reuerſum vt pater, frater ceterique conſanguinei hilariorē ſolito lætioremque (nouam enim vultu lætitiā præferebat) viderunt, nouæ exultationis cauſam

Regnum Inābanæ.

Alius regis natu minor baptizatur.

ſam inquirunt. Ille Luſitanorum in ſe referre beneuolétiam,& Chriſtianæ legis præconia ita deprædicare, omnes vt mirificè erga illã afficerẽtur; & frater natu maior regni heres,eodem ardens deſiderio,baptiſmum poſtulaturus Mozambicum adire decreuerit. ſed patris eum retinuit auctoritas,qui abeundi ei veniã denegabat; rem dicens maturiori ponderandam iudicio,quamobrem exſpectaret, donec quid circa hoc negotium agendum eſſet,ſecum ipſe etiam ſtatuiſſet.Se enim,ſi cõmodos Chriſtianæ legis doctores nanciſceretur,eamdem forſan amplexurum. Minor natu filius iam Neophytus, hoc cognito,Mozambicum redit,præfectoque arcis pronũ patris , fratris, aliorũque in fidẽ Chriſtianam animũ ſignificat; requiri dumtaxat operarios,qui meſſem iam flaueſcentẽ & nõniſi falcem deſiderantẽ colligerent. Ijſdem diebus nuntius allatus eſt,Regem Monomotapæ Luſitanorũ ambire commercia ac fœdus; quæ res incredibili eos cumulauit lætitia.Neq;enim libera ſolum in vniuerſo illius regno ſibi ſpõdebant cõmercia, & emolumentũ non mediocre hinc ſecuturum,ſed etiam fidei hocce cõmercia eodem inferenda. Quare totius Indiæ Prætori rem communicant,qui eandẽ P. Antonio Quadrio;(agebat hic tum Prouincialem Soc. noſtrę apud Indos)ſignificauit,rogauitque quemdam vt Patrum in meſſem illam deſtinaret. P. Prouincialis re maturè deliberata , ac per frequentiores preces ac ſacrificia Deo commendata,tandẽ Gonſaluum Silueriam,non tam ſanguinis nobilitate,quam virtutibus illuſtrẽ mittendum cenſuit. Erat hic Comitis Sortellani, quę perantiqua apud Luſitanos ac nobilis eſt famili a,filius; & ob ſingulares quibus clarebat

Patrem ac fratrẽ eodẽ incitat.

P. Gonſaluus Silueria in Mozambicũ mittitur.

virtutes, Prouincialem apud Indos iam egerat; iam vix munere defunctus erat, cum noua hæc illi mandata prouincia, quam pluris profectò quam omnes mundi huius honores omniumq; prouinciarum possessioně faciebat. Socios illi addidit alios duos eiusdem Soc. sacerdotes, qui Goâ anno MDLX. simul in viam se dedêre, ac secundo vento haud ita multo post in Mozambicum appulerunt. Loci præfectus in arce hospitium illis assignauit, ac summa illos excepit humanitate; cum hic post nauigationem ad aliquot dies vires restaurassent, sex illis milites itineris socios dedit, qui in regno Inambanense eos deducerent: quo vt peruenerunt, in morbum omnes ob vehementissimos quibus regio Zonæ torridæ subdita torretur calores, inciderunt. Silueria quamuis firmo ac robusto esset corpore, morbi tamen vehementia illum ita deiecit, oculorum scilicet dolor acerrimus, vt vitæ discrimen adierit. Vbi illorum confirmata fuit valetudo, vrbem Tongum, quæ Regis sedes erat, adiere, magno illos gaudio & applausu rex excepit, præsertim cum Christianæ fidei solum edocendæ gratia illos venisse intellexit. Mox igitur vt venere, legem gratiæ, quam Christus mundi redemptor in terras aduexit, promulgare cœperunt, tantam porro ille verbis illorum addidit efficaciam, vt breuissimo tempore plurimi fidei nostræ accederent: adeo vt postquam singulariter eos qui in fiden Christianam propenderent, instruxissent, regem, reginam, liberos, aliosque illorum consanguineos, & inprimis sororem regis ac plurimos regni proceres, simul & infinitam plebis multitudinem baptizarint

In ambane[m] petijt

Regē baptizat & vniuersā eius familiam

rint

rint. Regi Constātini, Reginæ Catharinæ, sorori Isabellæ nomen inditum. Interim Silueria relictis ibidem Socijs suis, qui neophytos in fide stabilirent, ac plures quotidie ad eandem pertraherent, Monomotapam adire decreuit; cuius Regem si fidei lucrifacere posset, ceteros circumcirca regulos ac Dynastas facile Christo nomen daturos. Prius vero quam iter illius enarremus, quid duobus hisce in Inambane relictis Patribus factum sit referendum est; cum de illis agendi commoda postea non detur occasio; seriem enim rerum gestarum P. Gonsalui Siluerlæ retineamus necesse est. Duo igitur Patres in Inambane relicti, ædem sacram inprimis exædificari curarunt, quam assumptioni Deiparæ dedicarunt; grauiter in fidei conseruatione augmentoque laborantes & indefatigabili studio rem Christianam promouentes: quorum alter cum ex imbecillitate corporis cæli intemperiem diutius ferre non posset, Goam redire est coactus; alter Andreas Ferdinandus nomine, amplius biennium in ijsdem locis, quamquam graui iam ætate hæsit: laboribus interim varijs afflictionibusque exercebatur, ac persecutionibus, vt sæpe vitæ adiret discrimen. Et quoniam incolæ, sicut & alij, quos vulgo Cafras appellant, inhumani, moribus asperi ac monitorum impatientes fere sunt, vt dum salutis commonentur, ac multo magis cum sceleris commissi arguuntur, pie monentem exsibilent, Andreas in populis erudiendis excolendisque multas minas ac contumelias pertulit. magnum cum alias adijt vitæ periculum, tum quibusdam præsertim diebus, cum Cafres armati

Duos in Inambane relinquit socios qui neophytis auxiliarentur.

& tempori. Triduum ibi biremis restaurandæ causa commorati, pergunt quarta die trãquillo pacatoq; mari ad Qualimanem fluuium, ibique rursus aduerso vento repente vexati & in ipso fluuio subeundo valdè periclitati, exscensione post tempestatẽ facta ad Mingoaxanem Giloæ regẽ Lusitanorum amicum cõtendunt, ab eõq; benignè ac liberaliter accepti, facta etiam promulgandi per vniuersum regnum Euãgelij potestate, quod rex tametsi Maurus, Mahometicos ritus superstitionesque exploderet, & religionẽ Christianam apud suos disseminari, eaque illos imbui magnopere cuperet. Diutius hic morari Gonsaluus noluit, quod ad Monomotapæ regẽ festinaret, & hoc ad Christũ adiuncto, finitimos reges longè viribus atq; auctoritate inferiores facilè ad eadẽ sacra perduci posse cõsideret. E Giloa ad amnẽ ingentem Cuamam tendunt, vbi rursus periculosa procella in Lindem proximũ sinũ compulsi, tredecim dies steterũt. Ostia Cuamæ cum ingressi essent, in ipso fluminis introitu re diuina peracta Gonsaluus à Lusitanis comitibus petijt primum, vt quoniã Monomotapæ fines ingredi inciperent, totũ legationis suæ negotiũ Domino suppliciter commendare ne grauarẽtur; deinde vt æqui boniq; facerent, si reliqua tota nauigatione se, vt precib. vacaret, ab eorũ cõspectu atq; cõsuetudine remouisset: in rebus præsertim grauioribus cõsulto potissimũ Deo exoratoq; opus esse. Sacris itaq; celebratis iubet in certa nauigij parte circa se prætẽdi cortinã, ibiq; octiduo ipso delituit, cũ semel tantũ quotidie tosti ciceris pugillo & exiguę haustu frigidæ sese reficeret; & quidquid à precatione supererat tẽporis, in euoluẽdo libro cõsumeret, qui scriptas Sãctorũ cõtinebat vitas

Qualimanes fluuius.

Quomodo se P. Gonsaluus initio legationis pararit in primo terræ aditu.

Octo

Sena haret ac plurimū boni præstat.

Octo igitur dies cum aduerso flumine Cuamam nauigassent, Senam, vicum satis populosum ac frequentem perueniunt; ibi descensum est, nuntiusque à Gonsaluo ad regem Monomotapæ de suo aduentu in intima regni missus, qui regem adeundi simul veniam rogaret: à quo dum responsum exspectat, interim Christianos aliquot Lusitanos qui ibidem commorabantur, à peccatis per confessionem absolutos, à turpi concubinarum consuetudine ad sacras nuptias legitimasque traduxit; catechismum publicè docuit, & è Lusitanorum seruitijs ibidem capita ferè quingenta baptismo lustrauit.

Rex Inhamioris baptizari vult.

Regem etiam Inhamioris, regis Monomotapæ stipendiarium, vt qui nonnisi tribus passuum millibus à vico Sena distet & sedem regni habeat, cum aliquoties adijsset, cohortationibus suis ita permouerat, vt se vnà cum vxore & liberis, libentissimè Christianum fore profiteretur. Sed Gonsaluus, partim quod nō habebat, quem apud illum catechismi caussa relinqueret, partim etiam ne Monomotapæ regis animum offenderet, si prius stipendiario quam ipsi Christiana sacra impertisset, Inhamioris regem vt potuit consolatus hortatusque, vt ipse cum suis Dei bonitate fretus in suscepto consilio permaneret, totam rem in aliud tempus distulit. Iamque alter mensis effluxerat, nec vllum responsum à rege Monomotapæ venerat, ita vt non parum Gonsaluus miraretur; cum Antonius Caiadus Lusitanus, qui morabatur in vrbe regia Monomotapa, Legatus à Rege, ad Gonsaluum aduenit Monomotapam perducendum. Gonsaluus

Iter Silueria Monomotapā versus.

nus ſacrorum ornatu cum ſacrato lapide & calice in ſarcinam colligato, ſublatoque in humeros ſe in viam dedit, pedibus iter conficiens, nec vllius opem in ſarcina deferenda requirens. Caret ſiquidem Monomotapa equis alijſque dorſiferis animalibus, præter Elephantos. Cùm ad fluuios ventum erat, qui multi in ea regione ſunt, ſi quidem vado ſuperari poſſent, quamuis ad iugulum vſque pertingerent, tranſibat elata manibus ſeu capite ſarcina: ſin minus, vaſi ligneo impoſitum peramplo Gonſaluum natantes ipſi propellenteſque traijciebant Cafres. Hoc pacto iter ſuum peragens, ſub noctem natalem Domini ad Chetuchin pagum haud longè à Monomotapa ventum eſt, factúmque ter ſacrum, pro more Eccleſiæ, ſumma ſui & Luſitanorum comitum animi voluptate. Octiduo hic hæſit, ſuam interim Deo miſſionem ex animo commendans. Inde natalium feriarum octaua cum vrbem Monomotapam regum ſedem introiſſent, miſit confeſtim rex qui Gonſaluum cum muneribus viſeret, auri pondere ingenti, vaccíſque permultis, quæ plurimi ab incolis fiunt, & famulatu ad miniſteria quotidiana: quippe qui de Luſitanis mercatoribus iam ante cognouerat, Gonſaluum generis claritate ac nomine inprimis eſſe conſpicuum; ideoque maximis ac digniſſimis eum donis afficere viſum. Gonſaluus gratijs actis, muneribuſque repudiatis, ex ipſo legato regem breui cogniturum eſſe reſpondit, quod genus auri, quaſve diuitias quæſiturus in ea loca veniſſet. Obſtupuit ea animi magnitudine rex, & apud ſuos proceres eamdem de- *Monomotapam ingreditur.*

prædi-

prædicans ait, vir hic multum ab aliorum natura distat, qui maxima animi contentione per mare ac terras aurum & diuitias quæsituri discurrunt. Cùm itaque bonam de Gonsaluo opinionem concepisset, crastina die veniente ad se illum tanta gratulatione & significatione honoris excepit, quanta neminem vnquam antea. Nam & in ipsa penetralia, quò nulli est aditus, introduxit, & assidente matre considere Gonsaluum etiam in tapete iussit, Antonioque Caiado è conclauis ianua interprete adhibito, rex continuo sciscitatur, quid auri, vaccarum (quas incolæ nō minoris quam aurum ipsum æstimare dicuntur) quantum prædiorum, quot denique feminas vellet; nam votorum quę profitebatur ignarus erat. Cùm nihil se præter ipsum regem respondisset optare, conuersus ad interpretem inquit rex, profecto necesse est, qui nihil horum accipiat, quæ a ceteris tantopere adamantur, longo hunc interuallo à reliquis distare mortalibus. & nihilominus, dum pluribus diutius inter se egisset, iterum eadem & etiam maiora munera obtulit. Sed gratijs Gonsaluus actis regi, & vale ei simul & matri dicto, domum redijt; hic aulam instruxit sacris celebrandis peridoneam, & altare extemporaneum adornauit, in quo Deiparæ, quā ex India aduexerat imaginem constituit. Vbi dum ille manè rem facit diuinam; è principibus quidam prætereuntes cùm è foribus aspexissent in ara propositam perelegantem illā sacratissimę Virginis imaginē, specie decepti ad regem deferūt, Gonsaluum egregia forma puellam apud se habere; cuius eximiam pulchritudinem regi tantopere deprędicant, illius vt videndę illum cœperit desiderium. Haud surdis auribus dicta.

Quomodo à rege exceptus

Quæ à rege offerātur ei munera.

Deiparæ imago.

Misit

Misit ille confestim, qui Gonsaluo renuntiaret, audire se, illum vxorem secum adduxisse, vehemẽter cupere, vt eam sibi sisteret. Tum Gonsaluus, tabulã pretiosa veste inuolutã ad regem defert: cuius desiderium quo magis exacuat, antequã tabulam detegat, præfatur illã esse effigiẽ matris Dei, creatoris cœli & terræ, cuius in ditione ac potestate sint omnes reges & Imperatores orbis totius; tũ deniq; tabulam aperit, regis quoq; matre præsente. Rex imaginẽ veneratus supplex, eius amore captus, Gonsaluum etiã atq; etiam obsecrat, vt eam sibi largiatur, domi habere se velle. Libenter Gonsaluus annuit: quinetiã ipsemet in regio cubiculo collocat, ibidemq; quasi sacellũ quoddã precãdi causa peristromatis pretiosis exornat. Narrant qui deinde post mortem Gonsalui venere Lusitani, noctibus deinceps circiter quinq; reginam cœlorũ ea ipsa specie, quã tabula ostenderet, diuina circumfusam luce, suauiq; splẽdore fulgentẽ augustissimo simul ac iucũdissimo aspectu dormitãti regi astitisse: quod ille mane matri narrabat rei nouitate vehemẽter attonitus, itemque Lusitanis, qui rem statim Gonsaluo renuntiabant. Postremo rex Gonsaluum ipsum accersit, ait se mirum in modum angi, quod sermones eius quæ singulis secum noctibus loqueretur non intelligeret. Cui Gonsaluus cum eam esse linguam diuinam dixisset, quam nemo cognosceret, nisi qui sacrosanctis eius reginæ filij legibus pareret, quippe qui cæli terræque esset conditor generisque totius humani redemptor, Rex in præsentia quidem si minus verbis, vultu certe ac significatione se Christianum velle fieri ostendit. bidui deinde spatio interiecto per Antonium Caiadum Gonsaluo aperte denun-

Deipara noctu regi apparet.

Regi loquitur, sed ignota lingua.

tiat, certum esse sibi matrique Christiana sacra suscipere; proinde ad se baptizandum quam primum veniret. Gonsaluo tamen dies aliquot supersedere satius visum, dum rex Christianæ fidei præceptis ac rudimentis simul cum alijs regni proceribus imbuitur. quibus cum satis iam operam dedisse videretur, quinto circiter & vigesimo post aduentum suum die Gonsaluus regem simul & matrem non sine solenni pompa & gratulatione baptizat. Regi Sebastiani, matri Mariæ nomen est inditum. Eo ipso die rex Gonsaluo, quoniam aurum respuerat, vaccas centum donauit; ille ne regis munus contempsisse videretur, ad Antonium Caiadum misit mactandas, vt in frusta dissectæ distribuerentur in paupeeres. Quam eius liberalitatem ac beneficentiam populus ingenti admurmuratione suspexit. Regem imitati trecenti fere è regni proceribus Christo sese pariter addixere, ac baptismum suscepêre. Hi numquam à Gonsalui latere discedebant, tanto illius doctrinę desiderio tenebantur, vt semper noui quippiam ab illo discerent; hinc etiam dona illi adferebant, lac, oua, butyrum, hœdos, aliaque id genus; sciebant enim alia eumdem non admittere: imò nec hæc quidem nec aliud carnis genus omnino gustabat; sed pauperibus distribuebat omnia, cocto dumtaxat milio quodam exiguo, herbisque & siluestribus fructibus victitans.

Rex cum matre baptizatur.

CAPVT

CAPVT X.

Rex Monomotapa Gonsaluo Silueriæ necem parat; quid post mortem illius acciderit.

REGE, regisque matre ac præcipuis regni proceribus Christo adiunctis, spectatæ vitæ morumque sanctimonia studioque salutis humanæ tantam sibi Gonsaluus apud summos æque ac infimos beneuolentiam conciliauerat, tantosque in omnium animis motus effecerat, vt in Christianam religionem vniuersa multitudo videretur incumbere; cum Satan boni omnis, hostis acerrimus, tot animas faucibus suis eripi, & rei Christianæ progressum in Monomotapa, quam tanto tempore suo presserat iugo, ægrè ferens, omnem mouet lapidem nequitiæ, quo nouum Ecclesię ædificium destrueret vt fractis muris fatisceret; quod quo ad exitum perducat facilius, illius fundamentum conuellere inprimis contendit, ac Gonsaluum Silueriam, in quo constructum erat, neci dare. Ad hoc quatuor delegit callidos veneficos Mauros, ac potentes, & apud regem gratiosos. Hi itaque coniunctis viribus ac machinis insidias, inferis cusas fornacibus, Gonsaluo struunt. Auctor conspirationis fuit Mozambicanus Mingnames, Mauricæ superstitionis antistes, siue, vt ipsi appellant, Cacicius. Ii regi partim coràm ipsi, partim per idoneum internuntium (quoniam auctoritate apud regem valebant) valde se dolere demonstrant, quòd tantum in capitis regniq; discrimen vltro seipse demiserit: Gonsaluum, cui tantum fidei & honoris habeat, missu proregis Indiæ, terræque Sofalæ regulorum, ad explorandum regis statum, solicitandosque ad defectionem popularium animos aduenisse, vt motibus excitatis ipsi deinde, infesto exercitu subsecuti, regem opprimerent

Satā Silueria necem machinatur.

Illius instrumēta.

Illorum vafri tiæ & insidiæ

primant, vitaque & regno exuant. Addunt insu-per fabulosa portenta, Gonsaluum veneficū esse teterrimum omnium & sagacissimum, varia ve-neficia ac medicamenta secū attulisse ad incolarū animos occupandos, regemq; mactandum poten-tia. Quicumq; caput suum aqua, (Baptismū intel-ligebant) perfundi paterentur, conceptis præser-tim verbis Langariorum (sic enim Lusitanos vo-cant) à Gonsaluo pronuntiatis cōfestim volentes nolentes in eius potestatē venire: idipsum alibi contigisse, proinde videret etiā atq; etiā rex quò progrederetur, cui se suaq; crederet. Si Gonsaluū abire permittat incolumem, fore vt ciues mutuis inter se cædibus amentes atq; lymphati miseran-dū in modum grassentur atq; concurrant. His alijs-que id genus mendacijs onerato regi, adolescenti præsertim, ac matri (vt est muliebre semper an xiū ac suspicax genus) facilè persuasum est, vt Gon-saluum primo quoq; tempore interficiendū cura-rent, qui vitam illis animæ attulerat. Nec dum ea cōsilia eruperant, clandestinis agitata colloquijs quin Gonsaluo eadē, diuinâ, vt credere fas est, re-uelatione patuerint. Cùm enim ad illum Caiadus se cōtulisset, illi mox Gonsaluus ait, Haud ignaro mihi nec imparato mors instat ab Rege; sed pâra-tus sum, cū visum Deo, vitam simul & sanguinem ad illius honorē profundere. Caiado ita incredi-bilis visa res, vt subridens prorsùs negaret. Iamq; dies aduenerat, qua diuino instinctu, necē sibi in-ferendam Gonsaluus didicerat (nemo id enim il-li significârat) cùm ab Antonio magnoperè petit, vt Lusitanos omnes qui in vrbe versarentur, ad se confestim accersat, Cōfessionem illorum, inquit, tuamq; simul excipere, & sacra Eucharistia hodi-erno die reficere vos omnino constitui; nec enim postea potero. Ille vix credere, & tantæ rei noui-

Lusitani dicti Lāgarij.

Rex Gonsaluum occidere statuit.

Diuinitus necem suā præsciuit.

tate perculsus, absentes illos euocat, Gonsaluus ad meridiem vsque præstolatus, cùm non adessent (vrbe enim omnes eadẽ die excesserant) cõsecratas consumpsit hostias, factisq; eodẽ die Christianis circiter 50. rosaria ijs ad precandum diuisit. Lusitanos verò sub vesperam redeuntes, Confessionis Sacramento, quoniam Eucharistiæ non licebat, purgatos, mira vultûs hilaritate animiq; tranquillitate animabat, vt in fide Deiq; obsequio firmi & constantes in persecutionibus & afflictionibus perstarent; animi quidem illi constantiã serenitatemq; in Gonsaluo notabant, quid tamen cãdidũ haberet in animo ignorabãt, aut quorsum illos hisce verbis excitaret, vnico excepto Caiado, cui Gonsaluus rem detexerat. Iisdẽ sacrorũ apparatũ dat in ædes Antonij deferendũ, ne in barbarorum incidat manus, & ab ijsdẽ nefariè profanetur; ostendens ita sequenti se nocte interficiendũ. Lusitanis domũ reuersis, ipse linteatus cum effigie crucifixi domi remansit, ad mortẽ se disponẽs, quã ad singula exspectabat momenta; reuertẽtiq; rursus Caiado pectus hominis manu leniter apprehendens, Antoni Caiade (inquit) profecto paratior ad mortẽ obeundam ego sum, quã ipsimet inimici ad inferendam; Regi autẽ ac matri libenter ignosco: Maurorũ quippe artificijs ac dolis inducti sunt. Hęc ille serena facie atq; hilari cùm dixisset, Antonius ab eo digressus, tametsi vix fieri posse putabat, vt rex tã nefario scelere sese obstringeret; tamen quoniã ex recẽti quodã sermone eius animũ exulceratũ, cõtra quàm existimasset, offenderat; & cogitabundũ illũ viderat, rẽ eminus subolfecit; ideo famulos duos ad Gonsaluũ custodiendũ ea nocte misit, vt siquid tumultus oriretur, significarẽt: ab his seruis ea quę de morte illius sequũtur, accepta sũt. Gõsaluũ, cũ sec⁹ hospitiũ in area ad multã noctẽ, quasi è corporis custodia exire

Ad mortem se parat.

Illius cõstantia.

gestienti mora nimis longa videretur, ita citatis gressibus ambulasset, oculis semper intentis in cælum, manibus modò sublatis ad sidera, modò crucis in figuram extensis vitam Deo, vt credere fas est, oblaturus, qui suam priùs in cruce pro hominum salute obtulerat, ducens ex intimo corde suspiria; suum denique, bona noctis parte transacta defatigatum, tugurium subijsse, habitaque coram Christi simulacro oratione, quod vnum solatium ei supererat, in arundineum stratum, in quo somnum capere solebat, decubuisse, & in somnum incidisse iustorum: id ex insidijs conspicati satellites octo circiter, ilicò irrumpunt illum suffocaturi. in ijs barbarus nobilis nomine Mocrumes, qui sæpe cum Gonsaluo familiariter egerat, ac conuiuium inierat, lectulo illum detrahit, ac pectori iacentis insedit opprimens, itaque pedibus illum collidit & impetit, vt pene interfecerit; arreptum inde pedibus brachijsque humo tollunt alij quatuor: sublati collo reliqui duo funem iniciunt, quo vtrimque adducto Gonsaluus expressam ex ore naribusque magnam sanguinis copiam effudit, ac spiritum simul Deo reddidit. Hic fuit gloriosus P. Gonsalui Silueriæ exitus, qui XI. Augusti die an. 1561. contigit. Tum verò Christi simulacro quod ille manibus tenebat, sacrilegis manibus comminuto, barbari defuncti corpus reste ligatum, attractumque in præterfluentem Monsengessem deijciunt, ne videlicet, (quod Mauri confinxerant) cadaner ipsum tam malefici hominis sub dio relictum, veneni sui tabo aërem inficeret, & luem incolis afflaret. Gonsaluo sublato, rex eadem sæuitia percitus, cùm eamdem nondum explesset, Christianos pariter quinquaginta, quos ille extrema die suo pepererat Domino, magistri prius donis exutos, iubet

Martyrium eius.

Quo die & anno contigerit.

Regis feritas.

iubet occidi. Id ſimul atque cognitum eſt, regni proceres, quos Excoſes vocant, rei atrocitate permoti, vno conſenſu conueniunt regem, & aiunt, Si hominibus hiſce mors idcirco debetur, quòd aquā infundi capitibus ſuis à Gonſaluo permiſerint (baptiſmum deſignabant) eadē & omniū noſtrum, & verò tua quoque, rex, cauſa eſt, omnibus vno eodemque letho occumbendum. Qua denuntiatione repreſſus regis furor cùm aliquantulum reſediſſet, eum biduo pòſt Luſitani quoque adeunt, docēt quàm graui ſcelere ſe obſtrinxerit, virum integerrimum innocentiſſimumque, qui ſolam animæ regiæ omniumque ſubditorum ſalutem ſpectauerat, tam nefariè interimendo: terrores inſuper addunt, non Deum modò indignam ſanctiſſimi viri necem debitis pœnis, ſed etiam homines ipſos nobiliſſimos bello atque armis vlturos. Ad ea diligenter rex excuſare ſeſe, culpam in ſuaſores impulſoreſque reijcere, magnum perpetrati facinoris dolorem oſtendere; denique vt facta verbis conſentiant, è quatuor conſiliarijs duos confeſtim interficit; interfecturus & alios ni fuga ſibi conſuluiſſent; nam rem ſubodorati maturè diffugerant: qui tamen quòd ſumma diligentia conquirebantur, nequaquam euaſuri manus regis exiſtimabantur, vt dignas nefario conſilio pœnas luerent. Horum alter erat Minguames ſceleſti huius conſilij princeps & auctor. Hiſce rebus perlatis in Indiā, Antonius Quadrius ei prouinciæ pro Soc. Præpoſitus, qui; P. Gonſaluū in Monomotapam deſtinarat, vti ſupradictum, non parum doluit, quod talem tamque eximium virum amiſiſſet Societas; ſed quod hinc enerat bonum, & ingentes quos Socijs addebat mors eius animi, vtpote qui tanti boni felicitatiſque participes erant, non minus illum recreabant: cœptā

Reprehēſus reſipiſcit.

Pœnitens in ſuaſores cadiu animaduertit.

Nuntius mortis Gonſalui cæteros Soc. viros animat.

 igitur

igitur expeditionem tantum abfuit vt intermo
fineret, vt eamdem pro viribus promouere con
tenderit, aliosque Socios Monomotapam mitter
ad cœpta promouenda satageret, quæ felicem o
mnino progressum habitura sperabat, eius Eccle
siæ fundamentis tam innocenti castoque sangui
ne positis. Quod tamen conceperat, exequi mul
tis eisque grauissimis causis impeditus non potuit
At octo aut nouē post annos, salutis humanæ sci
licet M. D. XIX. rex Lusitaniæ Sebastianus, ingen
tem aduersus regē Monomotapæ classem, auspici
js ac directione Francisci Barreti, qui sedecim au
amplius annis Indiæ Orientalis proregem egerat
& varios conflictus feliciter aduersus barbaro
inierat, direxit. Normam ei belli gerendi dede
rant, qui regi à consilio conscientiæ erant, quan
seruare exactè illam oportebat, priusquam barba
ro bellum inferret; ad cuius normæ præscripta
res ageretur, & rex iniuriæ quam ipse aut sui ir
rogarant Lusitanis, satisfacere noluerit, bellū æ
quissimum fore; quamuis illum quem desiderabā
exitum non habuerit. Barretus enim quamuis
multis regem Monomotapæ eiusque confœdera-
tos, quos prius subijcere oportebat, annis conti-
nuo bello exagitasset; tandem cœptis desistere in-
uitus coactus est; quòd impia illa ac nefaria Sara-
cenorum colluuies, (quæ tum ibidem mirum in
modum propagata erat) infectis veneno fontibus
ac cibis, omnes penè Lusitanos enecaret: adeò vt
permultos illa pestis absumpserit, & imprimis
ducem ipsum Franciscum Barretum, cuius mortē
ægerrimè tulere Lusitani; eius in locum alius suf-
fectus est, qui eodem animi ardore bellum pro-
secutus est, donec à rege Lusitaniæ in arcem, quam
haud procul inde Lusitani habent, cum suis se re-
cipere est coactus: ex hac in Saracenos excursio-

Rex Lusitaniæ classem aduersus regē Monomotapa misit.

Belli huius successus.

ones continuas facientes, ita eosdem attriuere, vt non nisi paucissimi in regno illo reperiantur, atq; ij omnes Regi Lusitanæ tributarij. Ceterum rex Monomotapæ iam Lusitanorum socius atque amicus est, quorum etiam opera suis in expeditionibus vti solet, magnisque stipendijs eosdem ad ad sepellicere. Classe illa quam Barretus ducebat, tres Societatis Sacerdotes etiam vehebantur, tũ vt militibus in ijs quę salutis erant opem ferrent, tum vt Monomotapæ incolas, si subiugari potuissent, fidem Christianam edocerent. Horum aliqui ibidem, non secus ac plurimi militum exstincti sunt, ceteri in Indiam concesserunt. Nullus deinde Sociorum in Monomotapam ibidem vt resideret missus est, non quod sterile solum, vt hęretici nonnulli obijciunt, subterfugerint. Loca enim longè steriliora adeunt, vt oram piscariam, aliaq; huiusmodi; abundant enim omnia quæ ad victum sunt necessaria, quæ auro quod hic obuium est, comparari queunt. neq; etiam ob incolarum barbariem feritatemque, cùm ad Brasilios multo etiam immaniores, nauigationem instituant. adhęc accedit, quòd plurimi in Monomatapa Lusitani commorentur, qui hic non minori quàm in patria securitate commercia ineunt. Causa igitur hæc est, quòd Religiosi D. Dominici hanc Christi vineam doctrina & vitæ exemplo colendam susceperint; Societas itaque ne falcem in messem mittat alienam, Monomotapa abstinet, ne alios cultores offendat. Quid tamen hactenus pręstiterint, compertum nondum habemus, nec de incolarum in fide progressu quidquam inaudijmus. Quare vela vento dantes mare petamus, ac quid in eo è regione oræ Sofalanæ contigerit, inquiramus.

Cur Societas Monomotapã non adeat

CAPVT XI.

Triste naufragium describitur, quod anno 1585. in Breuibus Iudææ nauis Lusitana, dum Indiam Orientalem peti[t] passa est; quas, qui eadem vehebantur, ærumnas sustinuerint, ac præsertim duæ turmæ, quæ enatarunt.

VT, quæ pericula adeant, qui zelo diuini honoris & salutis animarum acti Indiam petũt, vt incolas Satanæ tyrannide qua vincti tenentur, eripiant, manifestum fiat; triste quoddam huic historiæ naufragium inserere visum fuit, quod anno Domini M. D. LXXXV. nauis quædam incurrit, qua duo Dominicani & sex Soc. Iesu Sacerdotes, qui Indiam diuinæ gloriæ studio incitati adibant, vehebantur. Hoc porro extra propositum nostrum non videtur esse; occurrent hic enim præclara diuinæ erga homines prouidẽtiæ indicia, simul etiam hinc apparebit, Deum amara sæpe dulcedine quadam inexspectata, temperare, quò in aduersis aliqua consolatione permulceantur. Depromsimus autem hæcè litteris Petri Martinez Soc. Iesu ad finem anni 1586. Goa datis; qui singulari quodam Dei beneficio naufragio sospes ereptus est, quem tot educere periculis, in quibus alij socij & ætate iuniores & corpore firmiores perierant, Deo placuit, vt primus Iaponũ, decem pòst annis, foret Episcopus, vti suo referemus loco. Ceterum hunc in modum res contigit.

Triste naufragium.

An. salutis humanæ 85. supra millesimũ ac quingentesimum, quarto Idus Aprilis Olyssipone duæ Indiam versus soluerunt naues, quarum hæc D. Albertum, altera D. Iacobum tutelarem habebat. Ambæ initio nauigationis vehemẽtissimam tempestatem expertæ, vt penè in ipso portu ac limine cœpti itineris naufragium fecerint: sed vbi procella, quę triduo durauit, deſæuijſſet, nauis quæ in

D. Iaco-

D. Iacobi tutela erat XI. Iunij Insulas Martini Vasæi pertransijt, atque hic præsagia calamitatis instantis certissima, si dici fas est, conspecta sunt. Huc enim cum venissent, terribilis formæ piscis derepentè omnibus apparuit, qui ceteros qui nauem sequebātur fugauit, ac naui indiuisus comes adhæsit ad ipsam vsque noctem, qua naufragium passa; ei usdem siquidem vesperæ sub crepusculo proræ adnatauit, & ingentem aquæ vim eijcere visus est. ***Calamitatis præsagium.***

Itaque cum 27. Iulij Bonæ spei promontorium felici satis cursu prætcrnauigassent, magna repentè ventorum orta est diuersitas, subinde prouehebatur, subinde retrocedebat nauis, nonnunquam in proram, non raro etiam in puppim irruentes venti nauim concutiebant, vt fretum quod inter continentem Africæ oram & S. Laurentij Insulam, alio nomine Madagascar appellatam, interiacet, intrare se posse diffideret. In freto hoc è regione oræ Sofalanæ difficilis quidam est transitus, quem Lusitani *baixos da Iudia*, id est Iudææ scopulos aut breuia, nuncupant: sunt enim scopuli, aut potius lapidum acerui, coralli candidi, acuti & prominentes; nihil etiam terræ apparet. Hi cum maris accessus est, aqua penitus operiuntur, vt non prius quàm accesseris appareant. Hanc ob rem omnib. qui hoc mare enauigant sunt formidini, quod plurimæ illis naues illisæ miserè naufragiū fecerint, vti & hæc de qua iā loquimur, quæ cū ad freti fauces venisset, nobiles & quotquot auctoritate aliqua pollebant, consiliū captarunt, num fretum ingredi, an verò longius iter circum insulam suscipere consultum esset; quod venti ab occidente flare soliti iam dificerent, quāuis interim dum consulerent, satis vehementes essent. Solent siquidem, qui Indiam petunt, Pro- ***Scopuli Iudaa.***

montorio Bonæ ſpei ſuperato, conſilium inire, num per fretum, an Inſulã circumnauigando, curſum ſuſcepturi ſint. Si enim menſe Iulio Promontorium ſuperent, fretum intrare & Moſambicum appellere licet, atque ibidem reſtauratis aliquantiſper viribus, cœptũ iter proſequi, & eodem anno Goam appellere. At ſi nonniſi Auguſto menſe Caput prætervehantur, Goam, nonniſi anno ſequenti, appellere queunt: ſi enim in Mozambico in ancoris hæreant, oportuna nauigandi tempeſtas elabitur; ſi vero trans Inſulam S. Laurentij curſum inſtituant, Cocinum duntaxat pertingunt, quod vndæ & venti generales deficientes vlterius non propellant. Tandem melior conſultantium pars in hac ſententia conquieuit, vt quandiu occidui ſpirarent venti, curſum cœptum ſequerentur, & fretum ſubirent, ſi modo ad 22. gradum perducerent, at ſi orientales ante flarent, quàm gradum illum pertingerent, foris circũnauigarẽt.

Conſultatio de curſu capiendo.

Occidui igitur flantes eo vſq; nauẽ propulêre, vt quamuis freto exire cuperẽt, nõ poſſent. Decimo quarto Calend. Septembris ſolis altitudinem nauarchus dimenſus 23. graduum altitudiné, & tertiam vnius gradus partem deprehendit, quæ ſola tertia pars deerat, vt ad ſcopulos Iudææ peruenirent, qui huius ſunt altitudinis. Quod vèro proſpero vteretur vento, hoc eodem flante ſperabat ſe quadraginta leucas diei ſpatio cõficere, & nocte, quæ inſtabat, Iudææ ſcopulos tranſire poſſe: quocirca viſum ei fuit vela non ſubducere, ne vndarum impetu nauis in ſcopulos *Delas praias* id eſt plagarũ, præceps impingeret, ſicut ſane ita pridem naui D. Petro ſacræ contigerat. Cum itaque ſcopulos Iudææ ſe prætervectum putaret, quod excubitores qui in carcheſio erant, vidiſſe ſe, continentem verſus aues volitantes dicerent, velis

velis expanſis curſum proſequi iuſſit; metuebat quippe ne in Mozambicum debito appellere tempore non poſſet. Refragabantur huic Nauarchi mandato ceteri, qui nauigandi peritiores erãt, ac præſertim tractus huius difficilis naturam perſpectam habebant, dicentes non eſſe tam ſecurè ac temerè nauigationem hanc inſtituendam, cum nondum ſe euaſiſſe periculum, certi eſſent; ſed nauarchi, cui omnes parere debent, iuſſis obtemperatum eſt. Hic quidem in prora exploratores conſtituit, qui viderent, ne quod nauis diſcrimen adiret; at quod velociter ferretur, & nox eſſet obſcurior, nemo ſcopulos aduertit, niſi cum iam nauis in illorum eſſet medio conſtituta. Vndæ enim ſcopulis illiſæ in tantam ferebantur altitudinem, vt quo minus apparerent, impedierint. Omnibus itaque profundo ſomno diſtentis, prima noctis vigilia, nauis, omnibus pene etiam initio inſcijs, ſcopulis vehementius illiditur. Ventus quippe ſecundus vela impregnans tantũ ſtrepitũ edebat, vt fragorẽ colliſionis nemo audiret, niſi dum nauis diffringeretur: & quamuis nonnulli vertendã nauẽ inclamarent; tamẽ tanta venti fuit vehemẽtia ac curſus impetus, vt bis terve ſcopulis illideretur, antequam opẽ ferre nautæ poſſent. Infernè *Nauis confractio.* igitur in medio diffracta eſt, ac in præceps inuerſa ſcopulis inhæſit, adeo vt prima nauis contignatio ſcopulum tangeret, qui in medio concauus erat, & in hunc omnes qui naui vehebãtur præcipites cadebant. erat hæc concauitas ſatis vaſta, & in ipſo maris refluxu, horæ aut amplius ſpatio, colliculi quidam hic apparebant, quos reuertentes denuo fluctus contegebãt. Hoc verò tempore horum naufragium, non ſine ſingulari Dei nutu, contigit.

Si e-

Si enim aqua recessisset, nauis nō in ipso scopulo sedisset fracta, sed allisa scopuli lateri pessū iuisset, & vnà omnes nemine excepto, voracibus maris fluctibus absorpti fuissent. Aqua ad hæc fluens & accrescens, firmiter latera & tabulas nauis in scopulo retinebat, quibus deinde, nonnulli, vt suo dicetur loco, adhærentes euadere tentarunt.

Cur naufragium hoc terribile fuerit.

Hoc tamen naufragium multas ob causas omnium sanè naufragiorū fuit maximè terribile ac graue. Primò ob tēpus, nocte quippe obscura & intempesta accidit, qua neque cælum, neq; terra videri poterat, sed horrendi tantum fluctus, quibus omnes qui fecerant naufragium, singulis momentis operiebantur: deinde, quod à nocte media ad vsque auroram in continuo mortis præsentissimæ periculo versarentur, dum ad singula metuebant momenta, ne vndis obruerentur, quæ assiduò nauem, sub qua hærebant, vehementer impetebant, ipsosque penitus tegebant. Accedunt hic denique lamēta, clamores, ac gemitus, quos vnusquisque ex imo trahebat corde, Dei opem implorando, delictorumque veniam postulando. Confessionem inclamabant omnes. Sex in naui erant Sacerdotes, Dominicani duo, ac quatuor Soc. Iesu Sacerdotes; ac vnusquisque se ita morti propinquum credebat, vt cum Sacerdotes omnibus ac singulis seorsim operam nauare non possent, plurimi clara voce palam peccata tanto feruore proferrent, vt ijs imponere silentium nemo posset. Alij, quos se in facultatibus, honore, ac corpore ipso offendisse sciebant, reptando quærebant, veniam offensæ efflagitaturi, quasi iam iam ex hac vita emigraturi: quos si forte non inuenissent, obuios quosque obnixè rogabant, vt ipsorum nomine delictorum veniam ab ipsis impetrarent, cum

Naufragi ad mortem se parāt.

primum

primum videndi eos poteſtas daretur. Hæc igitur mortis formido, omnes vt in tuto animam conſtituerent, in cauſa fuit: abſque hoc enim fuiſſet, timendum erat, ne plures triſtius animæ quam nauis feciſſent naufragium. Hiſce in anguſtijs reliquo noctis ſpatio verſabantur; atque eo magis quod ignorarét quonam eſſent loco, ac num haud procul inde locus foret, ad quem adnatare cum tabulis poſſent. At cum iam dies illuxiſſet, atque vndequaque nonniſi aqua appareret, omnem euadendi ſpem abiccêre. Quare cum vnuſquiſque ante ſolis occaſum ſe iudicio Dei ſiſtendum crederet, de omnibus alijs rebus cogitatione ſepoſita, in hoc vnum intendebat, vt ad iter illud difficile ac metuendum diligenter ſe præpararet, vt nõniſi fletus ac laméta ſuſpiriaq; atq; alia doloris ac pœnitentię indicia audirentur. Etſi verò ad promouendam vitæ ſpem, funibus arreptis fractæ nauis tabulis aliqui ſe alligarent, fluctuum Deique arbitrio ſe committentes; in quo reis capitali iudicio damnatis, iamque ad mortem properantibus ſimiliores videbãtur, quàm ijs qui huiuſmodi commento vitam prorogare mortiſque neceſſitatem effugere ſe poſſe ſperant. At quoniam omnes naturâ mortem perhorreſcunt, multi vt vitæ conſulerent, noua conſilia, nõuas rationes inibant. Videre erat nautas quinos aut ſenos in malis nauis velut equitantes, infidis ſe maris fluctibus credere, alios tabulis colligatis ceu cratibus vſos inter fluctus terram inquirere: de quibus, quod nihil ſecum ciborum, quo vitam interea traherent ſumpſiſſent, quid actũ ſit, nemo vnquam inaudijt. vnde eos aut fluctibus obrutos aut fame confectos interijſſe coniectura eſt. fuêre tamẽ nonnulli, qui ſumptis ad vitam neceſſarijs in terrã appulere, hi cratibus, illi cymba nauis vecti; ſed tot in itinere ærum-

Spem abijciunt euadendi.

Aliqui euadere conantur, ſed fruſtra.

ærumnas & calamitates perpeſsi ſunt, permulti vt perierint, vti iamiam dicturi ſumus. Incipiamus igitur ab his qui cymbam ingreſsi ſunt.

Quid nauis Gubernator & aliquot alii egerint.

Rebus ita conſtitutis nauis gubernator primarius, ad mortem ſe non minus aliis quàm diligentiſsimè præparabat: interim de horum ſcopulorũ ſitu melius explorando agebat, eo nimirum conſilio, vt videret, num inter eos aliquis foret & tutior & commodior, ad quem vniuerſa ſe reciperet multitudo, donec nauis, quà Sofalam veheretur, parata & inſtructa foret. Quare cymbam nauis parari iubet quæ integra, læſa tamen permanſerat: hanc ipſe cum nauarcho aliiſque ſeptemdecim aut octodecim ingreditur, & omnia circũquaque luſtrat, ſed irrito conatu. Quid agendum hic foret, ſociis propoſuit. Omnes communi conſenſu dixêre; ſi nauem fractam repeterent, fore vt omnes qui in eadem remanſerant, audito nullum eſſe ad quem tutò ſe recipiant locum, magno impetu in cymbam irruant, atq; ita eamdem præ pondere neceſſariò ſubmergendam: Quamobrẽ conſultiùs ſe facturos, ſi iter repeterent, & enadendi viam quærerent, deinde, ſi poſſent, ceteris opem ferrent.

Cimbam reſtaurãt, & terrã petunt.

Hoc itaque captato conſilio, cymbam inſtaurant, vt reliquo itineri tolerando ſufficiat, proxima quippe terra ſexaginta aut amplius diſtabat leucis. Nonniſi duos ſecum ſumpſerant remos, quorum altero mali loco vtebantur, enſes duo per capulos colligati antennarum loco erant; linteamẽ quo ex nautis quidam cinctus erat, veli; ſtragulum album quod in cymba repererant, dolonis; funiculi quidam piſcatorij rudentum vice functi ſunt.

Sed quoniam rimoſa erat ſcapha, & aquam trahebat,

hebat, funium frustillis minutim concisis eiusdem commissuras resarciebant; picis vicem supplebant humor ille spissior salgamis addi solitus. vide vt necessitas, mater industriæ, plurima suggerat media, quæ aliàs vix quisquam adinueniat. Instructa iam scapha, viam quærebant, qua scopulos euadere possent, ne cymba ijsdem impingeret: quod verò humana id industria scire non possent, diuinam opem implorarunt, idque intercessione Deiparæ, votis sese singuli obstringentes, vt si è tantis periculis elaberentur, ædem illius in Guadalupe in Hispania summa cũ deuotione ac gratiarũ actione supplices adirẽt. preces Deo acceptas, ac vota Virgini matri grata fuisse inde cognouère, quod breui saxosas illas rupes euaderẽt, atq; in altum deuecti placidiore iam cursu ferrentur. Hac porro in itinere victus ratione vsi fuerunt, vt duæ dumtaxat Cidoniati (condimentum hoc est è malis cidonijs) buccellæ in dies singulos mane vna ac vesperi altera vnicuique suppeterent, sitim autem perexiguo vini aqua marina bene diluti haustu statis diei horis prouocarent potius quam exstinguerent. Neque enim aliam habebant; Gubernator verò paululum aquæ è floribus vi ignis eductæ in vsum suum habebat. Litanias sanctorum quotidie sub vesperam magno animi affectu recitabãt, quibus finitis sublata cælo voce diuinam opem supplices implorabant, pectusque subinde tundentes, commissorum alter alterum veniam rogabat. Gubernator hunc pietatis actum instituerat, cuius exemplo, & exhortationibus ceteri ad eumdem excitabantur. Hoc itaq; modo cum in cœpta nauigatione pergerent, quarto die terra apparuit. quantũ hic illorum fuerit gaudiũ, solus nouit scrutator cordiũ Deus. At quoni-

Diuinam opem implorant intercessione Deiparæ.

Terram detegunt.

quoniam locorum & oræ ignari erant, quatuor ad huc diebus littus raserunt, donec in amnem, quem subirent, inciderent. In hac nauigatione maximum à balenis similibusq; monstris periculum ipsis impendit, quæ excitato strepitu ac fragore, simul & incondito clamore & Dei imprimis ope fugarunt. Siti ad hæc enecabantur, vt non defuerint qui vrina epota illam sedare tentarint. Octauo tandem die cum à meridie cælum ventos ac procellam minitari videretur, in proxima loca, quorum alteri Trilinda, alteri Qualimane nomen erat, se recipere decreuerunt: antequam tamen exscenderent, inualescente paulatim tempestate parum abfuit, quin euersa scapha omnes perirent. Quare præsenti periculo consternati ad D. Virginis suffragia emissi antea voti repetitione confugerunt, neu exspectantes donec ad littus appulissent, alij vmbilicotenus, alij pectore in aquas se dedêre præcipites, & terram nacti sunt. Cumque primum egressi essent, duobus ad nauiculæ recularumq; custodiam relictis summa omnes contentione aquã recentem conquisierũt: qua inuenta præ nimia siti pronos se in eadem prostrauere, vt nec satiari nec à bibẽdo auelli possẽt. Interim in eos, qui ad scaphæ custodiã in littore rem auferant, indigena quidã Cafer incidit, quib. visis manuum plausu (quod apud eos humanitatis signũ est) occursum gratulatus, pisciculos aliquot obtulit, & ignem ad coquendum se inuestigaturum promisit. interim cum Lusitanorum alter ignem allaturus cum Cafro à littore recessisset, ducenti circiter Cafres arcubus ac sagittis instructi accesserũt, qui ne hostile quidquam moliri velle viderẽtur, depositis arcubus, manibus præ lætitia plaudentes, læta eos qui à fonte reuertebantur fronte exceperunt. Lusitani vicissim à fõte reuersi in beneuo-

beneuolentię signum vascula aliquot pomis Cidoniis melle conditis referta barbaris obtulerunt. Tandem nihil aliud illos machinari, quàm vt omnibus rebus, quas secum aduexerant, Lusitanos exuerent, manifesto patuit indicio. Cùm enim, quod postea euenit, metuentes Lusitanienses triginta sub arena condidissent, eos hoc astu inuenerunt. Centum namque illorum, ceteris circumstantibus, humi se prosternentes terram tamdiu vnguibus effoderunt, donec quod occultum latere arbitrabantur, inuenissent: nec eo contenti, stragulum illud, quo dolonis loco vsi fuerant, certatim arripientes in minuta frusta discerpserunt. Ex quo cùm Lusitani metuerent, ne pari immanitate in ipsos quoque sæuirent, cursu littus petiuere: sed irrito conatu. Ita enim exhausti ac debiles erant, barbari verò pernices & agiles, breui vt eos attigerint. Vestibus despoliatos, etiam indusio, nudos deseruerunt: prædam autem mulieres in sportis collectam domum retulere. Pati hæc oportuit, ne quid deterius contingeret, vti gubernatori nauis parum abfuit contingeret: huic enim cùm prædonum ductor (quem Xequū, id est ducem ac præfectum nuncupant) imperasset, vestes vt vltrò traderet, & ille parere nollet, tāto Xequus furore subitò est inflāmatus, vt impetū facto omnes illi vestes abstulerit, ne pileo quidē quo se à solis ardoribus tueretur, relicto. Eò calamitatis redacti cùm essent, ac cū forte haud procul inde Lusitani negotiarentur, & ignorarent, quorū opē exposcerent; ex intimo cordis affectu se Deo omnes Deiparæque patronæ suæ, commendarunt, quæ hoc in casu, vti & præcedentibus, misellis auxiliata est. Vix enim tres leucas confecerant, loca explorantes, cùm Qualimanem fluuium inciderunt, in quo Lusitani cum alijs interioris

A Caffris spoliatur.

oræ incolis magna exercere mercimonia sole-bant. Gubernator cùm nauem in flumine conspicatus esset, festinat in illam ingredi, quò in alterā ripam traijceret. At ecce è proxima silua repente rhinoceros exilit, qui gubernatorem & nauarchū qui aderat, deuorasset, nisi celeriter in nauem se recepissent; qua ad alteram ripam adnauigarent. Iamque in hac ripa expositi Cafros precibus induxerunt, vt socios eò loci adducerent, quod in præsentissimo vitę versarentur periculo: vnda enim accedēte omnia circumquaque latè stagnare solent, & cœnum agris induci, ita vt viatores cœno sæpè suffocentur. Sed efferos barbarorum animos mitigauit Deus, vt libenter postulatis annuerint, adeò vt omnes in vlteriorem ripam peruenerint, breuique in emporium quoddam inciderint, cui Franciscus Brociadus nobilis Lusitanus præerat, vti & cunctis Aethiopiæ locis Lusitaniæ regi hac in ora subditis; sed tum temporis aberat. ad aliud enim flumen Sofalam versus, quod triginta leucis distabat, concesserat, ancillis solis domi relictis; quæ cum misellos istos ac nudos conspicerent (nam quòd tum solis ardore, tum acutis vesparum culicumque morsibus dilaceratam in itinere haberent cutem, leprosi & vlcerosi videbantur) sortem illorum miserantes, vbertim lacrymari cœpere; ac statim cibi quoddam genus, ex milio confectum, (quod Mazaram patria voce dicunt) simul & pisciculos quosdam esurientibus apposuêre. Non procul ab hoc portu Mahometanus quidam opulētus commorabatur, Lusitanorum amicus ac socius, cui cùm nunciatum esset, naufragos quosdam eò appulisse, nihil cunctatus eosdem inuisit, ac gubernatori indusium, vestes, caligas, chlamydem, calceos & rubrum pileum; socijs verò aliquot orizæ

In portū peruenīunt, cui præerat Lusitanus nomine Franc. Brociadus

modios,

modios, magno beneuolentiæ indicio, largitus est. Quin & duas dedit naues, ac è seruis suis duos qui Louabam, vbi tum portuũ præfectus erat, eosdem deducerent; quibus ille visis miseratione tactus intrinsecùs; quidquid illis necessariũ erat, vltrò quàm promptissimè suppeditauit. Sed narrationis filum iam abrumpẽtes, & hos iam in tuto collocatos deserentes, ad alios veniamus, quos in scopulo in quo naufragiũ nauis fecit, reliquimus. Duæ enim aut tres turmæ inde se proripuerunt, & ad littus, vti iam narrabimus, appulerunt.

Liberalitas cuiusdam Mahometani.

Vt igitur illi qui scapham ingressi fuerant, discessere, aliquot alij videntes quendam colliculum, qui teli iactu à scopulo in quo hærebant, distabat, in maris accessu fluctibus non cooperiri, nisi forte cubiti altitudine; in quo multa tabularũ fragmẽta aliaq; naue eiecta collecta adhæserant; spem concepêre fieri posse vt & ipsi ibidem consisterent, donec nauigium quoddam extẽporaneum compegissent, quod conscenderent. atque ob id quadraginta fere eò se recipere sunt conati. Huc cùm peruenissent, tantum vndarum impetum eò in loco esse sunt experti, vt in maris accessu tolerari posse diffiderent. quare ad nauem reuerti cum vellent, quidam præ fluctuum impetu non sunt ausi. At verò eodem momento diuina benignitas, duas aut tres huc nauis partes, quibus dum adhuc integra erat, tegi consueuerat, ac plurium etiam tabularum cratem, quam in alio scopulo compegerant, fluctuum ventorumque ministerio impulit. Sed, quia plurimi in eam initio insilijssent, præ pondere deprimebatur; hæc itaque vacua cùm ad hos peruenisset, quasi cælitus oblatam arripuerunt, oportunam satis esse rati, vt ad scopulos quosdam, qui arborum instar in aquæ superficie eminebant, & tribus tantum

Secunda eorum qui naufragio erepti sunt, turma.

Diuina prouidentia erga illos.

leucis distabant deueherentur, terram istic se deprehensuros sperantes. Hic iterum nouum diuinæ in suos gratiæ argumentum apparuit. Appulit huc etiam, vnà cum nauis fragmentis, sarcina luteo panno conferta, simul & pars telæ lineæ, tum simul cum crate sarcina panni holoserici & altera damasceni vndulati; ex his vela confecere. Hoc modo ad nauigandum comparati, recto cursu scopulos petiuerunt, tam qui hisce cratibus, quàm qui nauis fragminibus insistebant. Huc cum appulissent, spe sua penitus exciderunt; erant enim scopuli albi coralli, præcipites & ensis instar acutissimi, ad quos pedes offendebant ac crura: in hos se animum despondentes, ac spe euadendi penitus sublata proiecerunt. Hic iterum in summa desperatione noua euadendi spes diuinitus affulsit; hic Deus multas tabulas, fragmenta, ac plurimas ex naue trabes vento impulit, ac præter edulia quædam in vasis bene obstructis duas mappas nauticas, quarum altera à Bonæ spei capite in Lusitaniam, altera ab eodem in Indiam rectam nauigationem edocebat: in quibus plurimum momenti vicerector nauis, qui aderat, reponebat. Augebatur nouis hisce accessionibus spes magis magisque, tum quòd varia edulia, non sine miraculo huc alluerent, vti cistellæ diuersorum condimentorum, velut cidoniati & electuarij, ac vasa aliquot vini; quæ omnia quoniam diuinæ munificentiæ accepta referebant, humili omnes voce immensas Deo gratias egerunt. Cratem itaque satis firmam tribus malis instructam cùm confecissent, artemonis seu veli maioris loco linteamen quod secum tulerant, adaptarunt; dolonis vicem ad proram mappa cum panno quodam damasceno viridi supplebant; pro epidromo seu mediocri

Spem & metum inter dubij fluctuant.

velo

velo ad puppim panno quodam holoserico & Damasceno, viridis item coloris vtebantur, commeatus erant triginta cistulæ grandiusculæ cotoniati, condimentorum seu salgamorum (vt vocant) sex pyxides minores, cadus item farinæ & alter aquæ dulcis, simul & tertius vini. Hoc itaque apparatu scopulis egredi conantur; sed gemebat cratis sub pondere, & propemodum mergebatur. Hoc viso vicerector confestim exilijt, eumque reliqui omnes secuti ad scopulos iterum tristes & quid agerent ignari se receperunt, seque ac vitam suam Præfecto commendarunt. Hic itaque cùm videret in ratem omnes recipi nullo modo posse (quæ sedecim tantum capax erat virorum) quodque tantæ multitudini victus neutiquam sufficeret, decem acceptis cidoniati cistellis, condimentorum sex, vini cado & aquæ dulcis altero, sedecim quos secum educere statuerat selectis, cautè subducere se atque à reliquis separare cogitabat. Quocirca cuidam ex nautis præcepit, vt clam & quasi ex insidijs rupto per dolum fune cratem solueret, ac licet ipse, vt ad scopulum rediret, cum clamore ac iurgijs imperaret, cratem non propelleret, sed dato studio à scopulo longius recederet. Nauta imperata facturus à scopulo cratem nonnihil remouens, dolone ad proram explicato, ad nauigandum accingebatur. Quo viso, ceteri lamentari ac plangere; quatuor aut quinque vitæ longioris desiderio per medios fluctus natando cratem sequebantur, quos qui crate vehebantur, repellere commiseratione tacti non poterant, inter quos institor quidam, natandi imperitus, miserè coram omnibus submersus interijt. Hoc ipso tempore aliud quiddam non minus lugubre accidit; Vicerector enim

Omnes pene submerguntur.

Versutia vicerectoris.

Christianæ fidei articulos & Deiparæ præconia decantabant, idque ita clara ac liquida voce, vt quidam suauitate delinitus, imum qui deesse videbatur sonum, (bassum musicorum vulgus nuncupat) accinere tentarit, neque ante duodecimum diem gratum hoc modulamen euanuit, ac tum quidem cùm quo famem ac sitim restinguerent, nihil penitus superesset, aquam marinam vini fæcibus permiscuerunt, atque hoc ipso potu biduo vitam traxerunt; soliciti tamen ne & hic priùs deficeret, quàm terram attigissent: quam demum die tertiodecimo sub solis ortum ingenti omnium gaudio conspexêre, ante solis tamen occasum appellere nequiuerunt, Tum tamen, quamuis & nox ingrueret, & quibus in oris versarentur ignorarent, præ nimia tamen qua cruciabantur siti, ad littus quoddam, tutum satis, appulerunt. Primus omnium viceregtor in terram exiijt, aquam quæsiturus, & ecce non procul à littore progressus aquam, scrobe ad cubiti vnius atque alterius profunditatem effossa, non sine miraculo inuenit, quòd scilicet locus hic accedente maris æstu semper inundaretur. Ad inuentum fontem concitato gressu reliqui accurrerunt, circa quem, cùm iam sitim restinxissent, vuidi, exhausti, viribusque fracti obdormiuêre. Postera luce sub auroram septem illis occurrerunt Cafres, quorum singulis rubrum dedêre pileum, pomis aliquot in grati animi signum ab ipsis vicissim acceptis, quæ famę prope enectis hominibus iucundissimi saporis esse videbantur. Ac quoniam quam inuenerant aqua turbida ac cœnosa erat, cum Cafre pacti fuerunt, si meliorem ac puriorem ostenderet, linteamen, quo pro velo vsi fuerant, se daturos.

Cælestem reliqui melodiam audiunt.

Secunda turma ad terram appellit.

Profectus itaque cum Cafro vicerector, vix semi-leucam processerat, quin aquam meliorem inuenerit, quam tanta auiditate vicerector bibit, vt Cafer stuperet. Tandem cum sitim sedasset, lagenas aliquot impleri iussit, quas vna cum hydrijs Cafer ac mulieres quædam ad socios, vice rectore ob pedum læsionem, lento gradu præcedente deferebant. Sed quid nefario Cafrorum pectore pullularet, breui patuit. Duo siquidem illorum in vice rectorem irruentes, vestibus illum spoliarunt, cuius tamē sortem miserati Damasceni panni vlnas aliquot, quas socijs illius abstulerant, ad verenda contegenda dederunt, atque ad ipsorum tuguria fucata beneuolentiæ specie inuitarunt; quod cum facere pertinaciter recusaret, ad socios quos ab ijsdem Cafris rebus omnibus spoliatos obuios habuit perrexit. Cumque iam omnes conuenissent, mutua consolatione nonnihil recreati, vnum qui ætate & humanitate quoque præcedere ceteros videbatur, secuti sunt, qui domi miseros excepit suæ, ac faseolos semicoctos (neque enim vt percoquerentur præ famis vehementia operiri poterant) esurientibus apposuit. Addidit & pira quædam siluestria, piris nostratibus hibernis non absimilia, sed adeò dura, vt dentibus comminuta deglutire non possent, nisi ter quaterue hausta aqua, quam vicepræfectus & alius quidam in hydrijs lapideis secum attulerant. Sed quoniam breui hæcce barbari inhumanitas refrixit, stipē ostiatim tandem petere coacti sunt: sed ad vitam trahendam quæ colligebant non sufficiebant, erat enim gens agrestis ac fera, vt misellorum calamitate nihil omnino commouerentur. Quamobrem ad mimicos & ridiculos gestus conuersi, histrionicis facetijs barbaros oblectabant, vt hac saltem ratione inuitis etiam stipem extorquerent.

A Cafris spoliatur.

Tanto-

Tantopere placuere barbaris, vt plerique plenis manibus faseolos & herbas, quibus vitam traherent, conferrent. In hisce ærumnis septem dies continuos viuebant;actum Cafrum istum, cuius domo excipiebantur, diuinus quidam spiritus impulit, vt de vice rectore Loabam, tribus distantem leucis ad nobilem Lusitanum Franciscum Brociadum, qui priorem turbam quæ scapha euaserat, hospitio exceperat, mittendo pro redemtione miserorũ cogitaret. Quæ durissimæ seruitutis finiendæ occasio vice rectori neutiquam negligenda videbatur, quo se ac socios hac ærumna educeret. Sed cum socios metuentes cerneret, ne cum sibi benè esset ipsorum obliuisceretur, atque ita sub tam duro seruitutis iugo vitam finire cogerentur, religiosè coram omnibus iureiurando promisit communem se omnium causam fideliter, prout rei necessitas postulabat, acturum; atque ita iureiurando deuinctum à se dimiserunt. Vix duas processerat leucas, quin in Lusitani huius seruum incidit, sciscitantem num in ora illa marina naufragos quosdam Lusitanos conspexisset, herum quippe suum, etiam Lusitanum, horum videndorum inprimis cupidum. Inopinus hic nuntius vice rectorem ita recreauit, vt lacrymæ grandiores vbertim oculis proruperint, atque imprimis cum horum de numero se esse vnum indicauit. Tradidit seruus litteras domini sui primo in quem incidisset naufragorum directas, quibus omnes ad se velut ad portum tutissimum inuitabat, iubebatque vt ab accolis nauigia peterent, & confidere se imperata illos sua quamprimum facturos. Erat enim viri illius per vniuersam illam oram littoralem authoritas maxima, tum dignitatis & muneris intuitu, tum quod 30. annos ibidem esset commoratus. Cafres igitur, qui ripam fluminis

Vnus illorum ad Franciscũ Brociadũ mittitur.

Litteræ humanæ Franc. Brociadi.

 huius

huius accolunt nauigium è trunco cauatum suppeditant,& illorum nouem Lusitanum comitati sunt,vt de ceterorum redemptione ageret. Diem ac dimidium iam nauigando consumpserant, & tandem ad portum vna distantem leuca à Brociadi ædibus appulere. Et quamuis vicerector citius eodem peruenire desideraret, tamen quod viribus exhaustus esset, & ex pedibus laboraret, vlterius procedere non potuit. in terra itaque fractus procumbens seruo Lusitani præcepit, obnixè herum vt rogaret, vt de commodiore itineris,conficiendi ratione cogitaret. Seruus imperata facturus coctam orizam ac tres pullos gallinaceos naufrago reliquit,quibus interim dum nuntius rediret,vesceretur.Sed vt fame extrema cruciabatur, vna refectione quidquid relictum erat absumpsit. Restauratis itaque paulisper viribus, viæ se committit. Vix mediam itineris partem confecerat,cum quatuor à Lusitano missa mancipia ipsum portatura prodirent,vno ex nautis comitante;qui cum scapha euaserant,ac biduo antè eôdem appulerant Rapiebatur in admirationem vicerector hoc viso, multoque magis cum nauigationis successum à principio illo narrante audiuit.Tandem ad nobilis viri huius ædes seruorum succollatione delatum generosus ac verè Christianus hospes,obuijs vlnis,lacrymans vbertim excepit,ac de omnibus quæ ad vires recuperandas necessaria videbantur, liberalissimè prospexit.ipse vero vicerector cum se & maris periculis & barbarorum manibus Dei misericordia, cui ob id immortales gratias ex animo agebat, ereptum cerneret, præ animi teneritudine ac gaudio amarissimè flebat sibiq; quòd inter Christianos tam liberalem tamque humanum hospitem nactus esset, plurimum gratulabatur. Non
tamen

tamen solidum hoc illi gaudium videbatur, quãdiu dura barbarorũ hominum seruitute socij, fame, siti, inedia propemodũ cõsumpti, premerentur. Quare cum animum ac vires nonnihil collegisset, necessitatem ipsorum nobili viro atque hospiti sigillatim exposuit, qui nulla interposita mora seruos Senam, vbi Lusitanorum arx & armamentarium est, misit, qui aliquot lineæ telæ sarcinas Cafris pro illorum redemptione portarent; ac ne propter interpositam moram miseri grauius affligerentur, alios seruos nauem conscendere & edulia ad famelicos deferre imperauit; simul & munus ad Cafri hospitis vxorem, quo mulier erga naufragos esset benignior. Et quoniã qui Senã missi fuerant, opinione diutius abessent, alia iterum captiuis alimenta transmisit, atque redemptionis spem propediem adfuturę afflictis adauxit. nec frustrà. Biduo namque elapso, seruis cum tela Senâ reuersis, sarcinisque duab. ad Cafrũ apud quem captiui tenebantur, missis, dura omnes seruitute liberatos, vnà cum prioribus domi suæ honorificè ac liberaliter habuit. Nec multò pòst ipse nauis gubernator & omnes penè qui in cymba euaserant, eodẽ appulere. Quanto vero gaudio è mutuo conspectu post tã horrendũ naufragium, post tanta terra marique èxhausta pericula perfusi fuerint, dici vix potest. Cum verò & hos in tuto collocauerimus, restat, vt & aliorum casum qui in scopulo hæsêre, referamus.

Liberat à captiuitate secundam turmam.

(∴)

CAP.

CAPVT XII.

De tertia quæ naufragio erepta est turma, & quos casus & pericula adierit.

POstquam iam illi qui scapha, & qui crate euasêre, de quibus hactenus locuti sumus, è scopulo, in quo nauis collisa est, discesserant; cæteri qui relicti erant, alter alterum dum sociorum exemplo exhortatur, manum operi etiam admouerunt, & è reliquis nauis fragmentis ac tabulatis inconditam quandam ratem compegerunt, terram quæsituri, quam duabus aut tribus confectis leucis se certissimo reperturos sperabant; spē siquidem faciebant scopuli quidam, qui arborū instar eminus conspiciebantur. Primus huic operi officiorum nauticorum quæsitor, cum consanguineis ac necessariis manum admouebat. Quod verò initio è periculo se posse euadere diffiderent, edulia illis relicta, ad solamen potius mortis, quam ad vitæ sustentationem conductura videbantur: cum vero aliqua euadendi spes affulsit, fame laborare cœperunt. Huic tamē malo hac ratione occursum est. excitato enim in cōuulsæ nauis fragmentis igne gallinas aliquot, quas viuas habebant, assarunt, atque has auidissimè famelici comederunt. Bonum id cunctis & lætum videbatur augurium, dum sibi persuadent, Deum, cum tantis in ærumnis, tam delicatis suos pascat ferculis, non defuturum. Cuius etiam rei illud euidentissimum erat argumentū, quod cymba, quæ sub prima nauis contignatione fuerat, cùm collideretur, cùm semifracta, & ab vnda procul delata esset, scopulo, in quo naufragium contigerat, inopinatò ac præter spem eorum qui ibidem hærebant, denuo adhæserit. Nulli hanc vsui fore credebant plerique, nobilis tamē

Bona præsagia.

vir,

vir è Lusitano & Inda natus, cui nomen Eduardus Mellus, qui inter ceteros erat, vtilem fore asseruit, efficacissimisq; verbis tum nauarcho tũ alijs quibusdam persuasit, vt ad instaurandũ nauigium animum & manus admouerent. Quod cum magnã molestia aggressi essent (accedente enim maris æstu alij pubetenus, alij pectore aquis immersi stabant) bidui spatio cæptum opus absoluerunt. Vt autem influentem per commissuras aquam excluderent, sex circumcirca funibus nauigium arctissimè vinxerunt; & quoniam puppis penitus erat ex illisione conuulsa, capsarum quarumdam tabulis & vasorum malè compactorum fundis vtebantur, quarum iuncturas indusiorum frustillis velut stuppa constipabant, ac deinde casei cõtusi vnguine loco picis omnia circumsecus illinebant: tanta tamen aquæ copia continuò subintrabat, vt duo in exhaurienda noctu diuque vix sufficerent. Atque hoc tandem modo instructo nauigio, in quo veli loco pannus, rudentum funiculi piscatorij vsui erant, Nauarchus quibusdam innuit, rem tentare & nauigium conscendere se velle, ac præsertim Patribus Dominicanis & Societatis Iesu, qui in scopulo manere, quo ceteros consolarentur, & cùm illis morerentur, non abnuebant. At P. Petrus Martinez, à cuius nutu reliqui dependebant, cum sciret omnes confessionem peccatorum iam fecisse, crederetque Deum operâ forsan nonnullorum, ad maiorem suam gloriam & infidelium in India conuersionem vti velle, oblatam conditionem amplecti esse multò cogitauit satius. nauigium igitur conscendit cum tribus alijs eiusdem Soc. Petro Aluarez, Emmanuele Diazio, & Emmanuele Herrera. Alij enim duo nempe Vincentius Sapata, & Ioannes Gonsalez cum nonnullis alijs, qui cratem aliam com-

Eduardus Mellus cymbam resarcire iubet.

Noua nauis compingenda ratio.

Alia cratis quæ feliciter appulit.

compegerant,rogati, quò illos consolarentur; & in animæ periculò adessent,nauigabant. Tantum verò abest, vt Pater Martinez eorum precibus nô annuerit, vt ipse etiam aliis in alia adhuc crate abeuntibus se socium vltrò obtulerit. Sed promptam illius voluntatem Eduardus Mellus, nauigationis huius præfectus (omnium siquidem suffragijs electus erat,qui compingendi illis nauigij auctor fuerat) impediuit. Idque non sine singulari Dei prouidentia,nam cratem illam, quam ascendere parabat,perijsse credibile est, nihil enim de illa postea fuit inauditũ. Soluerunt itaque,sed cum ingenti animi mærore, quod tam multos in scopulis socios relinquerent vndaru[illegible]luctuum furori expositos.auxit mærorem triste in decessu spectaculum. Sex siquidem prægrandi mali fragmento insidentes, impetu vndarum euersa trabe, vorticibus marinis absorpti miserè coram omnibus periêre.

Circa meridiem itaque cum soluissent, tota illa die scopulis qui ad plurimas leucas porriguntur, exire non potuerunt, tribus tamen leucis confectis egressuros se putabant, sed eo quo ceteri modo decepti sunt,coralli albi scopulis arborum loco repertis. Ingruente nocte, quod vbi elabendi via esset ignorarent, ibidem pernoctare decreuerunt; repererunt hic plurimos qui è conuulsæ nauis tabulis huc delati appulerant. Viso hi nauigio, properarunt vt in ipsum admitterentur, sed quod capax non esset, repulsam passi sunt, vno excepto qui violenter ingressus est.Ceteri tum suo tum aliorum dolore exclusi ad scopulos redire coacti.

Postri-

Postridiè priusquam vlterius procederent res lamentabilis ac lugubris accidit. Nauarchus enim ac ceteri nauis ministri cum cymbæ malè compactæ angustiam ac nauigationis susceptæ longitudinem; tum vectorum multitudinem maturè perpendissent; ipsam tanto oneri imparem esse palam dixêre; quocirca cùm præfecto exonerandum omnino esse quoque persuasissent, ipsius arbitrio, quoscunque voluisset vel dimittere vel retinere, commiserunt. Atque ita duodecim cum ingenti animi dolore ac lachrymis exire compulsi, ad scopulos, vbi eduliorum adhuc aliquid erat, quo, donec insperatam euadendi occasionem DEVS obtulisset, viuerent, se denuò receperunt. *Nauigium exoneratur.*

Hic euenit, quòd de fratribus duobus germanis nonnulli tradidêre, quorum natu minor cum maiorem gubernatoris mandato nauigio exclusum cerneret; illius in locum subrogari voluit, illum & laboris esse tolerantiorem, rerum peritiorem; & manuum artificio sibi longè præstare dicens, qui eodē sorores & vniuersam sustentaret familiam, quocirca satius videri, ipse vt fratre sospite moreretur. Non euicit pij fratris oratio; nam vnà cum ceteris exclusus est: at quoniam natandi peritus erat, sex horas natando nauigium est secutus; quod cum manu comprehendere contenderet, ense nudato manus illi præscindere ceteri comminati sunt. *Fratrum duorum dilectio.*

Tanta nihilominus constantia illius fuit & audacia, ensem vt apprehenderit, quem quamuis grauiter saucius non prius dimisit quàm reliqui commiseratione moti in nauigium illum

illum admiserunt, atque ita suam simul & fratris vitam seruauit. Discedebant simul & quatuor crates, maiores duæ ac totidē minores, quæ eo die & nocte sequente nauigiū sunt secutæ, sed postridie nonnisi vna, qua duo Societ. Patres vt diximus, vehebantur, eminus visa est, reliquas vndarum impetus Sofalam versus impulerat. Qui nauigio vehebantur nautici gnomonis & chartarum geographicarum vestigia secuti, ad Mozambicum cursum direxere; octiduo continuo ventis tam lenibus, marique tam tranquillo vsi sunt, nullam vt molestiam in cursu experti sint, quod singulari Dei beneficio contigisse fatebantur. nam si paulò vehementior ventus fuisset exortus, nauigium proculdubiò in præceps facilè pertraxisset; erat enim puppis ita malè compacta vt ne mediocri quidem agitationi resistere potuisset. Victu tam exiguo tota ista nauigatione vtebantur, vt circa meridiem nautici panis frustū ac vini benè diluti haustus modicus vix singulis distribueretur, nec liberalius in cœna excipiebantur. Sed de victu ac potu parum laborabant. Litaniæ quotidie clara voce recitabantur, Sanctorum intercessio ac Deiparæ imprimis implorabatur, in cuius honorem pecuniæ ingentem vim oblaturos se spondebant.. Cum plerosque ex vectoribus, etiam præcipuos, sitis diuexaret & maris impetus Sofalam versus nauem impelleret, sic vt spes Mozambicū appellendi fatisceret, mutato consilio ad primo apparentem continentem appellere visum fuit. Sed pridie quàm ea in conspectum veniret, ventus quidam vehementior ab oriente nauigio incubuit. Tum verò quod nox ingrueret, & ignari locorum errarent, ibidem pernoctandi consilium cepere; quare aquæ fundum dimensi (qui nouem cubitorum erat) eiectâ loco rudentis lineâ telâ, & ancho-

Triplicis cratis iactura.

Nauigij cursus & victus.

anchoræ in vicem mille treceutis regalibus Hispanicis cum ferri frustis aliquot, nauigium firmarunt. Postero die terram eminus conspicati, eôdem cursum dirigunt. Verùm cùm inconsultiùs nauigarent, quòd se extra periculum crederent, parum abfuit quin in ipso, vt aiunt, portu naufragium facerent. Accedente enim maris æstu, turbo vehemẽs exortus est, vt omnes in summo periculo versarentur. Hinc tanta egrediendi omnes cupiditas cepit, vt vim ventorum nihil remorati nautæ, expansis velis nauigium vento vndique agitatum ad littus propellerent: cumque fundum nauigium tangeret, omnes in aquã se dedêre præcipites, nonnulli pube tenus, nonnulli pectore. Vuidi igitur, nauseabundi ac fame sitiqúe præterita exhausti, in littus, omni commeatu iam absumpto, exsilierunt. *Naufragium penè in portu faciunt.*

Hic in editissimo loco crux erecta circumcirca in genua prouoluti, Deo Optimo Maximo, cuius auspiciis eò appulerant, gratias supplices egerunt. Deinde quòd præ nimia siti fauces præcludi viderentur, Cafrum aliquem (à quibus hæc ora, vti diximus, inhabitatur) sibi obuium fieri petunt, qui ad fontem sitibundos perduceret: sed quia naufragorum numerus satis erat copiosus, quos fortè illi eminus conspexerant, metu consternati recedebant: donec ducenti telis, iaculis arcubusque instructi, breuissimo tempore simul collecti essent. Hoc siquidem hominum genus cõcitatiore cursu per densissimas & impeditissimas siluas fertur, quàm nos in plano campo: atque ita socii qui in cauernis delitescunt, de aduentu naufragorum certiores facti, dicto citius armati comparuêre. Mox in misellos naufragos tot casibus iam exercitos impetu facto, quidquid secum tulerant diripuêre, pannum scilicet, quo veli vsi *Appellũt.* *A Cafris dispoliantur.*

erant loco, & holoserici panni sarcinas tres, ac reliqua quæ soli vt siccarentur exposuerant: Deinde in illos conuersi, vestibus omnes pene spoliarunt, & nisi noctis ingruentis beneficio elapsi nonnulli fuissent, nihil cuiquam reliquum mansisset.

Nonnulli priusquã nudarentur, barbaros inuadere ac vim vi repellere cupiebant; nã qui in crate vecti erant, in qua duo Societ. Patres fuerant, cum paulo inferiùs ad Sofalæ orã appulissent, se iam paulo antè cum his coniunxerant, adeo vt in vniuersum quinquaginta septem numero essent, atque inter illos nonnulli gladijs instructi; tamen quod sclopeta nulla ad manum, & viribus exhausti omnes essent, sano gubernatoris suasu ac consilio conflictu abstinuerunt; omnes enim à Cafris, si restitissent, interfecti fuissent. Patientiæ igitur armis se pleriq; communierunt, sanè magno suo bono; aliqui enim qui defendere se conabantur, grauiter vulnerati, cœptis destitêre.

Hoc igitur modo cum barbari naufragos excepissent, nuditatem suam noctis ingruentis beneficio texerunt, & cursu per littora concitato in tutum se recipere locum contenderunt: euitare tamen non potuerunt, quin duos præcipuæ nobilitatis viros barbari captiuos abducerent, pretio postmodum in seruos venumdaturi. Ceteri cum idem discrimen euasissent, bonam noctis partem in ea littoris parte, quæ Mozambicum respicit, percurrenda consumpsere, idque eò consilio, vt amnem reperirent, in quo Lusitani mercatores forsitan agerent: sed cum defatigati cœptum iter prosequi non possent, in siluam littori vicinam se abdidêre.

Illorum manus effugiunt.

Quo cum ventum esset, & quieti se compone-

ponere aliqui vellent deficientibus ſtragulis, arborum ſe folijs contexerunt, alij effoſſa vnguibus foueâ, in ea ſe viuos quodammodo ſepelierunt. Verum in lectulis parum mollibus miſeri ſomnum capere non potuerunt. Sed vix ſe ad quietem compoſuerant, quin iterum abrupto ſomno in viam ſe dare coacti ſunt. Cùm hoc modo longiuſculè progreſſi eſſent, vmbras petere ad aquam dulcem ſiti ſtimulante quærendam, duabus ante meridiem horis, ſunt compulſi. Huc iterum derepente Cafres eos adorti iaculis ac ſpiculis armati, ad ſuas eos caſulas vi coegerunt, apud quos quindecim diebus in arctiſſima cuſtodia detenti ſunt, vt ne aquam quidem recentem impune inquirere liceret. *Iterum in captiuitatem abducuntur.*

Nudi penè erant omnes, tertiò enim à Cafris ſpoliati erant. In ſole decumbebant ſuper frigidam, ſarmentis aliquibus milij ſubſtratis, nihil quo nuditatem tegerent ſuppetebat, præter vile ſtragulum & ſcruta quædam tenuia. Cibus erat milium aqua ſubactum, nullo ſale conditum, idque tam parcè, vt ne fame emorerentur, è furfuribus panem ſub cinere, noſtro more coquerent: ex quo cui fruſtum aliquod obtigiſſet, is gaudio geſtiens fælicem ſe credebat. De carne & piſce nulla hic mentio; quibus & Cafri nonniſi rariſſimè veſcuntur. *Quomodo apud barbaros vixerent.*

Erat præterea tam intenſum de nocte frigus, quamuis ſub Zona torrida, vt niſi luculentum de nocte focum excitaſſent, vim frigoris minimè perferre potuiſſent. Tantus vero de die ſolis erat æſtus, vt ardere videretur, & plurimis illorum, brachia ac tibiæ puſtulis, lepræ in morem ſcaterent.

In his tamen difficultatibus animum spirituali consolatione complebat Deus,& sanitatem omnibus dabat optatissimam. Hoc itaque modo cum vitam agerent,neminemque haberent,quem Mozambicum vel Qualimanem redemptionis procurandæ causa mitterent; Mahometani cuiusdam, qui regioni huic cum Xechi potestate præfectus erat,&ad Lorangam amnē octo inde distantē leucis habitabat filius,eò redimendi causa venit. Sed quod Mauri in offerendo & promittendo tenaciores esse soleant,& ipse secundo & tertiò cū Cafris egisset,nec pacisci posset, re infecta discesit, & omnem redemptionis curam seposuit. Quamobrem cum se viderent indies debiliores fieri ac viribus fatiscere,quòd cum fame durissima alijsque ærumnis confictandum esset,duos suorum ad Maurum destinant, orantes vt quidquid Cafri exigerent, libenter erogaret, sanctè iurantes fore, vt quidquid in illorum redemptionem impendisset,ipsi etiam cum fænore redderetur. Sed nec hoc quidem modo quod postulabāt impetrarunt. Quocirca duobus Religiosis in persuadendo acribus ac vehementibus id negotij datum, fratri scilicet Adriano instituti D. Dominici, & Emmanueli Her: eræ Soc. Iesu,qui Deo cœpta secundante negotium tandem ex omnium voto confecerunt. Interim dū de redemptione agitur,nonnulli diuturnæ captiuitatis tædio ad Xechum se receperunt, quos nocte quadam sedecim alij secuti sunt. Cum numerum captiuorum imminutum viderent Cafres,de ijs qui remanserant, fugæ ceterorum vltionem sumpsere, ac ne forte aliorum exemplo fugæ se darent, arctiori eos custodia detinuerunt. Triginta siquidem angustæ casæ vel carceri inclusere, quæ vix viginti capere poterat,vt semper erectos stare oportuerit: ac tum primum

Saracenus redimere vult sed de pretio non conueniunt.

Oratur vt quidquid Cafri exigant, eroget.

Captiui arctius detinentur, & peius habentur.

nũ famem quamuis maximã vt minimum incommodum habuêre, tanta enim erant cetera, hanc vt parui facerent. Nam præterquam quod in loco angusto perpetuò stare molestissimũ esset; caloris ardor tam erat vehemens, vt in fornacem ardentem compacti viderentur. Præclaram hic de pœnis inferni aut purgatorij meditandi locus materiam dabat. Huc accedebat quod Cafres malignorum dæmonum instar, circum tugurium cursitantes, mille in captiuos contumelias & iniurias euomerent, ac duos qui ob loci angustiam recipi non poterant, verberibus multis afficerent. Illi interim oculos ad cœlum conuertere, & DEI opem Beatissimæ Virginis suffragio implorare, ac communi se omnes voto obstringere, si tantis miserijs & angustijs eripi contingat, cùm primùm ad locum vbi Christiana religio coleretur, peruenissent, confessione omnium anteactę vitę delictorum præuia, in gratiarum actionem rosarium Deiparæ ter & sexagies se recitaturos; idque in honorem sexaginta trium, quibus in hoc mundo illa vixisse piè creditur, annorum, momoriam. Votum ac preces exaudisse Deipara videtur; haud enim ita multò pòst litteras ab Emmanuele Herrera (qui ad Xequum vnà cũ F. Adriano missus fuerat) receperunt, quibus propediem illos liberandos significauit. Nec fefellit; eadem quippe nocte Xequi nepos, quæ Cafres postularant afferens, appulit, ac tum primum liberati fuêre. *Ad Deum confugiunt & voto se Deiparæ obstringunt.*

Ceterùm in illorum digressu facilè videre fuit, quàm illorum curam gereret afflictorum protector DEVS. Erat in captiuorum numero chirurgus quidam peritus vt qui maximè ac præsertim venæ incidẽdæ, is thecam secum è naufragio tulerat chirurgicis instrumentis instru- *Liberantur.*

ctam, atque inter cætera ſcalpellis quibus in minuendo ſanguine vtebatur. Hanc illi Cafres vnà cum aliis rebus in littore abſtulerant, eius recuperandæ omni ſpe adempta, ex quo vir optimus non mediocriter dolebat. Nam ſi quem in morbum incidere contigiſſet, & per venæ inciſionem ſanguis corruptus educi non potuiſſet, eius vita in maximo eſſet diſcrimine verſata. Nam licet nemo in redemptione, thecæ huius mentionem feciſſet, & iam bonam itineris partem confeciſſent, per puerum illam barbari, nullo (quod mirandum) petito pretio, remisêre. Et ſanè eam habuiſſe profuit. Cùm enim ad Lorangam perueniſſent, omnes in morbum grauiſſimum inciderunt, abſque hac enim fuiſſet, vt omnes morbo hauddubiè, qui ſanguinis imminutione curari debebat, periiſſent.

Theca Chirurgi reddita non ſine miraculo.

Quæ deinde opus fuit.

Media nocte in viam ſe dedêre, & ſine intermiſsione iter ſunt profecuti, ad vſque horam ſecundam pomeridianam diei ſequentis, ac tum primum ad Lorangam flumen peruenêre, quod in mare Sofalæ oram & Mozambicum inter ſe exonerat; vbi Xequi domus erat, à quo redempti fuerant, & humaniſſimè ſatis excepti; quamuis nonniſi vrgente fame pauxillum orizæ ac milij apponeret.

Hæc vitæ victuſque illorum ratio apud Xequum ſex hebdomadis fuit, vt non minus hîc quam apud Cafres fame preſſi fuerint, quòd Xequi fortunæ modicæ, & captiuorum numerus magnus eſſet. Acceſſerant enim ij qui in crate euaſerant, vt dictum eſt, quamuis paulò inferiùs ac Sofalæ propiùs appuliſſent. At quoniam duarũ harum turmarum vinctarum iam mentio incidit

dit obiter dicendum, quàm procul cæteri ab his appulerint. Prima itaque turba, cum nauis gubernatore, quæ scapha euasit, triginta leucis à Lonaba appulit; secunda tribus dumtaxat; tertia & quarta, quæ Lorangæ erant, quinquaginta à Loaba leucis aberant, quò tandem omnes venêre, vt suo loco dicemus. si verò omnes, qui naufragio erepti erant, huc conuenissent, nonagesimum facilè numerum complessent, qui è ducentis quinquaginta, qui naui vehebantur, dumtaxat euaserant: at multi qui maris euaserant pericula, in terra mortui sunt, vti iamiam narrabimus, etiam è duabus turmis posterioribus.

Xequus igitur cùm esset inops, & tot hominibus alendis necessaria non suppeterent, durissimam famem sunt passi; qua vires tandem ita attritæ fuêre, vt multi malorum magnitudine ac diuturnitate victi interierint, cæteri grauissimè ægrotarent. vt in tanta turba vix tres quibus ad mortuos terræ mandandos vires suppeterent, inuenirentur. Et licet tenuissimè ac miserrimè haberentur, Xequi tamen copiæ omnibus alendis pares non erant: quare ad vicinorũ ædes ac familiarium traducta colonia, sed nec hæc excepta lautiùs. *Multi fame & miseria intereunt.*

Inter eos porro qui hoc in loco è tam dura seruitute ad æternæ vitæ libertatem euolarunt, fuêre quatuor SOCIETATIS IESV Religiosi, tres nempe Sacerdotes, VINCENTIVS CAPATA, IOANNES GONSALEZ, & PETRVS ALVAREZ, quartus fuit EMMANVEL HERRERA, qui sacris non erat ordinibus initiatus; qui procul *Quatuor Soc. Iesu moriuntur.*

ab omni humano solatio in summa miseria, in tribulationis cruce, cum Christō, cuius fidei propagandæ causa iter hoc susceperant, vitæ finem habuêre. Stratum erat, straminis perpusillum; tegumētum quo ægrorum corpora operiebātur, breue ac vile stragulum; refectio oriza vel miliū, idque exiguum, potus, frigida. Mirum vt non sit, omnes propemodum in morbum grauissimum incidisse, plurimos verò mortuos. Medicamentum nullum ęgris adhiberi poterat, vnum omnibus atque idem supererat educendi sanguinis remedium, quem chirurgus subinde eximere verebatur, dum metuit ne viribus fatiscentibus exanimarentur; si verò sanguis non minuebatur, & corruptus purum inficiebat, mortis euitare discrimen non poterant. Hinc factum vt plurimi ex hac turba perierint, & inter ceteros quātuor illi Soc. Iesu Religiosi, vt nonnisi duo superessent, Petrus scilicet Martinez, qui totam naufragij huius seriem perscripsit, & Emmanuel Diazius, qui Sacerdos non erat. Vt verò Deus tunc quos voluerit è calamitatum abysso educere solet, cū ad summum peruenisse videntur, vt datam melius gratiam agnoscant, dum quibuscum conflictātur malis, eos dum minus cogitant, educit; auxilium ita suum nihil minus exspectantibus, imo se destitutos credentibus largitus est. Calendis siquidem Nouembr. die omnium Sanctorum festiuitate venerando (quorum opem magni animi pietate postulauerant) nauigij quoddam genus, quod Pamgaiam barbara lingua vocant, Mozambico Cuamam versus plenis velis tendere conspexêre; proram tamen Lorangam, vbi tum morabantur, versus obuertere. Hoc viso ita omnes recreati sunt, vt iam à morte ad vitam rediisse vide-

Plures itē alii, & omnes in periculo mortis versantur

Tunc illos Deus liberat cum grauissimè affligebantur.

viderentur, singulari Dei nutu credentes nauem huc missam, quę è grauissimis eos educeret miseriis. Nec vana spes fuit. non enim sine eximia Dei prouidentia nauis huc appulit, quòd Gubernator in mandatis haberet, Lorangæ amnem, in quo olim nauis tempestatis vi eò delata, fuerat à Cafris direpta, vitare. Atque idcirco alium amnem Quisungum nomine, paulò remotiorem, Mozambicum versus, petebat. Hic cum ab adolescente Lusitano, qui Cafrorum manus effugerat, interea dum apud illos in prima captiuitate foret, didicisset, & naufragium & durissimam seruitutem qua socij Lorangæ premebantur; nihil imperium moratus illorum à quibus missus fuerat, captiuitate omnes educere statuit, quòd alioquin non fecisset. Nauis itaq; huc cū appulisset, omnes à nobili quodam Lusitano, qui eadem naui vehebatur, redempti sunt, & gubernator panno quem secum aduexerat omnibus vestes parauit.

Dei prouidentia illis opitulatur.

Christiana charitas erga miseros.

In nauem itaque admissi, humaniter excepti fuêre, & tum in victus ratione, tum ceteris humanitatis officiis bene liberaliterque habiti, vt breui amissas vires recuperarint. Loranga egressi quinquaginta Sofalam versus leucas cum nauigassent, Louabam peruenêre, atque hic naufragij socios, tam qui scapha, quàm qui prima crate, quæ in scopulis naufragio infamibus post scaphā compacta erat, euaserunt, repererunt. Franciscus Brociadus, cuius benignitatem, humanitatemque nulla conticescet ætas, benignè admodum ac liberaliter hos quoque excepit, ac de omnibus necessariis liberalissimè, velut filiis propriis prospexit. P. Petrus Martinez hic morbi sui vim sentire, eiusque stimulos experiri, continuum

Ad Frāc. Brociadū peruenitunt, vbi erant ceteri.

tinuum scilicet ventris fluxum cum acutissim coniunctum febri, simul & nauseam stomachi; quibus ita vires extenuatæ erant, vt in præsentissimo se vitæ agere crederet periculo. atque eò magis, quòd Chirurgus, debilitatis habita ratione, sanguinem febrienti educere non auderet. Quocirca comitantibus ijs, qui recèns Mozambico cum mercibus quas Cafris diuenderent, venerant, Senam, vbi Lusitani arcem habent, aduerso flumine, proficisci decreuit; non quòd Loabæ humanum aliquod subsidium (præfecto omnia liberalissimè suppeditante) deesset; sed quòd medicorum ac medicamentorum, quorum ope sanitati restitueretur, hic ingens esset penuria; ac præsertim, vt animam pane illo cælesti, pretioso inquam Iesu Christi Corpore, quod, quoniam iam dudum non sumpsisset, imprimis esuriebat, vti corpus cibum esuriebat corporalem, reficeret. Tredecim dierum itinere consumpto, confirmatis nonnihil viribus, nauseabundo tamen stomacho, peruenit Senam, atque hic in familiarem quemdam suum, ordinis Dominicani, fidei hìc inquisitorem incidit; à quo pene inuitus humanissimè in monasterium est perductus & liberaliter habitus. Adeò vt restaurata nonnihil valetudine, in Christi natalitijs confessionibus audiendis vacauerit, & paulò ante, sellæ ob virium defectum insidens, ter quaterve conciones ad populum habuerit. Singularē hocce loco consolationem spiritus expertum se scripsit, quòd P. Gonsaluum Silueriam hic commoratum sciret, dum in Monomotapam tenderet, vbi & martyrium, vt suo diximus loco, subijt. huius enim innocentissimi viri patrocinio confisus, sperabat fore, vt fidei Christianæ buccina, istic etiam aliquando cum maximo animarum fructu, personaret. Sunt enim istorum Cafrorum

Petrus Martinez Senam tendit.

animi

animi tabulæ rasæ non absimiles, in quibus pietatis Christianæ fundamenta imprimi, quòd nulli idolorum cultui sint addicti, nec sacrilegos vllos ritus cum pertinacia tueantur, facillimè possunt.

Viribus vtrumque recuperatis, cum socijs qui huc etiam venerant, Sena soluens tribus nauigijs, quæ Pangaias vulgus dicit, Mozambicum sub initium anni sequentis, sanus ac sospes peruenit; à Mozambicanis magna cum beneuolentia excepti fuêre. Cumque, quam antea confusè audierant, naufragij iacturam ac casus periculaque pleniùs ac enucleatiùs inaudissent, attoniti planè ac consternati, illos velut à mortuis excitatos suspexerunt. Ipsi quoque voti emissi memores, quo Beatissimæ Virginis ædem nudis pedibus ac genibus flexis se visuros vouerant, cùm primum Christianorum solum attigissent, ad ædem quamdam Archangelo Gabrieli sacram, ipso in littore erectam se contulerunt, atque inde nudipedes in supplicationem prodeuntes ad D. Virginis *in Boluarte* (vt vocant) hoc est in propugnaculo sacellum pergunt, quod cum eminus conspicarentur, in genua humiliter & cum gratiarum actione prouoluti, reptantes ad ipsum vsque sacellum contendunt, numerosa populi turba comitante, ac præ nimia commiseratione lacrymas vberrimè effundente. Ipsi verò periculorum quæ euaserant memores, votũ quo obstricti erant, cũ mira grati animi significatione soluerunt, ac cum lacrymis & singultibus pectorisque tunsionibus immortales Deo Deiparæque Virgini gratias egerunt. Templo deinde egressos, dictu mirum, quanta beneuolentiæ, amoris, ac Christianæ caritatis significatione in domos singuli suas, ciues inuitarint. Religiosi ordinis D. Dominici summis à Petro Martinez socioque precibus contenderunt, vt ad eos hospitij causa diuerterent.

Omnes à Mozambicum perueniunt.

Deo gratias egunt & votum soluunt.

Verum

Verum quod nondum confirmata vteretur valetudine, ac præsertim quod vereretur ne quinque mensium spatio, quos, dum cõmodum Goam nauigandi tempus adesset, hic subsistere oportebat oneri ipsis esset, gratijs actis, vicarij Episcopi loci hospitio tam diu vsus est, interea dum extra vrbem de commodo satis hospitio ipsis prospicitur, iuxta ædiculam D. Antonio sacram. Confessionibus audiendis sacrisque concionibus ad populum habendis hic interim vacabat, socius verò Emmanuel Diaz Dominicis ac festis diebus, in publico quodam loco, vna ante & altera post meridiem hora, Christianæ fidei rudimenta imperitos edocebat. Tandem cum Augustus ageretur mensis, ac tempus nauigationi in Indiam cõmodum instaret, ipsique longiore abrupta mora, quadriremem onerariam, quæ quotannis Goam Mozambico hoc tempore soluere solet, iam iam ingressuri essent; quòd iam nono Augusti die elapso Lusitanarum nauium spes, quæ ante illum diem semper ferè appellere huc consuêrant, sublata videretur; ecce postridie die D. Laurentio sacro, nauis quæ à Bono Iesu nomen habebat, felicibus huc auspicijs appulit. Duodecim hac Societatis Patres, quibus Arias Sosa præerat, vehebantur, ita sani atque integris viribus, ac si eodem ipso die Olyssipone soluissent: & tam prospera vsi fuêre nauigatione, vt post hominum memoriam vix vllæ naues simili vsæ dicantur. Cum enim in Aprili è Lusitania soluissent, longam illam nauigationem quatuor mensium spatio confecerunt.

Quid P. Martinez cum socio hic interim egerit.

Appellit Mozambicum nauis cui insigne bonus Iesus.

Cùm itaque exscendissent, eodem quo P. Martinez excepti fuêre hospitio, à quo cùm pericula & ærumnas, quas passus erat, & Dei opitulante gratia euaserat, audiuissent, singulares Deo pariter

er gratias egerunt. Vndecim diebus cùm Mozambici hæsissent, cum P. Martinez & socio nauem conscenderunt, rectaque Goam cursum dirigentes, post sex & triginta dies eôdem appulerunt. Is fuit exitus nauigationis P. Martinez, atque hæc sunt vt plurimùm pericula eorum, qui ad honorem Dei & animarum salutem procurandam longam ac tædiosam hanc nauigationem suscipiunt. Quos quamuis sæpe in itinere mori contingat, non idcirco mercede ac præmio in cælis parato, si plures Christo animas lucrifecissent, frustrantur. Nam teste Augustino, *Quidquid vis & non potes, factum Deus computat.* Sed iam in descriptione oræ quæ restabat Africanæ pergamus, & ad Arabicum vsque sinum eamdem percurramus.

P. Martinez Goam peruenit.

In Psa. 57.

CAPVT XIII.

Nobiliores vrbes & regna, quæ in ora maritima ab inde Mozambico ad vsque sinum Arabicum occurrunt, describuntur; expeditio item bellica, quam aduersus Mahometanos hic Lusitani anno 1589. suscepêre.

MOzambicum vbi septemtrionem versus transieris, occurrit insula & vrbs Quiloa, quæ regni Quiloæ caput & metropolis. Sunt qui Raptam Ptolemæi, quam totius ille Barbariæ caput, & à qua Promontorium Raptum nomen trahere credit, esse asserant; quamuis hanc ille in septimo latitudinis Australis gradu statuit, illa verò in nono sita comperiatur. Ceterum insula hæc fertilissima, & omnigenûm fructuum feracissima est, & quidquid ad vitam necessarium abun-

Vrbs & regnum Quiloæ.

abundè ſuppeditat. Aër hic admodum ſalubris. Quiloæ rex olim Mozambico dominabatur, cùm primi in Indiam Luſitani nauigarent; ſed quòd varias ab eo iniurias paterentur, Mozambicum inuaſerunt, & arce exſtructa, vti & Quiloæ, incolas continuerunt, verum cùm commodiora in eadem ora loca reperirent, hanc regum Luſitaniæ iuſſu euerterunt. Incolæ plerique ethnici etiamnum ſunt, quamuis & Mahometanorum magna hic ſit copia: colore ſunt candido, & honeſtè omnigeno veſtiuntur panno & byſſo. Torquibus & armillis aureis ad decorem vtuntur feminæ; domos exſtruunt ligneas, lapideas, ſimiliquè è materia, quales noſtrates, ſed ſcita & venuſta ſtructura.

Incolarũ mores.

Vlterius ad Aquilonem ſimul & Occidentem tendenti, occurret regnum Mombazæ, quod ab inſula haud procul ab ora continenti ſita, nomen mutuatur, (ſimili quippe dicitur nomine.) Erat hic olim vrbs regno cognominis, ſed à Luſitanis poſtmodum, vt ſuo dicetur loco, diruta eſt. Rex Saracenus eſt, Imperatori Monemugenſi, de quo iam acturi ſumus, ſubditus.

Regnum Mombazæ

Sequitur deinde regnum Melindæ, cuius metropolis eodem vocata nomine, in ora ſita maritima, duobus ac dimidio gradibus latitudinis auſtralis. Ab eo tempore quo hic agere & commeare Luſitani cœpêre, amicus Luſitanici nominis ſemper rex fuit, ac initum fœdus numquam violauit. Commodum vrbs hæc habet portum; & incolas benignos & humanos. Candidi ſunt, & Mombazanorum veſtiuntur ritu. E regione Mombazæ ac Melindæ, tres conſpiciuntur inſulæ ab ora ſatis remotæ, quarum prima, quæque magis ad Auſtrum vergit, Monſia dicitur, altera Zanzibar, tertia verò Pemba: fertilitate certant ſingulæ, & incolis

Regnum Melindæ.

Tres inſulæ Monſia, Zanzibar & Pemba.

incolis abundant, aratri quàm armorum tractandorum peritioribus. Saccari hic magna prouenit copia, quod ad exteras diuehitur regiones, sed ad oram continentem, in interiore regione ex opposito Quiloæ, Mombazæ & Melindæ, latè patens imperium Monemugense occurret, quod à parte australi Monomotapam & Mozambicum respicit; ad Occidentem terminatur linea vel flumine illo, quod duos illos lacus, è quibus Nilus (vti dictũ) originem trahit, interlabitur; ad Septemtrionem conterminum habet imperium Prestozannis, ad orientem deniq; tria illa regna quæ diximus. Monemugensis Imperator socius est & amicus regulorum omnium, qui in ora maritima dominantur, idque ob commercij mutui compendia. In illius namque ditiones varia vestium & mercium genera inferuntur, qualia sunt panni serici, lanei, gossipini, aliaque plurima. Regem Monomotapæ habet infestum, eumque continuo lacessit bello, Giachas, de quibus antè egimus, stipẽdiarios habere dicitur, eorumq; opera ad Amazonum, quas Monomotapæ rex suis alit stipendijs, vim propulsandam vti. sunt hæ in bello non minus strenuę ac feroces quàm Giachę, si modò vera sint, quę ferũtur.

Imperiũ Monemugense.

Oram maris legenti post regnum Melindæ occurrent vrbes, regna, & emporia, Lamus, Patos, Brana, Magadoxus, quæ vno aut duobus tam trans quàm cis lineam æquinoctialem gradibus sita; simul & alia ignobiliora ad vsque promontorium Guardafuense, quod duodecim ab Aequatore septemtrionem versus distat gradibus, quod vbi transieris, ad maris rubri fauces recta cursus patet, quod hodie Mechanum fretum nuncupant.

Lamus, Pata, Brana, Magadoxus vrbes. Promont. Guardafuense.

Singula hæc loca obiter descripsimus, ob expeditionem quamdam bellicam, quam anno 1589. aduersus Mahometanos Lusitani instituerunt;

Expeditio bellica Lusitanorũ aduersus Turcas.

runt; illi enim freto hoc egressi, omnem hanc oram maritimam prædis & latrocinijs piraticis infestabant, & reges ac dynastas Lusitanorum amicos aut vectigales excursionibus varijs diuexabant. Etsi verò præter institutum nostrum sit, bellica tangere & expeditiones castrenses describere, nisi cùm proposito conducere videntur; vbi tamen aliquæ occurrunt, quæ à nemine hactenus scriptis sunt mandatæ, & ad fidem in illis regionibus stabiliendam aut iam faciunt, aut facturæ aliquando videntur, easdem omittere visum non fuit. Quamobrem facturus mihi operæ pretium videbor, si hanc, quam è litteris ad R. P. Generalem Soc. Iesu datis, sum mutuatus, iuris publici fecero; quòd vix vllam ab hominum memoria celebriorem Lusitani instituerint, eoque admirabiliorem, quòd quam consecuti sunt victoriam, exiguo sit Christianorum parta sanguine, ingens tamen emolumentum attulerit, magnique fuerit ponderis. Per hanc enim factum est, vt reges omnes barbari, olim subacti, dum Turcæ potentiam veriti aut in fide data vacillabant, aut cornua erigentes Lusitanorum iugum excutere cœperant, in officio permanserint, fœdusque inuiolatum conseruarint. Omnes enim propemodum qui in ora maritima Africæ dominantur reguli, à Bonæ spei promontorio, Melindam vsque & vlterius etiam, Lusitaniæ regi vectigales sunt ac subditi. quod Magno Turcarum Monarchæ iam ab hinc multis annis tantopere displicuit, vt magnam sæpe classem, ac triremes benè instructas per sinum Arabicum in Oceanum emiserit, quæ omnem hanc oram infestaret ac depopularetur, ac Lusitanis nauigationem in Indiam orientalem præcluderet. Quis malè habet tam potentem in vicinia hostem habere, qui continuo illos bello lacess-

Reges oræ Africanæ à promontorio Bonæ spei ad vsque Melindam & etiam vlteriùs Lusitanorum aut socii aut subditi sunt.

iaceſſat,&, ſi proſperos fortè ſucceſſus nanciſcatur, vel quod illis damnum inferat, non parum inſoleſcat; angit adhæc illos non rarò exigua, quam in Mahometanis Principibus fœderatis comperiunt fides & perſidia. Et ſanè paulò ante hanc quam deſcripturi ſumus expeditionem, dux quidam Luſitanorum, cui nomen Rochus Brittus, qui oræ Melindicæ cum imperio præerat, perfidè à Rege Lami Alebechio piratæ Turcico, qui maximam oræ huius partem, non ſine magna accolarum iactura depopulauerat, proditus fuerat. *Cur hanc expeditionem ſuſceperint Luſitani.* Idcirco Indiæ Prorex Emmanuel Soſa Cotignius vtramque iniuriam vindicare cum ſtatuiſſet, quo reges barbaros in officio contineret; ſciretque à Saracenis oram illam Africæ iterum deprædari, claſſem parauit, quæ illis reditum præcluderet. Hanc ille expeditionem fratri ſuo Thomæ committens, viginti naues in vniuerſum illi tradidit, ac nongentos Luſitanos claſſiarios ſtrenuos & bellaces. Quod verò moris ſit, aliquot Societatis Ieſu Patres, dum in bellum proficiſcũtur, ſecum aſſumere, qui & confitentibus aures dent, & ad fortiter aduerſus fidei hoſtes dimicandum exhortentur; in hac etiam expeditione eoſdem omittere viſum non fuit. Quocirca duos cum impetraſſent, Goa 28. Ianuarij die ſoluerunt, quindecim dierum ſpatio felici vſi nauigatione; ſed ſecuta eſt deinde fœda tempeſtas, atq; ea triduana, quæ claſſem ſummo in periculo conſtituebat. Quòd verò timor, ac præſertim mortis, ad virtutem hominem, atque ad animi curam ſuſcipiendam incitare ſoleat; omnes ſibi proſpicere, & anteactæ vitæ delicta Patribus confiteri; *Claſſis tempeſtate agitatur.* alij pauperioribus eleemoſynas elargiri, alij cum inimicis in gratiam redire; hi Litanias ſanctorum priuatim, hi cum alijs legere; omnes deniq; lacry-

N mari,

mari, ingemiſcere, votaprecesq́; fundere,& manus opis diuinæ implorandæ cauſa ad cælum ſuſtollere. Tanta porro procellæ fuit vehementia, vt,triremis primariæ conſeruandæ ergô, ſarcinas in mare conijcere opus fuerit: tertio tandem pòſt die maris ſecuta eſt malacia, ac tum demũ naues, quas huc illucq; tempeſtas iactauerat, vnitę, ſuum ſunt curſum proſecutæ. Sed vix quindecim confecerant leucas, cùm in vadoſo quodam freto hærentes, pene naufragium fecerunt; niſi enim Deus adfuiſſet, æſtu in littus omnes eiectæ fuiſsēt: quod enim nubilum & obſcurum cælum eſſet, terram, quæ tamen opinione erat propior, videre non poterant; in quã hauddubio impegiſſent, niſi in littore collucentes vidiſſent ignes, in ora tamen inculta & deſerta. Viſo igitur in quo verſabãtur diſcrimine, curſum repetunt, ac tandem ad vrbem

Branam appellit.

Branam appellunt, cuius incolæ, Saraceni, Luſitanorum tamen ſubditi vel ſocij erant. Intellexêre hic, quinque Mahometanas triremes inſtructas & armatas, ſinu Arabico egreſſas, Melindam verſus iter direxiſſe. Nuntius hic duces ac milites ità recreauit, vt læto tubarum bombardarumque ſonitu, lætitiam inſolitam demonſtrarent; triumphũ ante victoriam illos cantaſſe diceres. Brana itaq; ſoluentes, ac littus ſemper radentes Ampazæ tandem anchoras iaciunt; deſertus hic erat locus, vrbe olim inſignis, quam rebellantem biennio antè

Vrbs Ampazadiruta, & cur.

Martinus Alphonſus Mellus Luſitanus dux, euerterat. Huc igitur claſſis appulit, quòd duas Turcarum triremes huc conceſſiſſe nuntiatum eſſet, ſed priuſquam Luſitana appelleret claſſis, iam diſceſſerant. Ampazæ rex, qui veteris adhuc regiæ ruinas incolebat, claſſis huius aduentu perculſus, duci paciſci ſe cum illo velle nuntiat; ſed pacem quam cum illis ante inierat, dumtaxat confirmatam

tam

tam volebat. In reditu hoc facturum dux spondebat, nisi Turcas illius causa huc venisse, & portu illius receptos constaret. Ampaza discedens classis, in fluuij, quē aduersum, vt Lamum perueniret, ascendere maris æstu cogebatur, faucibus in vado hæsit; quamuis nautam indigenam, qui loca vadosa in hoc ostio occurrentia locorum peritus caueret, secum sumpsisset; sed frustra. Ductorisne malitia an inscitia in arenaria hæc impegerint, incertū. Purgare ille se quàm maximè; & purgatio illius admissa, quòd eius opera adhuc opus esset. Hoc tandē periculo erepta, Lamū peruenit. Interim verò dum nautæ aquatum eunt, & aquam recentem in naues conuehunt, extemporarium in litore erectum fuit sacellum, in quo Sacrosanctum Missæ sacrificium vterque Patrum celebrauit, & plurimorum confessiones excepit. Pio huic operi dum vacant, litteræ ad Præfectum generalem à Matthæo Mendezio Lusitano, qui orę Melindicæ præerat, perferuntur, quibus eum de Turcarum appulsu certiorē reddidit, adhæc numerum & nauium triremiumque apparatum indicauit, & quò tandem vela direxissent; classis totius ducem esse Alebechium, qui Rochum Brittum cum alijs Lusitanis nefaria captiuitate detinuisset. Orabat insuper, vt summa diligentia hostem consequeretur, & inopinum opprimeret: de illius enim aduentu certi ipsum nihil penitus inaudisse.

Classis in vado hæsit.

Lamum appellit.

De Turcarum classe fit certior.

Quamuis enim oræ illius reguli Saraceni, ingentem quamdam Lusitanorum classem ad illum quærendum, mare peruolitare significassent; sed litteras à Mombazano regulo, qui Turcarum classe ad Imbiorum, qui Mombazam insulam inuadere ac diripere conabantur, impetum propulsandum, vti decreuerat, in-

terceptas ac retentas ad Alebechij manus non peruenisse. Incredibili nuntius hic Lusitanos omnes gaudio perfudit, vtque piratam nihil minus cogitantem opprimerent, postridie Kal. Martias vela dant, & Melindam perueniunt, à cuius regulo & Lusitanorum præfecto Mendezio benignè admodum excepti fuêre. Nuntiatum hic, Turcas Melindæ portum summa opum vi conatos ingredi, sed aditu vi armatâ prohibitos fuisse. Regem veterem Lusitanorum socium, archithalassus, honoris causa adijt, eique exotica quædam munera, quæ ex India secum vexerat, dono dedit. at cùm periculum in mora esse sciret, metueretq; ne si morā traheret forsan irrit⁹ esset conatus, postridie quàm aduenit, classem soluit, duabus auctam nauibus, quas Mendezius & Pendæ rex, qui Melindæ, regno à subditis exactus, tum versabatur, subministrarunt: suam siquidem nauem rex instructam & armatam libenter concessit, promisso ab archithalasso accepto, mox vt Turcas profligasset, in regno illum restituendum. Lusitani itaq; hoc recreati auxilio quàm citissimè Melinda discedētes, postridie in Mombazæ cōspectum læti veniunt, quòd manus cum hoste cōferere summopere desiderarēt. Mombaza insula nonnisi leucam vnam ambitu suo complectitur, sed amœna est, & aquæ fontibus ac rebus ad victum necessarijs, quæ ex alia insula non minus fecunda, tribus inde remota leucis, aduehūtur, abundat. Mihi verisimile fit insulam hanc Pendam esse, cuius regē à suis fugatum & exactum iam diximus. Mombaza vrbs in insula sita muro tū cincta erat, vti vrbs Rhodus. In fluminis, per quod in vrbem dabatur aditus, ripa arcem exstruxerant Mahometani, qui conspecta eminùs Lusitanorum classe, ad defendendum se accingunt, eamque aditu interdicere

Melindā appellit.

Duabus augetur nauibus.

Mombaza vrbs & insula.

Lusitani ad arcem Turcarum accedunt.

cere contendunt. Bombardas igitur omnes tum vt metum incutiant, tum vt damnum inferant, exonerant; sed omnis ille boatus incassum fuit, nec Lusitanos percelluit, aut à cœptis deterruit. Præmissis itaque cymbis, quæ fundum explorarent, viderentq; nũ cõmoda nauibus foret nauigatio, & viso alueũ magnarũ nauium capacem esse, sensim naues propulerunt. Dimidiæ hoc horæ spatio peractum; actum plerique militum peccatorum confessione facta animam in tuto collocarunt, vt audaciùs confidentiusque confligerent, iniurias alter alteri remisit, & omnem vindictæ appetitũ, cædem mutuam, vulneraq; infligenda, ad quæ prius inardescebant, dum ad violantem violatus vltro accedit, ex animo penitus deposuêre. Cùm iã in procinctu essent, animos singulis addere Patres, & vt viriliter & animosè aduersus iuratum Christiani nominis hostem, diuina ope affulgente, maiorum, qui regionẽ detexerant & toties de hoste illo victoriam reportârant, exemplo confligerent, exhortari; ac Deiparæ singulis imaginem sublatam ostendere, quę opitulari solet ijs, qui aduersus fidei filij ipsius hostes dimicant, vti iam toties reipsa experti erant. His alijsq; verbis militibus animum addiderunt, & ad fortiter agendum exstimularunt, vt quasi non iam in hostem tenderent, sed victoriam retulissent, fausto tympanorum ac tubarum strepitu plauderent, vt omnia circumquaq; plausu reboarent. Augebat certã victoriæ spem & animos prodigium quoddam in aëre eodem die conspectum; sub ortum enim solis visus in aëre circulus quidam nigra circumseptus nebula, cuius pars interior sanguinis instar rubebat, atque hic Mombazam versus respiciebat, atque eiusdem ruinam euersionemq; designabat. Lusitanorum itaq; nauibus fauces paulatim sube-

Ad prælium se parant.

Patres ad conflictũ milites animant.

Omen victoriæ.

untibus Turcæ tormenta maiora assiduò ex arce displodebant; sed inanem hunc strepitum eludens classis, Dei ope, sospes & integra, Turca frendente angustias maris superauit. Videns Alebechius, Lusitanos hasce angustias, secus ac putaret, prætervectos, arce se cõtinere cum non auderet, pernicem conscendit equum, quem in hanc potissimum rẽ paratum semper habebat, & citato cursu Mombazam contendit cum Rege loci copias cõiuncturus. Lusitani verò angustijs superatis, rem conceptam perficere satagunt: quamobrem quidã è ducibus in cymbam insiliens, quem mox aliqui secuti sunt, ripam petit; & exscensione facta in arcẽ penetrauit, in qua nonnisi tribus repertis præsidiarijs, duo interfecti sunt, tertius viuus ad naues perductus. Turcarum tamen hic vexilla reperta, quæ ad Archithalassum perlata sunt, quorũ pulcherrimum velut anathema Deiparæ dedicarunt, atq; eodem eiusdem imaginem, quæ in naui erat, exornarunt. Læta hæc prosperaq; initia felicioris exitus spem dedere. Quinque triremes Turcas habuisse diximus, quarum quatuor triplici remorum ordine agebantur, altera biremis erat; atq; hæc simul & duæ triremes, in citeriore vrbis parte, reliquæ ac potissima Turcarum pars in vlteriore versabantur, & Imbijs, coniunctis cum Mombazanis viribus, resistebant. Hinc factum vt triremes, quæ cis vrbem erant, paucis ad defensionem relictis, qui tamen in Lusitanos (sed sine vllo detrimento) tormenta displodebant, breui in Lusitanam potestatem venerint. Turcarum hic aliquot interfecti, saucij in captiuitatem redacti, at qui integro erant corpore, natando ripam petebant: quos Lusitani nonnulli in aquas confestim insilientes, insecuti, horum aliquot in litore obtruncarunt, sed ad naues reuerti non sine periculo

Classis sospes angustias quasdam maris superat.

Arx Turcarum capta.

Tres Turcarũ triremes captæ.

riculo deinde potuerunt. Præda in hostilibus triremibus, ac præsertim prætoria, opima reperta, atque hæc militibus cessit. Repertus hic Aethiops, qui grauiter saucius morti erat proximus, at priusquam exspiraret, baptizari enixè desiderabat; & ecce voti iam compos factus, animam puram mox Deo reddidit. Hoc facto Archithalassus omnia quæ in arce erant tormenta bellica in naues conuehi iussit; misit deinde duas captas triremes vnà cum aliquot è suis nauibus, quę hostiles naues opprimerent, interea dum cum Imbiis confligerent. At priusquam vlterius proueheatur narratio, de hocce populo nonnulla pręmittenda sunt, & quam ob rem Mombazam obsideret. Gens est in Africa haud procul à Bonæ spei promontorio oriunda: procero vt plurimũ corpore, latis humeris, valentes viribus, & aspectu horribiles. Bello semper occupantur, & rapto & latrociniis victitant; carne vescuntur humana, tum hostium tum suorum ciuium; sed hæc illis sapidior videri solet: atque ideo si quis illorum in morbum incidit, nisi propediem valetudinem recuperet, mactatur, & culinæ destinatur. Si quem hostium viuum habere possunt, persoluto illum pretio non redimunt, sed iugulant, membratimq; sectos artus, in macello palam in cibum venditant. Cranium hominum scyphi vice fungitur. In arma offensiua tela habent toxico infecta, & paxillos ligneos igne duratos. Sicas item gestant, sed breuiores ac latiores, quibus in mactandis iugulandisque hominibus vtuntur. In defensiua verò nõnisi clypeũ ligneũ leuiculũ, corio feræ cuiusdam conuestitum, atque hoc totum tegunt in bello corpus. Omnis religionis expertes agunt, nullumque numen colunt; veneficijs & incantationibus sunt noti, & etiam siquan-

Mirus diuinæ prouidentiæ effectus.

Quales sint Imbii.

Carne vescuntur humana.

Impietas.

si quando confligendum est, plures numero quam reuera sint, carmine aliquo magico conceptó, esse videantur, regẽ numinis instar adorãt, eumq; terræ vniuersæ, & Lusitanos mari dominari credunt. Tanta porro illius vesania aut vesana arrogantia, vt si quando illo inuito pluat & intensi calores desæuiant, cælo succenseat, & sagittas iratus in aërem eiaculetur, quòd mandatis regijs non obsequatur. Quin tãta illius superbia, vt totius sibi orbis dominatũ inani spe polliceatur, omnemque continentem deuastaturum se ac direpturum comminetur. Octoginta plerumq; bellatorum millia eum sequuntur, atque hoc pene ritu bellũ inire solet: multas animaliũ præmittere turmas solet, vt his hostilis incursio retardetur, aut irrita etiam reddatur, deinde ignem ante se ferre iubet, quo omnes quos debellaturus est & capturus, igne iam coctos, nullo excepto, comedendos significat. Vbicumque iter cum exercitu faciunt, tanta inferunt damna, vt pagos, oppida & vrbes obuias, in habitatores etiam & animalia quælibet, rabiem effrænem conuertant, nihil vt illorum feritatem effugiat. Atque ideo, quoties aduenire nuntiantur, omnes, relictis oppidis & vrbibus, fuga sibi consulunt; tantæ scilicet passim formidini sunt. Hoc itaque apparatu, his crudelitatis indicijs Imbiorum rex in Mombazam insulam irruperat; iuxta quam reliquæ Turcarum naues, quę Mombazanis suppetias latũ venerant, in ancoris stabant, impedituræ ne in insulã barbarus ille exercitus irruptionem faceret. Cum enim sinum maris, insulam ab ora continente discriminantem, transire prohiberetur, inuitus hærebat; ignem quoque, quem ante se pręmiserãt, cum vastam quamdam siluã in cineres redegisset, vlterius ne serperet, interiectus amnis exstinxit.

Regis superbia & arrogantia

Quem in ducendo exercitu ordinem obseruet.

Morum feritas.

In insulã Mombazam irrũpere conantur.

Vado

Vado tamen tentato & reperta per aquas via in insulam, resistentibus nequidquam Saracenis & Mombazanis, transire statuunt. Dum hæc agerentur, Lusitana classis interim appulit, quæ Turcas & Mombazanas acriter oppugnare cœpit; quorum damno læti Imbij Turcis insultantes clamarunt, quæ nobis intulistis mala, vlciscentur Lusitani, à quibus postquam mactati fueritis, in nostrum descendetis stomachum. Turcas potissimum hoc cauillo proscindebant, quòd plurimos suorum tormentorum globis interfecissent. Horrenda hic cædes & funesta clades oriebatur: nã qui Lusitanas effugiebant manus, Imbiorum rabiem experiẽbantur, à quibus sine vlla redemptionis spe & mactabantur, & deuorabantur. Quocirca plurimi Saracenorum & Mombazanorum, qui Lusitanorum manus effugientes, natando ad alteram ripam fluminis peruenerant, visa Imbiorum barbarie & feritate, iter repetebant, & Lusitanis vltrò se tradentes, horum esse mancipia, quàm illorum cibus malebant. Atque ideo paruo suorum damno Lusitanis hæc victoria stetit, nonnisi quatuor interfectis, plurimis tamen, licet non lethaliter, vulneratis. è Turcis vero plures centũ ipso in loco sunt interfecti, atque inter illos duo duces, sexaginta vero in captiuitatem redacti: plurimi quoque Christiani qui captiui in triremibus detinebantur, in libertatem vindicati, tria & viginta ænea tormenta maiora, & minora non pauciora hic reperta, quæ magni & infiniti fuêre pretij. Singulare Dei auxiliũ tum in conflictu nauali, tum in tempore quo initus est, apparuit, ob inexspectatum Christianæ classis aduentum; vt prius victos fuisse Saraceni quàm hostem vidisse se, faterentur. Postridie, qui dies D. Thomæ Aquinati sacer erat, quingenti Lusitani exscensione facta,

Quam Turcæ & Mõbazani defendunt.

Victoria Lusitanorum, & vnde orta.

recta Mombazam tendunt, quam desertam penitus & habitatoribus destitutam repererunt. Tantæ platearum erāt angustiæ, vix vt binos simul incedentes paterentur: domus è lateribus & calce constructæ, & harum plurimæ excelsæ, forinsecus scitæ & egregiæ apparebant, interius vero obscuræ erant, omni symmetriæ artisque proportione carentes, vt caliginosos specus soli inuios, non hominum dixisses habitacula. Cum itaque Lusitani nullum comparere ciuium viderent, ne quis forte lateret dolus metuentes, vlterius progredi non sunt ausi: sed viso vbem penitus vacuam esse, ignem tectis inijciunt, muros solo æquant, idolorum fana subuertunt, atque inter cetera vnum ceteris maius & fornicatum. Euersa itaque Mombaza, nauibus omnibus in portu hærentibus ignis iniectus, & Pendæ rex deinde regno restitutus. At nondum hic victoriæ finis. Deus enim nihil minus cogitantibus, Alebechium archipiratam, ac Turcarum & Mombazanorum plurimos in manus tradidit. Decimo enim sexto Martij die, cum classis ouans littus radendo Goam rediret, plurimi ad littus quam celerrimè fugere conspecti sunt, ac supplices tendentes manus, Lusitanorum implorare opem, & vt in naues reciperētur enixissimè obsecrare, quòd ab Imbijs magna premerentur vehementia. Hos inter erat Alebechius cum alio quodam triremis Turcicæ duce, simul & triginta alij, ac ducenti etiam Mombazani. Classis in conspectum cum Alebechius venisset, idiomate Hispano (quod callebat) orare Lusitanos cœpit in naues se vt admitterent. Rerum hic ille humanarum causari vicissitudinem & fortuitos bellorum casus; addere insuper, malle se Christianorum (quorum aliquando in Hispania humanitatē expertus erat) seruum esse, quam barbarorum es-

Mombaza capitur & euertitur.

Pendæ rex in regnum restituitur.

Alebechius cum plurimis alijs Turcis & Mombazanis à Lusitanis capiuntur.

cam.

eam. Referebat enim Regem Mombazanum & ceteros optimates vnà & magistratum vrbis ab Imbijs deuoratum esse, & innumeram captiuorum multitudinem abductam, eidem lanienæ destinatam. Supplicem Alebechium & ceteros Turcas & Mombazanos in naues admisere Lusitani, & Imbios instantes tormentorum displosione à cœptis desistere coëgerunt. His peractis Patres in littore Dominica ipsa passionis, duabus ante pascha hebdomadis, venerandum Missæ sacrificium Deo in gratiarum actionem pro victoria impetrata, obtulerunt; habitæ quoque eadem de re conciones luculentissimæ, aliaque peracta, quæ tali tempore ad multorum salutem agi solent. Tum & inter duces triremium captarum, quæ in Indiam ducendæ erant, facta partitio. Inde Melindam versus cursum instituunt, cuius regulus Archithalasso de victoria congratulaturus, triremem illius conscendit, in qua cum Alebechium simul & alios Saracenos, atque optimatū Mombazanorum plurimos vinculis grauatos conspexisset, Nemo vmquam impune, inquit, Lusitanos læsit, quotquot enim illos infestare aggressi sunt, tandem temeritatis suę pænas dederūt. Tum Sosa cum Alebechio ludens, Cur inquit, regē Melindæ aspernaris, aut toruo eum vultu respicis? cui ille, Quamuis equū se fingat asinus, semper nihilominus manet asinus. Archithalassus dein Melindam ingreditur, regemque vicissim inuisit, cui à populo lætabundo magnus honor exhibitus. Orta hic Sosā inter & Mendezium militesque Lusitanos in diuidunda præda non modica contentio, quæ nisi impedimento fuisset Deus, nonnisi sanguinis effusione dirimenda videbatur; suā hic auctoritatem interposuēre Patres, qui prudētia sua simul & ope diuina litem

Classis onerans Melindam appulit.

litem hanc, aliasque in vrbe res satis dubias & perplexas diremerunt. Hisce ex voto omnium compositis XXVI. Martij die septem ante Pascha diebus Melinda soluerunt, cumque Aequatorem transiissent, postridie Lamum appulêre. Regem loci Sosa velut læsæ Maiestatis reum in vincula coniici iubet, interim dum causa illius disceptaretur, ipso Paschatis die Patres Lami sacrum celebrarunt, & Sosam aliosque duces ac milites, plerosque confessione præmissa, Sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti participes fecêre. Patum deinde versus vela direxêre, quæ splendida & populosa vrbs est. Huc regem Sianis, & Pati & Ampazæ Dynastas Sosa euocauit, vt cum optimatibus suis & præfectis, iudicio quod de Lami rege instituendum erat, vt, ex legum præscripto, pœnas sceleris daret, interessent. Sublime itaque publicè tabulatum erigitur, ducenti circumcirca Lusitani armati astabant; huc Lami rex aliique læsæ maiestatis rei, manibus post terga reuinctis, rapiuntur. Rex cum in aulæo strato procubuisset in genua, rogatur, num vt Christianus mori velit: quo abnuente, capitis in eum fertur sententia, in hunc modum. Quòd tu Panebaxira, olim Lami rex perfidiæ ac proditionis crimen incurristi, & Rochum Brittum, oræ Melindanæ præfectum, simul & quadraginta alios Lusitanos, viros, fœminas & pueros, Alebechio Turcæ piratæ prodidisti, eique inito fœdere, auxiliũ tulisti, atque hoc pacto maiestatis regiæ læsæ reum te cõstituisti; visum fuit potentissimo regi Philippo, & eius nomine Emmanueli Sosæ Cotignio capitis te condemnare, & Lami regnum omniaque tua in regium fiscum redigere; cadauer quoque tuum inhumatum auibus & feris obiicere, simul & inhibere, ne quis id terræ mandare præsumat; qui

Lamum classis peruenit, quidque hic fecerit.

Item Patum.

Lami rex capitis dãnatur.

Sententiæ formula.

qui ſecus faxit, eiuſdem criminis reus, & eaſdem pœnas luet. Hoc ſcilicet ſupplicio animaduertere oportet in eos, qui amicos produnt, eorumque inimicos fouent, iuuant, & ſuſcipiunt, ne quis in poſterum ſimile quid attentet. Hæc ſententiæ capitalis formula. Eamdem pœnam luit Cheliciæ regis frater, quod cum Saraceno fœdus iniiſſet, eumque ſequeretur. Corpus membratim ſectum, variis in locis ad terrorem aliorum ſuſpenſum fuit. Eodem mortis genere & alij duo ex optimatibus Patenſibus ſunt interfecti. His peractis, & vrbe pacata, ſacrum Miſſæ ſacrificium oblatum, ac tum ceteri de claſſe, qui nondum paſcha celebrarant, ſacrę cōmunionis facti ſūt participes, vti & Luſitani præſidiarij arcis Patenſis. Alij quoque eiuſdem vrbis, qui mutuas fouebant inimicitias, Patribus annitentibus in gratiam cum aduerſariis, odio depoſito, redierunt. Porro Sianem & Patam inter Mondra vrbs interiacet; Saracenis hæc parebat, ſed Luſitanis vectigalis; verum abhinc aliquot annis tributum non perſoluerat; quin & nouitatem aliquam machinabatur. Hanc ob rem Soſa illam ſolo æquauit, & incolas in remiges adlegit. Antequam etiam vlterius proueheretur, pacem quam Ambazæ rex obtulerat, ratam habuit, cognito, Saracenis illum ſuppetias non tuliſſe.

Alii quoque morte affecti.

Mondra pirata tur.

Melindanis rebus ita compoſitis, claſſis dans vela ventis reditum parat: ſed ob aquæ recentis penuriam in Socotoram excurrere viſum fuit; hinc Kal. Maij cùm ſoluiſſet, felici nauigatione Indiam petiuit, & poſt quindicem dies ſpoliis onuſta & victoriâ læta Goam appulit, Saraceni duces & nobiliores quique hic in carcerem trudūtur. Goanos inprimis recreauit Alebechius pirata, de quo iam multa inaudierant, quòd multo tempore

Claſſis Goam appellit.

tempore omnem illam oram deprædatus, & terram etiam interiorem depopulatus, in Lusitanorum tandem manus incidisset. Sed finem hic faciamus, & PrestoIannis regnum adeamus.

CAPVT XIV.

De Aethiopia quæ ad Aegyptum pertinet, vel de imperio PrestoIannis; de fœdere inter hunc & reges Lusitaniæ inito.

Lib. 4. c. 7. & 9. DVplicem esse tradit Aethiopiam Ptolemæus, vnam quæ ad Aegyptum spectat, alteram quam interiorem nuncupat. Primum ait ad Orientem sinum Arabicum respicere; ad meridiem verò, Aethiopiam interiorem, quæ octo gradibus latitudinis australis est; ad occasum Libyæ interiori esse confinem, & ad septentrionem Aegypto. Haud procul inde hodie PrestoIannis imperium est. Interiori verò ad occidentem & meridiem, terram incognitam dat limitem, at hodie compertum est, Oceano terminari, qui omnem oram maritimam tam cis quàm trans Bonæ spei promontorium ad vsque Mozambicum alluit.

Duplex Aethiopia ac duo Aethiopũ genera.

Odyss. A Duplices quoque Aethiopes describit Homerus, quorum hi ad ortum Solis, illi ad occasum pertinent. Hi quantum è Strabone colligere datur, Cõgi sunt incolæ & vicini, qui Oceano Aethiopico ad occidentem terminantur, illi verò Abyssini sunt, de quibus iam agendum. Huic qui dominatur regioni, à suis magnus Negus, id est rex, vel Acegus, id est Imperator, quòd plurimas ditione complectatur prouincias, vocatur, ab Europæis verò passim PrestoIannes. Cuius nominis variæ à Scriptoribus caussæ afferuntur. Qui tamen mea quidem sententia, propiùs ad verum accedisse

Lib. 1.

viden-

videntur, aiunt, quòd initio nauigationis Indicæ à Lusitanis institutæ creditum sit, potentem hunc Dynastam illum esse, quem M. Paulus Venetus in itinerario suo PrestoIannem nuncupat, & summum esse & sacerdotem & regem, per vniuersas Orientis vel Indiæ prouincias, ait. Etsi verò imperium illius ad vsque Cathaiam vel Chinam extendat, tamen, quoniam, dum nomen hoc Aethiopi regi inditum fuit, paucissimi Europæi vtriusque regionis distantiam nouerant; omnem regionem hactenus incognitam, communi Indiæ dicebant nomine: atque hinc etiam America, India Occidentalis appellata est. Adhæc, si vera est Osorij opinio, cùm ea tempestate plures sacerdotes Aethiopes Romam venirent, & Galliam, Hispaniamque peragrarent; & interrogarentur, nũ rex illorum summo sacerdotio fungeretur, & nũ Presbyter Ioannes diceretur, & an illorum patria Indiæ terminis contineretur, ita se rem habere afferebant. Putabant enim si ea suspicio penitus in Christianorum animis insedisset, fore vt multo hnmaniùs à nostris exciperentur; hinc ita hæc inualuit opinio, multorumque menti insedit, vt nomen etiamnum permaneat. Si verò, vt nonnulli tradunt, rex hic à suis BelGian dicatur, id est supremus dominus, facilè nominum fieri potuit commutatio, vt dum illi Regem suum Bel Gianum nuncupatum dicerent, alij PrestoIannẽ dicere illos putarint. Porrò Rex hic longè lateq; dominatur; Regnũ illius à Septentrione Aegypti finibus, ab Austro Lunę montibus, vel, vt nonnemo sentit, Monemugensi imperio, ab ortu, mari, quod per fretum Arabici sinus influens ad Suesiũ pertinet, definitur; in occasum verò latissimè protensum Congi vel Agesymbæ regnum tangit. Olim omnia illi emporia maris Arabici

Lib. 1. Cap. 51.

Cur in Europa rex Abyssinorũ PrestoIãnes dicatur, vel Presbyter Ioannes.

Imperij fines.

quæ

quę Aethiopiam respiciebant, parebant, sed ab hinc paucis annis Turcarum hæc Imperator inuasit, excepto Arcòcò vel Arquicò, item Insulâ Mazuâ, quæ quo minus ad vrbem aditus pateat, impedit. Sexcentas septuaginta in ambitu patêre leucas imperium illius famá est, alij tamen ad mille & amplius extendunt. Multi in ea regione sunt montes, prærupti, & adscensu perdifficili; habitationi tamen peraccommodi. In summo enim culmine miræ sunt planicies & latè patêtes, aquæ dulces, pabula & fruges lætissimæ pecori & armentis pascendis, præter alia quibus scatent commoda. Regio campestris fertilis & opima vt plurimum; frumenti etiam ferax, ac præsertim siliginis & leguminis, sed non tritici; equos & mulos habet plurimos; sed equi patritij sunt aliis minores, at qui Arabiæ & Aegyptię sunt propaginis, magnitudine cæteris non cedunt; melle & gossipio abundat, vino caret; sed eius loco est potio è milio expressa, & alia in deliciis haberi solita & corpori salubris, è melle & aquâ confecta. Regiæ tamen mensæ vinum infertur, vt tradunt nonnulli, sed vix alibi toto regno illius est vsus. Elephantes, leones, tigrides, vrsos, ceruos, aliaque huiusmodi progignit animalia. gens est supra modum ignaua & iners: saccarum tellus fert, sed incolæ colligere minimè norunt. Auri, argenti, ærisque venis scatet, sed incolę educere aut ignorant, aut præ desidia detrectant; nisi quântum ad mutua commercia necessarium est, idque non signant aut cudunt, sed in lingulas ac laminas ductum tradunt & accipiunt. Terra naturâ fecunda, quòd non colatur, quæ ferre posset non profert, adeo vt telluris bonitate non fruantur. Nulla hic tempestas, quæ agros infestet, nisi quòd locustarum agmina sæpenumerò totam destruunt sementem.

Fertilitas soli.

Gens iners est.

mentem. Vrbes omnes exiguæ ſunt; domus humiles, & parietes è creta compacti. vrbem rex non incolit, ſed in agro ſemper ſub tentorijs ac tabernaculis agit, tanta autē hominum & tabernaculorum multitudine circumcingitur; vt caſtra circiter ſex in lōgitudinē ac totidem in latitudinem leucas pateant. Eo autem ordine locantur; vt quamuis crebro commutentur, facillimum ſit ad illorum, quos conuenire velis, tentoria ſine vllo errore peruenire. Eadem quippe ſemper & vicorum & tentoriorum eſt diſpoſitio. In ſeptem parœcias caſtra diſtinguuntur, ac ſingulis ſui præſunt Sacerdotes, qui ſacra peragunt, cōciones habent, diſciplinis ſubditos inſtituunt, in rebelles animaduertunt, & ad Chriſtianam moderationem frequenter excitando, ſingulos officij commonent ſui. fidem namque Chriſtianam omnes profitentur, quam maioribus ſuis ab Eunucho Reginæ Candacis, cuius in Actis Apoſtolorum mentio habetur, traditam, & deinde à D. Matthæo ibidem promulgatam tradunt. Et ſane è veterum hiſtoriarum monumentis; atque antiquorum Patrum teſtimonio conſtat, Apoſtolum hiſce in regionibus fidē Chriſtianam propagaſſe. Sed eadem hodie infinitis hic erroribus eſt inquinata, tā Iudaicis ſuperſtitionibus; quàm prauis hæreticorum dogmatibus. Liberos enim ſuos non modò baptizant, verum etiam circumcidunt, ſuilla præ religione non veſcuntur, alijſque cibis, quos Moſaica proſcribit lex; ac pluribus in rebus Iudæorum ritus ęmulantur. Regem ſuum à Rege ſapientiſſimo Salomone & regina Saba, è quibus filium narrant Melilecum nomine prognatum, originem trahere iactant, atque ab hoc omnes Aethiopiæ reges hactenus genus duxiſſe Multi quoq; Abyſſinorum vel Aethiopum progeniem referunt ad Iudæos ſeruos, quos

Rex ſemper in tentoriis agit.

Fidem Chriſtianā profitentur, & à quo illam acceperint

Sed hodie Iudaicis ſuperſtitionibus habent inquinatā.

Salomon rex vnà cum filio, dum ad matrem in Aethiopiam se conferret, misit. Hinc tanta est ad Iudaismum illorum propensio; Rex quoque Dauidis & Salomonis se filium secundum carnem, SS. Petri vero & Pauli secundum gratiam nuncupat. Episcopos habent similes nostris, qui sacramenta illis administrant, ac præsertim confessionis occultæ quæ hic frequenti in vsu, & sacrosanctæ Eucharistiæ, quāuis sub panis simul & vini specie eamdem accipiant. Monasteria habent plurima, quæ ex instituto D. Antonij viuunt. Episcopos rex solus creat & constituit, Monachi Patriarchā, quem Abunam dicunt; sed hunc deinde ab Alexandrino Patriarcha confirmari necesse est. hinc eisdem, quibus Alexandrini, infecti sunt erroribus. Nemini nisi nudis pedibus ingredi in tēplū licet, in quo qui riserint, sermocinati fuerint, aut deambularint, profani & scelesti habentur. Quadragesimale ieiunium magna religione obseruant; & monachi nonnisi in pane & aqua; sunt etiam horum nonnulli qui panem toto illo tempore non degustant, solis herbis victitantes.

Quidnam Christianū habeant.

At ceteri tam superstitiosi non sunt, quamuis dum ieiunant, ad solis occasum vsq; nihil gustare soleant. Piscium nullus hic vsus, quamuis enim flumina piscnlenta sint, piscari tamen aut nesciunt aut nolunt. Sacerdotes Missam celebrant, supplicationes instituunt, similes nostratium, in quibus præfertur & turibula; sed hi more Græco matrimonium contrahunt; at si vxores decesserint, ad secundas non transeunt nuptias: quin etiam antequam rem diuinam peragant, biduo aut triduo ab actu se coniugali temperant. Errores sequuntur Dioscori & Eutychetis similiumque hæresiarcharum, ideoque ab vnione

Schismatici sunt & hæretici.

Catho-

Catholicæ; Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ sunt sequestrati, tum ob schisma, quo supremum Ecclesiæ caput, Rom. Pontificem nolunt agnoscere, tum vero ob hæreses. Atque hoc in statu iam multis annis hic religio fuit.

Ioannes 2. Lusitaniæ rex legationem ad Presto-Iannem mittit.

Ceterum Ioannes II. Lusitaniæ rex cum è regno suo nauigationem in Indiam institui summopere desideraret; vt hac ratione aromatum, odoramentorum; ac gemmarum orientalium mercimonia è Syria & Aegypto in suum regnum transferret, quo & Turcarum Imperatoris & Sultani Agyptij opes accideret, suasque augeret; audiuissetque in Oriente Christianum Imperatorem esse, qui longè lateque in India dominaretur, quem Presto Iannem dicerent; magno tum sibi honori tum rei Christianæ incremento putabat fore, quo sua de Indica nauigatione cogitatio etiam feliciter succederet, cum Christiano hoc Principe amicitiam cõtrahere. Atq; ideo misit qui per mare Mediterraneum in Aegyptum penetrarent, vt ita vlterius per sinum Arabicum Indiam peterent, atque hic de Monarcha illo certiores facti, suas illi litteras offerret, fœdusque cum illo Lusitaniæ regis nomine inirent. Hi difficultatibus ac sermonis Arabici inscitia deterriti, Hierosolymam, cum peruenissent, infecto negotio domum redierunt. Misit deinde alios duos Arabicæ linguæ peritissimos, quorum alter Petrus Couillanius (quem Osorius Ioannem Petreium nominat) alter Alphonsus Paiua dicebatur; quibus ad regulos nonnullos Indiæ, ac præsertim ad Presto Iannem litteras dedit perferendas. Ij Alexandriam delati, Memphim, quam modo Cairum dicunt; inde mercatorum habitu petiêre; atque ex eo loco per sermonis Arabici symbola, cùm se Maho-

Petrus Couillanius & Alphonsus Paiua legati.

Ortelius in thesauro Geograph. verbo Meghis.

meticis viatorum turmis facilè miscuissent, ad Arabici littoris vrbem Elanam, hodie Torum, transitu Hebræi quõdam populi (vt fama est) insignem, ac denique Adenum (id opidum sub ipsas Arabici maris fauces est munitissimum) incolumes peruenêre. Hic iter suum partiuntur: vt Paina Aethiopiam tenderet, quæ ad Aegyptum spectat, vt regẽ Abyssinorum, quẽ Christianum esse inaudierat, adiret, ac Regis Lusitaniæ nomine amicitiam cum illo contraheret. Couillanius verò Indiam peteret, tum vt ad PrestoIannem, quem Lusitaniæ rex designaret, perueniret, tum Indiæ emporia perlustraret; ac demum rebus peractis, Memphim rursus ambo, certo tempore constituto, conuenirent. Couillanius felici nauigatione ad Indos delatus, emporia singula in hydrographica membrana ex fide annotauit: vt libro primo me dixisse memini, regem tamen, quem rex designarat, inuenire non potuit. At Paina in Abyssinos profectus antequam regiam attingeret, incertum quo genere lethi defunctus est. Couillanius itaque cum ad definitum tempus Cairum reuertisset, de socij obitu fit certior: quo tam inopinato nuntio percussus, licet in patriam redire vehementer optaret, tamen quod præclarè meminerat, quanto Ioannes rerum Aethiopicarum studio teneretur, suas vel rationes vel desiderium regiæ voluntati posthabere constituit, nec enim redire in Lusitaniam, nisi prius cum Abyssino societate inita, audebat. quare eôdem iter suscipere decreuit.

Couillanii iter.

Legationẽ regi Abyssinorum Alexandro aperit.

Suum itaque iter cùm Ioanni regi per litteras, mercatorum Memphi agentium auxilio perscripsisset, in Aethiopiã proficiscitur. Imperabat tum Abyssinis Alexander, qui venientem ad se Couillanium, quamquam haud plane certus verane affer-

afferret, magis tamen propenso ad credendum animo, benignè accipit, non mediocriter lætus à tam longinquo ac tam Christiano Rege societatem & amicitiam suam, per nuntios & per epistolas expeti. Cumque de Ioanne, deque alijs Europæ regibus multa didicisset, remissurus iam cum litteris amore & beneuolentia plenis & muneribus ad Ioannem Couillanium, repente demoritur, atque ita omnis de amicitiæ spe intercidit cogitatio. Erat hic benignus & perhumanus, quem si vita fuisset diuturnior, ad amicitiam & rē Christianam, magnum boni omnes momentum sperabant allaturum. Successit illi frater longè alius ingenio moribusque Nahu. is non modo Lusitaniæ Regem dignatus responso non est, sed ne ipsum quidem nuntium ad suos redire permisit. Ita Couillanius, ob diuturnā absentiam videlicet, pro mortuo est habitus, quoad alijs demum è Lusitania missis eôdem legatis, apparuit. Paulò pòst demoritur & Nahu, cui filius Dauid nomine successit, sed quod adolescens esset & impubes, sub auiæ Helenæ tutela, virili animo & consilio feminæ, vixit; hęc interea dum nepos adolesceret, omnia regni negotia quàm prudentissimè administrauit. Hæc itaque cum Lusitanorum in India facinora, ac bellicas expeditiones didicisset, atque è Couillanio, hos ipsos regis sui, cuius nomine apud Alexandrum regem legatione functus erat, subditos esse cognouisset; oblatam sibi tam præclaram societatis, cum tam valida fortique natione, ineundæ occasionem, gauisa est. Quare communicato cum suis consilio ad Emmanuelem, qui tunc in Lusitania rerum potiebatur, Matthæum Armenium insigni probitate ac prudentia virum, alium item ex Abyssina nobilitate primarium visum fuit mittere. Et quo arctius iungeret ami-

Vi detinetur in Aethiopia.

Matthæus legatus Abyssinorum ad regem Lusitaniæ.

citiam, fidei pignus ad Emmanuelem mittebat sacrosancti ligni fragmentum eius, in quo humani generis salus, Christus olim, ingemiscente rerum natura, pependit, Matthæus cum socio rectà Goam petiuit, magnum Indiæ proregem Albuquercium allocuturus. Hunc ergo prorex cùm cetera benignitate, tum vero propter sacras quas afferebat reliquias, exquisitis cæremonijs, & Sacerdotium omnium occursu gratulabundus accepit. Abeuntes iam in Lusitaniã, Albuquercius accuratè Nauarchis commendauit: at hi violato iure gentium insignem Matthæo eiusque socijs iniuriam intulerunt, dum eum non vt legatum, sed scurram aut vile quoddam mancipium acciperent, idque odio Albuquercij, q[u]em cane peius & angue oderant, & temeritatis nimiæ temere accusabant, quod Armenij verbis fidem facilè credulus adhibuisset. Sed magno illis stetit lasciua hæc petulantia. Emmanuel enim rex hanc cum didicisset, nauarchos ilico in vincula coniecit, in quos, nisi laxari illos Matthæus impetrasset, dignissimis animaduertisset suppliciis. Magnam legatio hæc regi voluptatem attulit, vt ex honoribus & beneuolentia iis exhibita facile fuit colligere. Aduenientibus primum, frequenter obuiam itum est à clero & optimatibus, ædesque magnificæ ad diuersandum attributæ, atque omnia necessaria quã largissimè collata. Triduo elapso legationis capita exposituri, ad regem ab Igæditano Episcopo, & Comite Villanouano quàm honestissimo comitatu deducuntur. Intromissis Emmanuel è solio comiter in amplexum occurrit, post salutationem, à legatis extractæ ex arundine aurea litteræ ad regem datæ, vnæ à Dauide Rege, alteræ ab Helena eiusdem auia, Arabice

Ab Albuquercio benignè Goæ acceptus & in Lusitaniã missus.

bico & Persico idiomate conscriptæ. Prolata etiam dona à Regibus suis missa. Ea dona fuêre primùm aurea quinque numismata, Abyssinis inscripta notis, quæ octenos fermè scutatos penderent singula, dein pyxis auro solida, qua crucis adorandæ fragmentum continebatur, de quo iam supra meminimus, Abyssinis regibus Hierosolyma ipsa transmissum. Eā verò pyxidem Emmanuel nixus genibus & præ gaudio lacrymabūdus accepit, immortales Deo gratias agens, quod è tam remotis ab Europa régionibus, à rege tam inclyto, per legatos compellari se, be..rique insuper tam salutari ac pretioso munere voluisset.

Post hæc per idoneos interpretes vtræque recitatæ litteræ, quarum erat summa. Principio quidem, Dauid rex trium personarum distinctionem vna natura & diuinitate coniunctam debita veneratione prosecutus, Emmanueli salutem & felicitatem precabatur. Deinde gratias de Epistolis ad reges Aethiopiæ maiores suos missis agebat, eiusque potentiam & opes exaggerabat; vnde sperabat, si vrgere bello maritimo Saracenos & ceteros nominis Christianos hostes Emmanuel pergeret, & terrâ Abyssini, omnem breui scelesti Mahumetis memoriam intermorituram, & sanctū Christi sepulcrum è Saracenorum manibus extorquendum. Legati Mathei deinde auctoritatem tuebantur, & crucem quam ipse in amoris argumentum mittebat, è ligno crucis, in qua generis humani assertor exspirauit, perfectam fuisse cōfirmabat. Adhæc ad societatē belli atq; pacis Emmanuelē inuitabat, quā mutuo cōnubij iure cōfirmare vtrimq; optabat. Nihil enim sibi fore dicebat gratius quā illam

Litteræ regis Abyssini ad regem Lusitaniæ.

Crucis partē mittit eius in qua Christus pependit.

amoris coniunctionem & religionis consensionem, matrimonij etiam fœdere sacrosancto inter vtriusque regis liberos inito, confirmari. Laudabat postremò res præclarè ab Indiæ Prætoribus gestas, quas non sine euidenti supremi numinis auxilio gestas credebat, hortabaturque vt gloriosis adeò cœptis feliciter insisteret. Litteris perlectis, Emmanuel legatos pari humanitate in hospitium deduci præcepit, illisque omnia quàm copiosissimè præberi: ac multa deinde ex legatis de Abyssinorũ ingenio, institutis ac ritibus quęsita per otium; quæ à pluribus postea fusè ac disertæ perscripta sunt. Iam menses aliquot in Lusitania commorati, summa regis beneuolentia, domum vnà cum litteris & muneribus ad Dauidem regem, & Helenam auiam perferẽdis remissi sunt; suum quoq; cum illis legatum misit præcipuè nobilitatis virum, ac regiæ maiestati à cubiculis Eduardum Galuanum; qui anno supra sesquimillesimum vicesimo vnà cum Matthæo Armenio alioque Abyssino Olissipone soluerunt. In Galuani in itinere demortui locum regia auctoritate suffectus Rodericus Lima, qui itineris socius erat.

Quomodo legatus regis Emmanuelis exceptus.

Goam hic cum Mattheo cùm appulisset, reuerti denuò est coactus, se vt cũ Archithalasso regio Sequeria, qui per sinum Arabicum errabat, coniungeret. hic regis Emmanuelis iussu, Rodericum Limam & Matthæum Armenium in terram exposuit, ac dein Arquicum peruenère. Interim oræ præfectus, quam Bamagasum vocant, Aethiopiæ regis nomine, pacem cum Sequeria initurus, huc venerat; venerat & eandem ob causam Sequeria. Benignè hic admodum & humanè tum à pręfecto tum à Monachis Antonianis, qui in vicinia cõmorabantur, excepti Lusitani: hi Matthæũ & Lu-

& Lusitanos videndi gratia egressi, magnam animi voluptatem, ob hoc fœdus præ se ferebant: quòd vetus oraculum sibi à maiorib. traditũ ferrent, ex occiduis aliquando regionibus, Christianæ religionis homines in ea loca venturos, quib. cũ eadē vrirētur fide. Eius vaticinationis promissa tātæ classis appulsu, tandē esse confecta credebāt, sibiq; gratulabātur. à Lusitanis Sacerdotibus linteatis vicissim cũ symphonia & psalmis accepti fuēre; & vtrisq; summo gaudio fuit hæc dies, quod Hesperiā cũ Eoa Ecclesia, tāto locorũ interuallo, dextras quasi miscuisse, & vnum in corpus vnionemq; coaluisse, sibi persuaderēt. Atq; vt paucis rē cōplectar, Bamagazius apprehēsa argētea cruce, quā Sacerdos classiarius secum tulerat, eiq; porrigebat, nixus genibus, hunc in modũ cōcepto iureiurando pacē sanxit: Quā, inquit, pacē Iesus Christus, generis humani redemptor, discipulis reliquit suis, eadē inter nos esto, qui eiudē Christi cultũ profitemur ac fidē. Hanc ego pacē, (quantum in me fuerit) regis mei nomine spondeo, atq; ita iurò per hanc sacrosanctā nostræ salutis effigiē. In eamdē securè sententiam conceptis verbis iurauit Sequeria: dimisso deinde colloquio per triduum vtrimq; donis officiisq; certatũ, & ingens omnium lætitia fuit. Posthæc Sequeria Rodericum Limam & Matthæum Bamagazio cōmendauit, ac tradidit, ad regiā vsq; tutò mittendos. In Roderici comitatu cùm alij honesti viri complures fuēre, tum verò Franciscus Aluarezius Sacerdos: qui dein reuectus in Lusitaniā, eius profectionis seriē patria lingua edidit; eodēque postea auctore, Paulus Iouius gētis ritus moresque Latino sermone diligenter est persecutus. Is porro legationis Roderici Limæ fuit effectus. In patriam siquidem dum post menses aliquot

Pax inter Reges Aethiopiæ & Lusitaniæ inita.

lium cõfessus eum excepit, mirificè recreatum, ad suum regem cùm singulari beneuolentiæ signo missó misit. Annis aliquot imperarat Dauid, cùm demortuus est, cui filius Claudius successor datus. Fouit hic ad tempus cum Lusitaniæ regibus, quam pater cœperat, Societatem, & erga sedem Apostolicam obedientiam. Sed dum in hac se gereret remissius, à rege quodam sibi vicino bello diuexatus est, & regni pene totius iacturam fecit. Adelis enim ac Zeilæ tyrannus, Solimanni Turcæ stipendiarius, Mahometanæ superstitioni deditus, & infestissimus nominis Christiani hostis, in Abyssiam cum exercitu irrupit, multisque cladibus regem Claudium penitus in intima Aethiopiæ compulsum magna parte finium exuit, religiosissima templa cum sacris monachorum cœnobijs euertit, prædas pecorum hominumque identidem agebat. Hisce cladibus affectus Claudius, Stephani Gammæ Indiæ tum Prætoris auxilium per legatum supplex petijt. Aberat non procul ea tempestate Gamma ab Aethiopia; ingenti enim classe instructus, sinum Arabicum peruagabatur, dum expeditio in Suezium tentata, minimè successit. Barnagazio comitante ad classem Lusitanam orator venit, & Gammæ regis afflicti necessitatem, datis priùs eiusdem & matris Elisabethæ ad eum litteris, exposuit; vtque rebus desperatis & fessis, iuxta societatem iam olim cum rege Lusitaniæ initam, opem ferret, est deprecatus. Hæc Abyssini cùm miserabiliter exposuissent, indigna, vti par erat, visa Prætori Lusitano res; confestim aduocato consilio, suppetiæ Christianis contra Mahometanos decretæ.

Hanc excutiens Claudius regni successor, regni partē amittit.

Reli-

Stephanus Gamma Indiæ Prætor, auxilio mittit Claudio regi 400 Lusitanos, quibus Christophorum Gammam fratrem præfecit. Mons quidam munitus.

Reliqua erat consultatio, quem potissimùm expeditioni præficerent. In magna competitorum turba, cùm id pietatis & officij munus certatim sibi quisque deposceret, Christophorus Gamma, prætoris frater, acri ac præferuido ingenio adolescens, ceteris antefertur. Huic & vniuersis copijs, Lusitani cum armis duplicibus quadringenti, & magnus tormentorum & sclopetorum numerus datus. Cum hac manu Gamma profectus, Iunio mense, anno sæculi huius quadragesimo primo; breui ad rupem peruenit, in quam Regina Elisabeta velut ad asylum confugerat. Locus natura munitus est, vt nec vi armata capi, nec fame ad deditionem cogi queat. Est siquidem alta & ita ascensu difficilis rupes, vt nonnisiperangusto anfractu ad eam pateat aditus; ab satis lato fundo paulatim fastigiatur ad summum: inde ad fungi maximè speciem circumquaque prominet labrum, mille ferè passuum ambitu. Intra eius proiecturæ planitiem regia tecta cum capacissimis duabus cisternis visuntur. Huc filij natu minores regum Aethiopiæ ablegari, arcteque custodiri solent, ne regni adeundi spe, aduersus natu maiorem insurgant. Ornatissimum hic templum & monachorum cœnobium; accedit agri, quod probè cultum in annua quingentorum hominum alimenta sufficiat. hinc subiecta quæque ita lustrantur oculis, vt nullus circà latebris insidijsq; sit locus. Ad certum tantum spatium per tortuosum hunc callem ascensus patet: ab eo spatio ita arrecta sunt saxa, vt funibus corbibusque extollantur, demittanturve homines. Huc Regis mater cum suis confugerat. Eam si apud se haberent, & maiorem hominum concursum ad signa futurum & liberaliùs alimenta ab agrestibus vndequaque subuectum iri dicebat Gamma. Bimestri enim ferè iti-

Elizabetha regina castra adit.

rè itinere ab eo loco distabat rex, & tamen dubium non erat, quin sæpius interea cum Zeilano certandum foret. Paucis rem vt perstringam, Gamma cum suis, aduenientium Abyssinorum auxilio, multos populos, qui ad Zeilanum metu defecerant, ad Claudij fidem imperiumque reuocauit, pluresque de hoste victorias retulit; ac duas inprimis, quas non sine miraculo, de Zeilano, instructa acie, obtinuit. Primam quidem quarto Aprilis, anno sæculi huius quadragesimo secundo, ac tum aduersus quindecim peditum millia, ac mille quingentos equites, quos Zeilanus in aciem produxerat, præter ducentos Turcas auxiliares, qui totius exercitus robur ac neruus erant. Gamma nonnisi trecentos quinquaginta secum Lusitanos habebat, (alij enim quinquaginta iam aberant) & paucissimos Abyssinos. certatum ab aurora ad vsque meridiem; Zeilano femur plumbea pila transfigitur. ad cuius casum fuga Mahometanorum ex omni parte fieri cœpta. Instant Lusitani hostem insequentes, sed quod equis carerent, ab insequendo destitêre. Magna hic Mahometanorum strages edita, atque inter ceteros triginta Turcæ interfecti, at Lusitanorum non plus duodecim amissi, quadraginta verò vulnerati. Zeilanus interim nouis breui collectis auxilijs, atque in primis accedente Gradamare duce cum tribus peditum millibus, & quingentis equitibus, Lusitanos iterum adoritur; qui aduenientis impetum generosè excipientes, maximam diei partem in confligendo consumpserunt. Gradamar, qui in prima certabat acie, victus occubuit, ac plerique Turcarum, ceteri verò profligati fugatique sunt. Zeilanus cum suis fuga sibi consuluit, cuius tentoria ac supellex regia in Lusitanorum venit manus, quem semileucæ spatio insequentes, magnam

Chr. Gamma duas de Zeilano victorias retulit.

Gradamar dux occubuit.

gnam hostium stragem edidêre, quibus nisi equi defuissent, bello eo die finem imposuissent. Quatuordecim hic Lusitanorum desiderati, plures tamen sauciati. Zeilanus cum paulatim recederet, biduo pòst illum insecuti sunt Lusitani, ac decem diebus illum pressere; donec retro ad præcelsum montem, natura loci munitissimum peruenit; in quo illum quodammodò tota æstate obsederunt. interim ab Arabia & arce Zebitana, quæ in sinus Arabici faucibus sita, Turcico præsidio tenebatur, nouæ venêre suppetiæ. Missi Turcæ fistulatores nongẽti, alijq; cum tormentis curulibus duobus, armisque plurimis: hisce instructus Lusitanorum castra ac vallum inopinatò adoritur. Gamma vbi curules admoueri ballistas vallo sensit, munimẽto diffisus, vti in hostes erumperent, suis edixit. dictis obtemperatum: & in summa rerum omnium iniquitate Lusitani pugnam acriter initio sustinebant: dein perpetua ferri ac plumbi procella ratis plerisque, ceteri, priusquam ab hoste circumuenirentur, fugam in proximos saltus rupesque præripiunt: Gamma cum egregiè aliquamdiu dimicasset, ad extremum grauiter saucius, hortatu suorum, intendentibus se iam tenebris, (ab aurora enim ad vesperam vsque certatum erat) præter ipsa castra cum paucis effugit. tota nocte per summam vexationem itinere facto, orta demum luce, ne conspici posset, in proximam conuallẽ, & densas circa siluas, è via deflexit. ibi dum ad abditum fontem, è longa defatigatione colligit vires, & vulnera alligat, ab equitibus insecutis opprimitur, à quibus ad Zeilanũ raptatur: qui congestis in eum probris minisque detractà primum veste, virgis acerrimè cædi, tum ad ludibrium & contumeliam totis castris per militum & salonum ora traduci iubet. Postremò cùm omnes iniurias

Zeilanus obsidetur.

Lusitanos denuo adoritur.

Gamma capitur.

iniurias & cruciatus inuicto, propter Deum, animo pertulisset, & oculis sæpe in cælum sublatis, diuinam opem implorasset, ad se retrahi iusso, suismet ipse manibus tyrannus, ab impotenti sęuaq; iracundia, ceruices præscindit. Sunt, qui eo ipso loco quo truncus prolapsus est, fontem subitò erupisse velint, qui pòtus ægris sanitatem afferret. Sũt & alij qui ex ipso mortis & causæ genere, ipsũ in sanctorum Martyrum numerum, pro certo referendum, existiment. Sanè Abyssinus rex, in ea quam ad Indię prętorem de his rebus misit Epistola, Christi Martyrẽ non dubitanter appellat. Caput Gammæ præcisum & simul primariorum Lusitanorum duodecim, ad Turcarum tyrannum à Saracenis dono transmissũ. Clades hæc XXVIII. Augusti die anno Redẽptoris quadragesimo supra sesquimillesimum secundo contigit, qua ducenti aut circiter Lusitani desiderati. Fugientium Lusitanorum reliquiæ, qui centum ac viginti erant numero, cum Reginæ quæ in castris erat, copijs se coniunxêre. Sed quod parum sibi hæc fideret, ad proximum confugit montẽ, ad quem breui Claudius rex, qui hactenus Lusitanis sese coniungere non potuerat, appulit. Hic Gammæ morte, & recenti Lusitanorum clade cognita, non mediocriter ingemuit. At qui supererant Lusitani, instabant, vt quas poterat, colligeret vires, sperare enim, Deo annuente, coniunctis copijs, superiorem se cladem reparaturos, & Gammæ ac suorum mortem insigniter vlturos. Non abnuit Claudius, & collectis breuissimo temporis spatio octonis Abyssinorum millibus, additis insuper Lusitanorum reliquijs è fuga retractis, Zeilanum inuasit; qui superiori victoria intemperanter elatus, conuiuijs ludisque aliquot deinceps dies demissis cũ congiano auxiliaribus

Lusitani cum Claudio rege coniunguntur.

Tur-

Turcis, quasi nil iam periculi superesset, indulsit, & cùm vxore liberisq; & cetera multitudine ad Nili flueta, valetudinis & animi causa cōcesserat. Ibi nihil tale metuentem Claudius cū Lusitanis & Abyssinis, qui equites habebant quingentos, oppressit. Omnes tū pene Lusitani equites erant, qui nullum sibi eligere post Gammę mortem ducē voluerant; sed ducis loco Misericordiæ signum sibi præferebant. Erant Zeilano etiam tum tredecim hominum millia, prçter ducentos Turcas auxiliares. Tanta hostem Lusitani rabie ac furorē inuasere, vt breui victoria penes eos stare videretur: ipse tyrannus ab Lusitano, cuius nomen ignoratum hactenus, cùm vnum tyrannum simul omnes impeterent, plumbea glande traiectus occubuit. Magna dein edita Mahometanorum fugientium strages. Castra direpta, in quibus præda opima inuenta. nam præter collectos huc vndique thesauros, tormenta, cum cetero belli apparatu, quem Turcæ suppeditarant, in Lusitanorum manus venêre. Mortuo Zeilano caput præcisum, quod ad Claudium Regem perlatum: filius quoque natu maior, vt nonnulli sentiunt, in hostium potestatem venit; at vxor eius cum trecentis equitibus, quos circa se præsidij causa habebat, effugit, & quòd omne superauit gaudium, haud exigua Christianorum omnis ætatis & sexus vtriusque, quos Zeilanus in captiuitatem traxerat, multitudo, è miserrima seruitute ac vinculis erepta. Hoc conflictu peracto, Claudius omnes quæ defecerant prouincias, denuo in potestatem imperiumque redegit, & omnes iterum Principes & optimates, qui hostiles partes secuti erant, petita suppliciter venia, ad officium & fidem rediere. Rex diuina in se collata beneficia cùm intueretur, infinitas Deo gratias egit, & iisdem locis, anniuer-

Rex Claudius in regnum restitutus.

sarias

ſarias hebdomadæ ſacroſanctæ ferias admirabili pietate celebrauit: & quamdiu corpus Domini clauſum in ſepulcro aſſeruatũ eſt, atratus & ſqualidus, veteri gentis more, nihil omnino guſtauit, nec pedem è templi finibus extulit. idem à regina matre & proceribus factum. Nec minore cerimonia ſtudioque paſchalia dein peracta myſteria: elutis per confeſſionem ſordibus animarum, ſalutari cœleſtis agni cibo refecti, ſummi atque infimi, ad extremum ſolemni cum pompa ſupplicationem obière. Neque ita multò poſt, Luſitanis, qui in bello hoc regis cauſa ceciderant, iuſta funebria, & regalis apparatus exſequiæ, cum inſigni regis erga pauperes benignitate, & piacularibus ſacrificijs, & ſumma omnium ordinum frequentia perſolutæ. Luſitani ſuperſtites, virtutis ergò donis ab rege donati, & liberaliter habiti illi qui apud illum manere voluerunt; adeo vt potior pars, viſa regis in ſe beneuolentia, quod reliquum erat vitæ, vxoribus in Aethiopia acceptis, hic tranſegerit. Sed quæ deinde ſubſecuta ſint, iam diſquiramus.

Dei beneficium agnoſcit.

CAPVT XV.

Pontifex, ad inſtantiam Ioannis III. Luſitaniæ regis Ioannem Nonnium Soc. Ieſu, Aethiopiæ Patriarcham, & Andream Ouiedum, Hierapolitanum, & Melchiorem Carnerium Nicenum Antiſtites conſtituit: atque hi cum decem alijs eiuſdem Soc. Sacerdotibus in Aethiopiam mittuntur; litteræ B. P. Ignatij Loiolæ Societatis eiuſdem fundatoris ad regem Claudium conſcriptæ.

CVm expeditionum in Aethiopia à Luſitanis inſtitutarum fama in Luſitaniam veniſſet, audiuiſſetque Ioannes eius nominis tertius rex, Claudium regno, ſuorum operâ reſtitutum,

incredibili fuit gaudio affectus; quamobrem singularem spem concipiens, fore, nihil vt sibi rex, infinitis Lusitaniæ nominibus deuinctus, denegaret, dignam ipsius virtute ac pietate suscepit actionem, Abyssini regis ac regni ad Catholicam fidẽ atque auctoritatem Sanctæ Rom. Ecclesię tandem aliquando adiungendi. nam etsi ab Dauide legatus ad summum Pontificem, obsequij venerationisq; præstandæ causa, profectus esset; tamẽ Abyssinæ gentis ac subditorum, in animis hęrebant etiamnũ Dioscori & Eutychetis penitus infixa mendacia, & futiles Iudæorum superstitiones, quas à maioribus traditas vnà cũ lacte nutricis imbiberant; quod nullus hactenus, qui ignorantiæ velamen tolleret, eò profectus esset. Tum verò, quòd maxima locorum inter eos ac sedem Apostolicam esset distantia, ac Schismaticus Patriarcha Alexādrinus in proximo cōmoraretur, cuius illi Schismati adhærebant, & à quo suam hauserant hæresin; ab illo, vti prius, iuris diuini responsa ritusque sacrorum, & publicæ ac priuatæ cærimoniæ petebantur, nullum vt prorsus discrimen religionis præsentis ac præteritæ hic foret, ac superior vnio, ore potius quàm reipsa, inita videretur. Ipse etiā Claudius, Dauidis in regno successor, aliquem qui de nouo sedi Apostolicæ obedientiam præstaret, pro Christianorum Principum, dum ad regnũ euehuntur, more, mittere negligebat. Rex ergo Lusitaniæ secum dum agitaret, quænam potissimũ vnionis procurandæ ac veræ fidei hic promulgandæ, impediendique, ne in posterum ab adulterino hæreticoq; Patriarcha Alexandrino responsa peterent, ratio esset; vna hæc tandem illi visa, si ab Romano ipso Pontifice legitimus ac rectè sentiens Patriarcha ad gregem illum Domini regendum, & ad veræ fidei præscripta pascendum, mitte-

Ioannes III. conatur Aethiopiam sedi Apostolicæ vnire.

mitteretur, & cum eo duo Episcopi, velut collegæ, qui eidem in munere Pontificio auxiliarētur, item spectata morum innocētia & doctrina, Theologi, qui concionibus, colloquijs, & frequenti disputatione, deceptis è mentibus letalium & prauarum opinionum & Iudaicarum superstitionū, quas habebant, fibras euellerent. Rebus igitur cū Iulio III. per litteras, mox cùm illius successore Paulo IV. diu multumq; agitatis, adhibito ad cōsilium imprimis B. Ignatio Loiola, Soc. Iesu auctore, (quòd Ioannes aliquot illius Sacerdotes, quos huc mitteret, deposceret) Tandem re maturiùs discussa, in id munus delecti è Soc. tredecim viri, sanctimoniæ non minus quàm eruditionis laude præstantes, accessere ex eadem Soc. probi aliquot vitæ quotidianæ adiutores. Neq; vlli, tam arduam in expeditionē, tamq; laboriosum iter atq; lōginquum, alacritas defuit; gaudebant potius & exultabant omnes aliquam sibi laborum pro Christi nomine tolerandorum, occasionem hîc dari. tantum ob honorum Episcopalium ac Patriarchaliū vocabulis & insignibus cuncti abhorrebant, & prouinciam suscipere impositam detrectabant: ac proinde nominatim appellati de ea re quidā, præcisè negauerunt. Ne verò tergiuersationi vltrà esset locus ab summo Pontifice pro imperio, & sub inobediētiæ refractariæ pœna, coactus, ad Aethiopicum Patriarchatum euehitur Ioannes Nōnius Barretus Lusitanus; qui nuper in Africa redimendis iuuandisq; captiuis insignē operā, summa cum prudentiæ & caritatis laudē nauauerat: Melchioris Nonnij germanus frater, qui tum Indicā Soc. prouincialis regebat. Pontificis voluntati Nōnius tandē cessit. Huic Episcopali dignitate coadiutores, ijdemq;, siquid & grauius accidisset, successores pro potestate insuper adiuncti duo eiusdem Soc. Melchior Camerius itē Lusitanus, & Andreas

Pontifici scribit.

12. è Soc. Iesu designati, qui in Aethiopiam proficiscātur.

Ioan. Nōnius Barretus Patriarcha Aethiopiæ Melchior Camerius Episc. Nicenus, & Andreas Oviedus Hierapolitanus.

opem ferre non posse videat, pro modulo tamen suo iuuare, regiq; litteras eadem de re perscribere voluit. Re ergo maturè excussa, rationes, quibus Pontifex permotus hosce in Aethiopiam præsules mitteret, & alias quibus eum ad Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ vnionem amplectendam inducere conabatur, litteris commisit. Ceterum, quòd epistola, tum ob rationum quas depromit soliditatem, tum ob singularem scribentis, quæ hic elucet, prudentiam, lectu dignissima videatur; eam totam vt in plurimis rerum Indicarum scriptoribus legitur, visum fuit describere. In hanc ergo sententiam scripta:

Maximo & Potentissimo Principi Claudio, Superioris Aethiopiæ Imperatori, Regi Xoæ, Casatæ, Fatigaris, Angotæ, Baruæ, Baliganga, Adeæ, Vanguæ, Boyamæ, Amaræ, Bagamidri, Ambeæ, Bagæ, Trigrimahontis, Sambaini, Bamagazi, & ad vsque Aegyptum terra marique dominanti. *Titulus Regis Abyssinarum.*

DOmine mi in Domino nostro IESV Christo; Gratia tuæ Celsitudini & salus & affluentia donorum spiritualium à Domino nostro IESV CHRISTO. Serenissimus Portugalliæ rex pro ea solicitudine ac zelo, quem illi DEVS creator noster ac Dominus dedit gloriæ sui nominis, & salutis animarum, quæ vnigeniti eius filij pretioso sanguine ac vita redemptæ sunt; non semel ostendit mihi per litteras, pergratum sibi fore, si è Religiosis nostræ minimæ Societatis, quam vocant Iesu, duodecim viros designarem, è quibus ille Patriarcham vnum, duos coadiutores pariter & successores eligeret. iisdemque à summo Christi Domini nostri Vicario suppliciter peteret auctoritatem & ius, quo iure ad suas quisque partes ritè obeundas ipsi *Littera B. Ignatij ad regem Claudium.*

cum Sacerdotibus alijs in tuæ Celsitudinis regna transmitti possent. Ego pro eximijs, inter ceteros Christianos Principes, eiusdem Serenissimi Regis Portugalliæ meritis erga Societatem nostram vniuersam, nostraque vicissim omnium in illum obseruantia & pietate, feci quod iusserat: consultoque secutus numerum, qui Christi Domini nostri Apostolorumque eius collegium referret; præter ipsum Patriarcham, Sacerdotes duodecim, supplementi ac velut seminarij causâ, è corpore nostro cunctos excerpsi, qui subleuandas iuuandasque animas, tuæ Celsitudinis imperio ac ditione subiectas, sese vitamque suam in omnem laborem atque discrimen offerrent. Atque hoc libentius parui, quod præcipua quadam alacritate sentio me, sociosque meos omnes ferri ad obsequium & cultum Celsitudinis tuæ. Haud immeritò; quippe quæ inter tot circumfusas vndique nationes infidelium & hostium nominis Christiani, vestigijs maiorum suorum insistens, ad conseruandam ac promouēdam Christi Domini ac Dei nostri religionem ac gloriam diligenter incumbit. Quā ipsam ob causam optandū fuerat, vti, ad hæc tam recta Celsitudinis tuæ studia conatusque, subsidium accederet spiritualium Patrum, quibus & legitima potestas ab hoc sanctæ sedis Apostolicę fastigio deriuata, & fidei Christianę pura & sincera doctrina suppeteret, quę nimirū duæ sunt Claues illę regni cælorū, quas Christus Dominus noster sancto Petro, & omnibus qui deinceps in eius erāt solio sessuri, promisit prius, deinde ipsa re tradidit. promisit tantummodo, cū ad eū dixit (vt legimus apud Matthæum) *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo Ecclesiā meā, & tibi dabo claues regni cælorū, & quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatū & in cælis: & quodcum-*

Ad instātiā Ioan. Lusitaniæ regis XII. socios deligit in Aethiopiam mittendos.

Legitima potestas & pura doctrina sunt claues regni cælorum.

Mat. 18.

cumq; solueris super terram,erit solutum & in cælis Tradidit ac promissa cōpleuit, cū post resurrectionem,antequam in cælū ascéderet, sciscitatus ex eo ter,referente Ioanne Euangelista,*Simon Ioannis diligis me plus his?* subiūxit in singula respōsa, *pasce oues meas*: cōmittens illi non partem aliquā ouium suarum,sed totum prorsus gregem, vniuersa cum plenitudine potestatis,ad alendos vitali Christianæ Religionis pabulo cunctos vbiq; fideles,eosdēque ad cæle[illegible]ia sépiternę Beatitudinis pascua perducendi. Ac ceteris quidem Apostolis auctoritatē Christus Dominus noster impertijt delegatā, ac veluti extra ordinem:at sancto Petro,eiusque successoribus,ordinariam dedit ac plenam,vti ab hoc summo pastore,tanquā à fonte,reliqui animarum pastores peterent,eidemq; acceptū ferrent; quidquid omnino iuris ad suum quisq; munus ac regimen,obtinerent. Quod olim adumbrasse per Isaiam videtur Dominus,cū de Eliacim loquens Pont. Ma x. *Et dabo*,inquit, *clauem domus Dauid super humerū eius;, & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet,& non erit qui aperiat*. quo videlicet typo figuratus est Petrus eiusque successores,quibus datam integram potestatem declarant claues, consuetū vtiq; symbolum & insigne pleni atq; absoluti dominij. Quę cum ita sint, Celsitudo tua gratias debet Deo,quod ipsa regnante,dignatus fuerit, istis nationibus mittere veros animarū pastores,qui à summo Pastore ac vicario, quem reliquit in terris Iesus Christus omnē potestatē acceperūt. Neq; sine causa,patri auoq; tuę Celsitudinis displicebat sumi ab vrbe Alexādria Patriarchā:quippe sicuti diuulsū à corpore membrū,vitā à corpore nō accipit;ita Aegyptius Patriarcha vbicumq; degat,cū schismaticus sit,vitā gratiæ & pastoralē auctoritatē,nec sibi recipit ipse,nec alteri valet impertire.

Ioan. 21.

Christus Petro eiusque successoribus plenam Ecclesiæ potestatē dedit.

Isaiæ 22.

Ecclesia vna est nec plures habere superiores potest.

Cant. 6.
Oseæ 1.
Gen. 7. 8.
Exod 39.
3. Reg. 6.

Ecclesia namque Catholica vna tantum est in orbe terrarum, neque fieri potest vt alia Rom. Pontifici, alia pareat Alexandrino. Vti sponsus eius Christus vnus est, sic sponsa illius vnica, de qua Salomon ait in Canticis ex persona Christi Domini, *Vna est columba mea.* & Oseas Propheta etiam singularius de hac re locutus, *Congregabũtur filij Israel, & filij Iuda pariter, & ponent sibi caput vnũ.* & in eamdem sententiam multò deinde pòst Ioannes Euangelista, *Fiet* inquit, *vnum ouile, & vnus pastor.* Vna erat quemadmodum in Genesi legimus, arca Noë, extra quam nulla omnino salus, vnum tabernaculum, quod fabricatus est Moses. Vnum Hierosolymæ templum à Salomone conditum, quo in templo sacrificare & adorare oportebat, Vna, cuius iudicio staretur synagoga. Hæc nimirum omnia Ecclesiam denotabant, quæ vna est item; extra quam nihil boni. Etenim qui cũ eius corpore coniunctus non fuerit, nullũ à Christo capite recipiet influxũ gratiæ viuificãtis animã, ac præparãtis ad fælicitatẽ ęternã. Huiusce vnitatis declarãdæ causa contra quosdam hæreticos in symbolo canitur, Credo Vnam sanctam Catholicã & Apostolicam Ecclesiam; damnatusque à Cõsilijs error est, priuatas Ecclesias, seu Alexandrinam, Constantinopolitanam aut similes dari, quæ communi omnium capiti subiectæ non sint Pontifici Romano, ex quo perpetua serie ab sancto vsque Petro (qui Christi Domini iussu, vti à Domino Marcello martyre traditum est, Romanam elegit sedem, eamque suo cruore sanciuit) perducti Romani Pontifices; vicarij Christi citra controuersiam à tot ac tanta sanctitate Doctoribus Latinis, Gręcis omniumque nationum habiti, ab sanctis Anachoretis, Episcopis & aliis Confessoribus adorati; tot signis atque miraculis, tot denique Martyrum qui in hac fide

S. Petrus Christi iussu sedẽ Romæ delegit, ac sanguine fusa stabiliuit.

& vni-

& vnione sanctæ Rom. Ecclesiæ vitã profudêre, testimonio comprobati sunt. Merito igitur, consentienti Episcoporum omnium voce, qui ad Chalcedonensem cõuenerãt Synodum, Papæ Leoni pariter acclamatum, *Sanctissimus, Apostolicus, vniuersalis.* Et in Constantiensi damnata est hæresis, negantium, super omnes & singulas omnium terrarum Ecclesias, primatum Romani Pontificis eminere. Ad quas tam disertas firmasque Patrum sanctiones atque decreta, Concilij quoque Florentini, quod sub Eugenio IV. præter alias nationes, à Græcis etiam, Armenis, & Iacobitis tanto studio celebratum est, in hæc verba accessit auctoritas: *Definimus, sanctam Apostolicam sedem, & Pontificem Romanum, in vniuersum orbem tenere primatum, ac successorem esse Petri ac verum Christi vicarium, totiusq; Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere: & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, gubernandi vniuersalem Ecclesiam, à Domino Iesu Christo potestatem plenam esse traditam.* Iure igitur Serenissimus Rex Dauid, tuæ Celsitudinis genitor, misso ad obsequium Romano Pontifici deferendũ legato, sanctam hanc sedem omnium matrem ac principem agnouit. Cumque alia multa & præclara ipsius pariter & tuæ Celsitudinis acta numerentur; tum duo hæc eiusmodi sunt, vt eorum præstantiam nulla vnquam obscuratura videatur obliuio; ac proinde ab omnibus, qui sub isto viuunt imperio immortales auctori bonorum omnium Deo debentur gratiæ, pro tam singulari in eos beneficio, vestra duorum opera, industria, virtute collato: cum alter omnium primus se in illius potestate, qui Christi vices gerit in terris, perpetuo fore professus sit; alter item primus dictum ab eodem Christi vicario Patriarcham, verum ac legitimum sacrosanctæ

& vnione sanctæ Rom. Ecclesiæ vitã profudêre, testimonio comprobati sunt. Merito igitur, consentienti Episcoporum omnium voce, qui ad Chalcedonensem cõuenerãt Synodum, Papæ Leoni pariter acclamatum, *Sanctissimus, Apostolicus, vniuersalis.* Et in Constantiensi damnata est hæresis, negantium, super omnes & singulas omnium terrarum Ecclesias, primatum Romani Pontificis eminere. Ad quas tam disertas firmasque Patrum sanctiones atque decreta, Concilij quoque Florentini, quod sub Eugenio IV. præter alias nationes, à Græcis etiam, Armenis, & Iacobitis tanto studio celebratum est, in hæc verba accessit auctoritas: *Definimus, sanctam Apostolicam sedem, & Pontificem Romanum, in vniuersum orbem tenere primatum, ac successorem esse Petri ac verum Christi vicarium, totiusq; Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere: & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, gubernandi vniuersalem Ecclesiam, à Domino Iesu Christo potestatem plenam esse traditam.* Iure igitur Serenissimus Rex Dauid, tuæ Celsitudinis genitor, misso ad obsequium Romano Pontifici deferendũ legato, sanctam hanc sedem omnium matrem ac principem agnouit. Cumque alia multa & præclara ipsius pariter & tuæ Celsitudinis acta numerentur; tum duo hæc eiusmodi sunt, vt eorum præstantiam nulla vnquam obscuratura videatur obliuio; ac proinde ab omnibus, qui sub isto viuunt imperio immortales auctori bonorum omnium Deo debentur gratiæ, pro tam singulari in eos beneficio, vestra duorum opera, industria, virtute collato: cum alter omnium primus se in illius potestate, qui Christi vices gerit in terris, perpetuo fore professus sit; alter item primus dictum ab eodem Christi vicario Patriarcham, verum ac legitimum sacrosanctæ

ſedis huiuſce filium, in ſua regna perduxerit. Etenim ſi in magni cuiuſdam beneficij loco habendũ eſt, vt profectò eſt, inſitos eſſe corpori myſtico Eccleſiæ Catholicæ, quod à ſpiritu ſancto viuificatur ac regitur, quã teſte Euangeliſta, idẽ ſpiritus docet omnẽ viritatem; ſi eximium eſt munus, lucẽ ſanæ doctrinæ intueri, & Eccleſiæ fundamẽtis inſiſtere, quã Apoſtolus Thimotheo ſcribens domũ Dei, columnã & firmamentum veritatis appellat, cui ſe promiſit in æternũ affore Chriſtus Dominus; dũ ait, *Ecce ego vobiſcũ ſum vſq; ad conſummationem ſæculi*, vti apud Matthæum legere eſt; eſt ſanè cur ſine fine gratulentur iſtæ nationes Deo Domino & conditori noſtro, cuius prouidentia per tuam parentiſque tui Celſitudinẽ, tanto illos bono dignata eſt. præſertim cũ iure ſperandũ ſit, ex hac ipſa conciliatione conſenſuque fore, Chriſto Domino moderante, vt cum ſpiritualibus temporalia quoq; incrementa, non ſine dilatatione imperij tui, & hoſtium abiectione proueniãt. Sacerdotes qui mittũtur iſtuc, omnes quidẽ, ſed præcipuè Patriarcha, coadiutoreſq; & ſucceſſores eius duo, ſpectata admodum virtute ſunt, & noſtra in Societate probati per omnia: ac propter illuſtrem charitatem, & exquiſitam rectamq; doctrinã ad hoc tanti momenti opus adſciti, neque verò illis animus in idipſum aut alacritas deeſt, haud leui cõcepta fiducia, labores ſuos ad Chriſti gloriã, tuę Celſitudinis rem, animarũ auxiliũ, pari cũ operæ pretio collocãdi. Humanæ quippe ſalutis amor, illos & Chriſti Domini aliqua ſaltem ex parte imitandi exſtimulat ſtudium, qui cruciatus ac necẽ ſubiit volens ac libens, vti mortales ab æterna calamitate redimeret, aitq; per Euangeliſtam: *Ego ſum paſtor bonus; bonus paſtor animã ſuã dat pro ouib. ſuis*: Hoc exẽplo incitati Patriarcha & ceteri parati

Quantum ſit beneficium Eccleſiæ Catholicæ membrũ eſſe.

1. Tim. 3.

Mat. 28.

Quales fuerint qui in Aethiopiam miſſi ſunt.

Ioan 10.

rati veniũt, nõ verbo duntaxat consilioq; & spiritualibus adiumentis; sed ipsa morte si res ferat, periclitantibus minus opitulari. Tua Celsitudo quò interiorẽ illos ad consuetudinẽ ac familiaritatẽ admiserit, eò maiorẽ, vt spero, capiet in Dño voluptatẽ. Iã verò quod pertinet ad fidẽ & pondus eorũ, quę ab ipsis vel publicè vel priuatim exponẽtur, nõ ignorat Celsitudo tua, omniũ (quatenus rite legati sunt) sed Patriarchæ præcipuè dictis, Apostolicæ fidei pondus & auctoritatẽ inesse: ac perinde illis vt Ecclesiæ credi oportere, cuius ab ipsis interpretanda sunt verba ac sententiæ. Et quoniã Christi fideles cunctos Ecclesiæ firmiter assentiri, eiusq; decretis obtemperare, & si quid exiſtat ambiguũ aut obscurũ, eamdẽ cõsulere necesse est, non dubito, quin tua excellens pietas publico edicto curatura sit in suis regnis, vti omnes omnium ordinũ homines, tum Patriarchæ ipsius, tum eorũ quos ille sibi substituet, dicta, præcepta, responsa citra vllam dubitationem sequãtur. Constat ex Deuteronomio, de controuersijs omnib. ac nodis ad synagogã Ecclesiæ prænuntiã referri solitũ: hinc illa quoq; Christi verba: *Super cathedrã Moysis sederunt scribæ & Pharisæi*. idipsum in prouerbijs docet sapientia Salomonis, cũ ait, *Ne dimittas præcepta matris tuæ* (ea est Ecclesia) & alibi: *Ne trãsgrediaris terminos quos posuerũt patres tui*: ij sunt eiusdẽ Antistites. Deniq; tantũ Ecclesiæ suæ tribui ac deferri Dominus vult, vt per S. Euangelistã Lucã apertè denuntiet, *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit*: & per S. Matth. *Si Ecclesiã nõ audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. ex quo apparet, ne aures quidẽ præbẽdas ijs q alienũ quippiã à sẽsu & interpretatione Catholicæ Ecclesię attulerint. S. quoque Paulo in Epist. ad Gal. idipsũ prę monẽte, cũ ait, *si aliud angelus de cælo vobis euãgelizauerit præterquã euãgelizauimus*

Quæ illis sit adhibenda fides.

In rebus dubiis auscultandũ Ecclesiæ est.

Deut. 17.
Mat. 23.
Prou. 1.
Prou. 23.
Mat. 17.
Gal. 1.

vobis, anathema sit. Ad summam hoc idem sancti Doctores, Conciliorũ canones, fidelium omnium consensus & consuetudo plane demonstrant. Ac vicissim Patriarchæ ac socijs pariter omnibus certum est fixumq;, tuam Celsitudinem assiduo cultu submissione, atque etiam quo ad fas piumque ferat, indulgentia prosequi. Nos verò quotquot in hisce terris, è minima nostra societate retinemur, tua Celsitudo ad omne obsequium in Domino paratissimos habeat. Nostris quidem certè precibus, & sacrificijs, vti iam instituimus, Deo supplicare pergamus, vti regiam Celsitudinem tuam, regnumque illud amplissimum in sancto Christi famulatu conseruet; detque illi ita transire per bona temporalia, vt non amittat æterna. Idem ipse Deus ac Dominus noster, omnibus nobis, ad sanctissimam ipsius voluntatem & clarè cernendam & ritè exsequendam, perpetuum lumen ac vires pro sua infinita bonitate suppeditet. Romæ. VII. Kal. Martias, M.D.L.V.

Prouisiones Roma ad Patriarcham & Episc. Nicenum missæ.

Hæ litteræ, quas ad Claudium perferret, Ioanni Nonnio Patriarchæ designato, qui tum in Lusitania commorabatur, cum Pontificijs diplomatibus, quibus eum Patriarcham creabat, plenariãque potestatem dabat, ex sacro pallio Archiepiscopali, de more transmissæ. Melchiori quoque Camerio, in Lusitania item commoranti, litteræ quibus Episcopus Nicenus cõstituebatur, missæ. Ceteri decem Patres ex Italia in Lusitaniam, vnà cum Andrea Oniedo Hierapolitano Antistite designato, ac cum Collegij Neapolitani rectore, nauigarunt. Ceter Ignatius hos ex omnibus nationibus selegerat, erant siquidem inter illos Itali, Belgæ, Lusitani, & Hispani. Sed rei seriem iam prosequamur.

(∴)

CAP.

CAPVT XVI.

Duo Goa ad Regem Abyßinorum legati missi, qui Patriarchæ aduentum prænuntiarent: nauis qua tres Patres in Aethiopiam profecturi vehebantur, naufragium passa; ipsi verò cum pluribus alijs in deserta quadam insula fame moriuntur.

QVi in Patriarchæ Aethiopici socios desecti erant Patres, ac varijs Europæ locis sparsim commorabantur, breui vnum in locum, superiorũ iussu, conuenêre; qui vero in Lusitania tum erant, eôdem etiam sine tergiuersatione confluxêre. Interim vero dum commodum nauigandi tempus exspectarent, solitum regiæ munificentiæ specimen editurus Ioannes Lusitaniæ rex, Patriarchæ & Episcopis, quibus in sacris, Pontificio ritu, peragendis vterentur, vestes, auro argentoque intextas parari, quin & reliquum sacrorum apparatum, instrumenta & vasa summa elegantia & arte frabrefieri iussit. Quo etiam dignior legatio videretur, & illustrior, declarauit è suis familiaribus primarium virum Fernandum Sosam, qui Patriarcham & alios in Abyssiam vsque, honoris causa, velut regius legatus deduceret. Dum Olysipone, omnia ad iter necessaria comparantur, Rex Francisco Barreto Indiæ Prætori scripsit, vt legatos aliquot ad Abyssinum regem præmitteret, qui Patriarcham, à sede Apostolica missum, & Sacerdotes alios breui adfuturos denunciarent videréntque quo illos esset animo excepturus, & quæ illius in reconciliationem regni totius, cum Ecclesia Catholica, esset propensio. Barretus regijs acceptis litteris, prudentem mox & cordatum virum Iacobum Diaziũ simul & Gonsaluũ Rodericium Soc. Iesu, summæ virtutis & doctrinæ ad Abyssi-

Regis Ioannis liberalitas.

Franciscus Berretus Indiæ prorex.

Legatos in Aethiopiam misit regis Lusitaniæ nomine.

byssinum regem destinauit; cui inprimis in mandatis dedit, vt Lusitanos superstites, qui à Christophori Gammæ clade in Aethiopia matrimonio contracto manserant, in rebus ad animæ salutem spectantibus, iuuaret, Sacramenta ijs confessionis & Eucharistiæ administraret, suiq; officij cõmoneret, quòd Cath. Sacerdotis copiã non haberent.

Biremibus duabus Goa profecti, vnius mensis nauigatione, ad Arquicum Abyssinæ ditionis emporium, ex opposito Mazuæ Insulæ, quæ in sinu Arabico haud procul ab Aethiopia est, in regia statiua, terrestri dierum aliquot itinere peruenerunt. Biduo pòst admissi ad colloquium, post mutuum salutationis officium, Regis Lusitani epistolam recitarunt, in qua erat, Quòd sese Claudius aui ac parentis exemplo, rectæ in Deum fidei & Catholicæ cõmunionis cupidum ostendisset, gratissimum id omnibus Christianis Principibus & sibi imprimis, ob singularẽ in illũ affectum, accidisse: atq; ob id summum Pontificẽ verum Ecclesiæ vniuersalis pastorẽ ac ducẽ, salutis regiæ omniumq; subditorum cupidissimum, Patriarcham duosq; alios Antistites, simul & Sacerdotes nonnullos, virtutis nõ minus quàm sacræ cognitionis laude præstantes selegisse, qui optimis eius studijs toto pectore deseruirent, sanctisq; votis quã maximè satisfacerent. Quamobrẽ se missurum anno proximo illos cũ certo è familia sua viro; & confidere se, debita illos regẽ veneratione & iuxta sacrã dignitatẽ excepturũ, nec aurẽ modò salutaribus illorũ monitis accõmodaturũ, sed omni etiã ope auxilioq; illorũ conatibus & studijs adfuturũ. Litteris perlectis, quæ insuper in mandatis habebant, legati aperuêre, multa quoq; à Lusitanis in quibus, qui adstabant, in eam sententiã ac Sacerdotum venturorum præconia dicta sunt.

Litterarũ regiarum summa.

Præuia hæc legatio, quã adornari voluerat rex, pru-

prudenter admodum & consultò, vti rei declarauit exitus, fuit instituta. Abyssinus enim veluti oppressus, obducto vultu, sermone confuso, perplexa quædã & incerta respondit; vt quid vellet, vix pateret ingenij mobilitate, vel improborũ suasu immutatum hauddubiè cerneres. Modestè post hæc interrogatus, quid ita super vnione regni cum Ecclesia Romana ad Ioannẽ litteras vltrò dedisset; reiecta in librariũ aut interpretem culpa, nutans & fluctuãs; se quidẽ fraterna in regẽ Lusitanũ voluntate esse ac fore subiunxit; ceterum nihil sibi minus in mentẽ venisse, quàm idcirco à maiorũ institutis, ac tot sæculorũ spatio corroborata religione deficere. Attamẽ P. Rodericius, ope fretus diuina, captatisq; tẽporib', Claudiũ omni ratione ad sanitatẽ reuocare cõtendit; atq; ob id sæpiùs tũ cũ illo, tũ cũ alijs, illo præsente, disputauit; sed mirã in eo & religionis primorib', Cõciliorũ, & Ecclesiasticę historiæ ac diuini & humani iuris inscitiã deprehendit. neque tamen astus aberat callidè vel imprimis ipse rex agere, occupationes modò simulare, modò longis & alienis, & nõ inuenientib. exitũ sermonib. de industria tẽpus exstrahere, nec ad rei caput venire velle: in angusto coarctatus, argumenta palàm eludere, pleraq; inficiari, negata asserere; interdũ etiam infimi Sacerdotis qua fortẽ qua cõfidentiã acerbè perstringere. At Rodericius cùm & malignos aditus, & iniquiorẽ indies corã disputãdi cõditionẽ animaduertisset; librũ sub se cius interim operis ab se confectũ, & Chaldaicè (hac enim lingua in sacris vtuntur) vt cumque redditum, obtulit regi: quo libro cõfutatis Abyssinæ gentis erroribus, Ecclesiæ Romanæ summum inter omnes Ecclesias culmen ac potestatẽ apertè monstrabat. Librum hunc auidè rex perlegit, sed spiritu contradictionis transuersum abreptus. aduersus quem dum petita è varijs cœnobiorum regni bibliothecis volumina dies noctesque per-

Respõsum Regis Claudii, quo se mutasse sententiã ostẽdebat.

Gonsalum Rodericius librum de Abyssinis erroribus conscribit.

lustrat, neq; tamen extricat quidquam; Sacerdotis nostri nomen celebrius eo reddidit: stupebant siquidem omnes, dum tantam Latini Sacerdotis doctrinam, & sacrarum litterarum cognitionem audiunt, nemo vt in vniuersa Aethiopia, qui libro ab illo conscripto responderet, reperiretur. Porro ni cautè suppressus liber fuisset, magnos procul dubiò concursus ad Ecclesiæ Romanæ gremium apparebat futuros. Auxit rumorem & nomen Roderícij, Abunæ, id est, summi Antistitis, aduentus. Cùm enim iam nuper ab Alexandrino Patriarcha ad hanc dignitatẽ euectus, in Aethiopiã aduenisset, hunc, vt cum Rodericio disputaret, libroque ab illo composito quàm citissimè responderet, rex rogauit. At ille rugosa fronte superciliјs adductis, nullum ait sibi cum hæreticis sermonis commercium esse; neque se illuc altercandi cum peregrinis, sed cleri ordinandi gratia destinatum, quin religionem vltro incussit regi, quòd impia scripta Sacerdotis Latini (ita librum Rodericij nuncupabat) legere esset ausus, idque ne in posterum faceret, minaciter vetuit. Inter huiusmodi frustrationes & moras sextus effluxerat mensis: cumque iam tempus Goam reuersionis instaret; Rodericius, per Sacramenta expiatis & confirmatis in officio Lusitanis, & excitatis vt vitæ melioris exemplo inter nationem peruersam velut faces ardentes collucerent, ab rege veniam abeundi cum Diazio petit: ac simul obsecrant, missis ambagibus promat, quid super aduentu Patriarchæ & Comitum, referri ad Indiæ Prætorẽ, à quo hanc ob causam missi erant, imperet. Ille, quod ad Patrum aduentum attineret, non abnuere se, & permissurum se dixit, vt in regiam perueniant; quin & Arquici præsto fore è suis, qui descendentes exciperet, atque ad se cum fide curaq; perdu-

Aduentus Abunæ id est, summi Aethiopum Antistitis.

Rodericius Lusitanos in officio confirmat.

perduceret vbi coràm eos audiſſet, tum,ſe quid facto opus eſſet,deliberaturum.Simul dona quædam Iacobo Diazio dari, & auri decem vncias Rodericio in viaticum erogari iubet; ſed hic accepta voluntate, regiq́ue gratijs actis pecunias reijcit.Goam deinde repetentes, circa Zeilanam orã ſubita coorta procella euerſa,nauigiũ propè demerſit:ſed, Deiparæ interceſſione (vt fas eſt credere)cui votum,ſi euaderent, pronuntiarant, periculo erepti ſunt. Cum enim prius euadendi nulla ſpes eſſet,inuocatâ Deiparę ope,nullo nautarum miniſterio,ſuam in ſedem carina redijt;ita fluctus exhauſti, qui inuerſa naue ingeſti erant. Votiua dein caſus effigies Goæ in eiuſdẽ Dei matris templo,in rei teſtimonium,ſuſpenſa. Legati Goam reuertũtur.

Sed ad Patriarcham eiuſque comites redeat narratio:per eoſdem enim dies,quibus in Aethiopiam Rodercius erat profectus,illi adhuc in Luſitania hærebant. quorum decem, è Luſitania præmiſſi, dum grauiora Patriarcham Olyſſipone negotia morantur,ac varias,vt fit,in naues impoſiti,Mozambicum incolumes deuenêre. A Mozambico,dum vaſtum præcidunt oceanum,abducta ab ceterorum conſpectu oneraria vna,per tenebras noctis in ſyrtim impingit, & colliditur. neque tumidum erat mare, & paruo interuallo breuia ignotam ad inſulam, quæ inde propius aberat, exigui admodum ambitus pertinebant. Eo tutius,dirupto alueo nautæ vectoreſque, trecenta circiter capita, in terrã effuſi. verũ ſqualidus & ab omni humano cultu deſertus erat locus & è cõmeatu nautico, modicũ quid vini, & cibaria, eaq; ferme vitiata,ſupererant:vt,ni properè ſubueneretur, vltima neceſſitas ac dira fames inſtaret.Extẽplo Nauarchus opis in proximo petendę gratia cũ robuſtis viris triginta, ſcaphã quę integra mãſe- Naufragium vnius nauis.

rat cōſcendit, ſed ventorum & æſtus impetu, quā breuiſſimo ſpatio temporis Goā peruenêre: & vaſtū hoc æquor exigua cymba traiecerunt, leucarū quingentarum, vti poſtea ſupputatum eſt, emenſi ſpatium; quod incredibile cuiquam videatur, ni ipſorū nautarū teſtimonio compertū eſſet. Mox è naufragij reliquiis raptim cōcinnato nauigio, quinquaginta fermè alij ſubſecuti, & eamdē viam inſtitere. remanſêre in deſerto hoc loco ad ducentos, in ijs è patrum numero tres, Gonſaluus, Paſchalius, & Alfonſus Lupius. hi ab antecedentibus liberaliter, tū in ſcaphā, tū in ratē inuitati, præcipuā conditionē in communi diſcrimine recuſarunt, afflictamque turbam & inopem, ſuis quoque officijs ac præſentia deſtitui, quo erāt caritatis ardore, paſſi non ſunt. Maluêre ſiquidem ijs adeſſe, & ad laborum famiſq; tolerantiā tum verbo tū ſuo ipſorum exemplo animando, famē cum illis intermori, quam cum alijs diſcrimini ſe ſubducere. Egregium ſanè caritatis exemplum. Eorum periculo & fame cognita Indiæ Prætor Barretus, confeſtim cū duabus celocibus eundem nauarchum, & nauclerij ordinis pręfectum, quem gubernatorem maximum appellant, ad naufragos quærendos ac deportandos abire iuſſit. ſed quamuis vterque ſummam adhiberet diligentiā, ſerius venêre & irrito conatu. Ingens ſiquidem erat interuallum, æſtus etiam aduerſus, & inſula quod minor eſſet, ad inueſtigandum fuit obſcurior. Non antè enim inuenti, quam inedia ad vnum omnes, etiam Patres quos diximus abſumpti ſunt. Eius rei nuntius Goam allatus mœrore ciuitatem compleuit & præſertim ſocios: omnes tamen ſortem illorum deprædicare, ac virtutum caritatiſq; præconia celebrare, quod oblato ad ſalutem exitu, ſuis tamen ipſi capitibus aliena ſola-

Iter admirabile.

Tres Patres ſoc. in inſula deſerta fame emoriūtur.

ſolatia prætuliſſent. Anno inſequenti Ioannes Patriarcha, Andreas Ouiedus Epiſcopus Hierapolitanus, & Ioannes Meſquita, oratore Soſa, qui in Aethiopiam illos deduceret, inter nauigandũ exſtincto, Goam deuehuntur incolumes. ibi cognito Claudium, contra opinionem & farmam, in Luſitania & Europa ſparſam, in veterum erroribus & impia ſeceſſione, perſtare, digna conſultatione res viſa; num Patriarcham, eiuſque Coadiutores ac reliquos comites qui in oneris partẽ aſſumpti erant, hac rerum perturbatione, in Aethiopiã proficiſci expediret. Adhibiti conſultationi præter lectiſſimos è ſocietate Patres, Eccleſiæ quoque Goanæ viri primarij, quorum omniũ ea fuit ſentẽtia, neutiquã expedire, tãtæ auctoritatis virum ac Patriarcham, ſeiunctæ à Catholico cętu genti præbere ad contumeliam & ludibrium os. verum ne prædamnata & abiecta repentè per metum vel ignauiam tantæ exſpectionis apparatuſque legatio, &, ſi quid ſanari in rege experiendo poſſet, omiſſum vlla ex parte videretur; Andream Epiſcopum duobus tribuſq; cum ſocijs Abyſſiam adire, regique perſuadere, ſe vt cum ſede Romana coniungeret, placuit: quibus fundamentis prę iactis tum demum Patriarcham expedientius & commodius ad munus exequendum ſuum profecturum; illos vero, ſi perturbatã forent omnia, & ſpes vnionis nulla, per litteras Patriarchæ prouinciam diſſuaſuros.

Quid vero fecerint iam exponamus.

(∴)

Patriarcha ſoſpes Goam appellit.

Conſultatio de Patriarchæ in Aethiopiam profectione.

CAPVT XVII.

Andreas Ouiedus Episcopus Hierapolitanus cum alijs Soc. Patribus in Aethiopiam proficiscitur: Patriarchæ succedit quid hic fecerit & passus sit.

Episcopus Hierapolitanus in Aethiopiã tendit.

DVram hanc & laboriosam prouinciam cùm libentissimè Hierapolitanus Antistes suscepisset, Goa anni sęculi superioris LVII. cũ aliquot Soc. Patribus in partẽ oneris assumptis, in Aethiopiam soluit: Mox vt appulerat, aditum ad regem quæsiuit, qui tum bello quodam distentus erat, ideoque commoda eius non tam cito dabatur alloquendi occasio. visum igitur fuit in castra proficisci. Benignè admodum à rege tàm ipse quàm socij excepti, qui Episcopo inprimis insignem beneuolentiam ostendit. At vbi de reconciliatione cum Rom. Ecclesia agi cœptum, non minus se refractariũ ac salutaria monita contemnentem quã prius ostendit. Episcopus ne regem irritaret, dissimulauit initio, atque interim cum socijs, tum Lusitanis inquilinis tum Abyssinis iuuandis incumbit, hos ad Ecclesiæ Romanæ gremiũ reducere conando, illos vero officij Christiani commonendo.

Quod egerit in Aethiopia, quin etiã socii.

Nec irrito conatu: aliquot enim Abyssinos verbis familiarique colloquio à schismate & erroribus conuerterunt; quod vbi ad regẽ delatũ esset, grauiter se conuersionem illam ferre declarauit. Episcopus facti rationẽ redditurus sui, regem adit, oratq; vt veritatis citius patefaciendæ gratia aliquot se cum doctissimis Monachorum aut aliis, de rebus cõtrouersis disputationes habere permittat. Annuit Claudius, sed inuitus, atq; idcirco rẽ de die in diẽ distulit tergiuersatus, vt parũ in disputationem hanc propendere illum facile cõstaret, sed precibus importunioribꝰ fatigatus tãdem

dem assensum dedit. Episcopus ergo alijque Patres sæpius cùm doctoribus illius disceptantes, superiores semper manebāt, Abyssinis ad rationes & depróptas auctoritates penitus, magna sui cōfusione, obmutescentibus. Sed non idcirco manus dederunt. Episcopus hāc peruicaciam mētis cū cerneret, totius tamē gentis saluti consultū vellet, libros aliquos aduersus Abyssinorū errores conscribendos diuulgandosque censuit. feliciter hocce negotium succedebat, contumacē tamen regis animū non inflexit: vbi enim vrgeri se ac cōuinci cerneret, quid pectore foueret, tandē erupit. Mense enim Decembri anni salutis quinquagesimi octaui supra sesquimillesimum, à maiorū superstitione discedere, aut Rom. obsequiū Pont. se nolle deferre, Episcopo palā declarauit. Sed delatā hactenus animaduersionē, (vt apparet) diuina tandē iustitia laxauit. Anno enim insequēti, mense Februario cum ad bellum proficisceretur, acie victus à perduellibus occubuit. Successit Adamas frater, olim desertor fidei Christianæ, vir inhumanis ac ferus & Apostolicæ sedis hostis acerrimus. Hunc Episcopus ad regnū euectum vbi intellexisset, compellare & cōgratulari voluit. facilē se initio ostendere Adamas, sed lupinā feritatem externa beneuolētiæ specie tegebat, vti declarauit breui. Cognito enim duos è regni proceribus ab Episcopo ad vnionē Catholicā reductos infremuit, & vtrumq; facti rationem corā se reddere præcepit. Priusquā Regem adirent, Sacrum cōfessione præmissa, ex Episcopi manibus Eucharistiæ Sacramentum percepêre. Blandis primum verbis illos ad pristinas superstitiones reducere rex conatus, cum operā se ludere, & blanditias simul minas ac terriculamenta irrita videret, horū iuniori, qui tum vigesimum agebat annum ceruices præ-

Pontifici Rom. obedire se nolle Claudius ait.

In bello victus occumbit. Adamas fratri in regno succedit.

ces præcidi imperauit ; alterum verò sexagenarium in exilium egit. Horum omnium causam vnicam cùm sciret, Episcopum & socios, carceri illos mancipauit, dignis in eos animaduersurus suppliciis. Ac ne elaberentur, in castra secum bellumq; vinctos raptauit, vbi pessimè habiti. Belli huius hæc erat occasio. Claudio vitâ functo plerique procerum, Turcæ cuiusdam Ducis, qui (vt iactabant) omni ratione Claudij filium, veluti legitimum regni hæredem ad sceptrum euehere cōtendebat, auxilio cornua erigentes, Adamæ bellū̃ intulere. Adamas nonnisi frater erat Claudij, & alter filius, ideoque inter se de regno (pro more, dum patrui cognatos minores excludere satagūt) bello disceptarunt. Ad manus vbi ventum, fractus succubuit Adamas, omnesque copiæ fusæ fugatæque. Ipse, licet ægrè, fuga sibi consuluit. Turcæ castra hostilia diripientes, omniaque peruagati, tandem in Episcopum ac socios vinctos incidêre. Quorum calamitate ærumnaque cùm non tangerentur, ignem hospitio, omnibus priùs hostiliter direptis, iniecerunt. Viui quidem euasêre incendium, sed maxima cum rerum inopia postmodum & ærumna conflictarunt. Sed in India interim ad tempus peregrinemur, iterum mox in Aethiopiā reuersuri. Goæ interea, vita functo Ioanne Albuquercio, cùm ad illius Ecclesiæ gubernacula Ioannes Patriarcha, qui hic hæserat, vocaretur, nunquam vt eàm reciperet procurationem adduci potuit. Suum ipse quin potius apicem, quoad liceret, ad Societatis normam & instituta submittens, Collegij rectori Goani vltrò se, quasi de communi Religiosorum fuisset numero, subiecit.

Bellum init aduersus Claudii filium

Conflictū amisit.

Humilitas Patriarchæ Ioannis Nonnii eiusque obitus.

Hanc itaque dignitatem cum suscipere abnuisset, & perpetuum abstinentiæ, Religionis, & industriæ

lustriæ exemplum omnibus dedisset, Goæ diem extremum clausit. In defuncti locum Pontificis iussu, vti suo dictū loco, suffectus Episcopus Hierapolites Andreas Ouiedus: cui dignitas hæc non honorem aut emolumentum, sed onus ac laborem peperit. Deus enim à clade Adamæ, Aethiopiam peruicacem, dum erroribus inhærens Ecclesiæ parêre detrectat, flagellare dum vult, acerrima in eamdē flagella exeruit, vt enim bella contentionesq; inter Adamam, ac Claudij filium de regni successione tacitus prætercam, quibus tamen potior regni pars direpta ac vastata fuit; (dum enim Turcarum arma vterque in auxilium euocat, permagna Aethiopiæ portio deuastata, Mahometano cessit imperio;) ipsi Galli (quo nomine plebecula dicitur) vt militarem insolentiam extorsionesq; à se propulsarent, conspiratione inita tumultuati, turmatim in obuia quæq; cæco impetu debacchati sunt. cumque nemo furentibus resisteret, regibus rem propriam & sceptri causam agentibus, in quæ Turcæ non sæuierant, ipsorum feritas euertit. Hinc factum vt Lusitani, qui in Aethiopia iam domicilium fixerāt, omnem quam possidebant facultatem perdiderint, & stipendia, quibus vitam traherent, diuersorum Principum mereri coacti sint. atque ideo in varias dispersi sint prouincias. Lusitanorum penuria ac calamitas, Patriarchæ aliorumque Patrum inopiæ causa fuit. Cum enim antè solis Lusitanorum eleemosynis viuerent, atque hæ, vt dixi, dificerent, ad summam, nemine suppeditante necessaria, redacti sunt inopiam. Aratrum & boues ad terram colendam emerunt, vt hordeo hinc collecto vitam miserè traherēt. suis ipsi manibus arabant, & terrā colebāt. Patriarchæ toga vix erat ad nuditatē tegendā, nedū ad Patriarchalē splendorē ostētandū.

Andr. Ouiedus in Patriarchatu illi successit.

Flagellat Deus Aethiopiam.

Galli qui sint.

Patres arant.

Epistolam quoq; Sebastiano Lusitaniæ regi exaraturus, integrum chartæ folium habere prę inopia non potuit, vt in quarta folij parte, veteri etiã educta libro, scribere coactus fuerit. Atque hęc libentissimè pertulêre, quòd meliora sperarent, & ne exiguum Catholicorum gregem, quem hactenus magno sudore tantisque periculis collegerant, pastore destitutum relinquerent.

Lusitani aliquot in Aethiopiã dum nauigant, in Turcarum manus incidunt.

Dum hæc in Aethiopia agerentur, sedecim Lusitani, Goa in Aethiopiam soluerant, vt Aethiopicæ Ecclesiæ negotia perdiscerent; sed cùm in Turcarum piratarum manus incidissent, plerisq; interfectis, reliqui vulnerati, in seruitutem abrepti sunt, inter quos fuit Fulgentius Fereira Soc. Iesu Religiosus; hic in finibus Arabiæ in faucibus sinus Erythræi captus, Mazuam deductus est, & in remigum nauticorum numerum adlectus. Sed quòd animus vinculis non constringatur, sex interea ad Christi fidem adiungit, quorum tres Baptismo suscepto quamprimùm emoriebantur. Tãdem Sebastiani regis liberalitate redemptus, in Hispaniam rediit, Indiam denuo si superiorum iussum accederet, repetiturus. His enim aliisque ærumnis generosi Christi pugiles non franguntur, sed ad maiores grauioresq; tolerandas animãtur.

Sed ad Patriarcham nostrum reuertamur, Sebastianus ergo rex, illius sociorumq; ærumnas cùm fama didicisset, casum viri miseratus, Pio V. Pont. per Oratorem suum Romæ, rei seriem, & illorum labores, ærumnas, ac paruam ob continua inter reges regno inhiantes prælia, vnionis spem significauit: nullum adhæc in vniuersa Iaponia Episcopum esse, qui Neophystos Confirmationis Sacramento insigniret, aut ordines Societatis hominibus nondum initiatis, aut Iaponiis illorum iam capacibus, conferret.

Orare

Orare se proinde, vt decreto suo Patriarcham ethiopiæ in Iaponem transmitteret, vt cùm pud Aethiopes non liceret, apud Iaponios Epi- opi munia exerceret. Annuit piæ regis petitio- Pius,& tum oratoris regij, tum R. V. Francisci orgiæ qui tum vniuersæ Societatis gubernacula ıoderabatur, atque eadem Pontifici coràm, quæ ex litteris, significârat, postulata concessit; Pa- iarchæque, re maturè deliberata, prima oportu- tate ex Aethiopia discedendi, & in Iaponem b causas prædictas transeundi breui Apostolico ansmisso, quod hic visum asscribere, faculta- m libens dedit.

en. fratri Nostro Andreæ Ouiedo Patriarchæ Aethiopiæ.

VEn. Frater Salutem, &c. Dilectissimi filij nostri Sebastiani Lusitaniæ Regis litteris ora- ori suo in Rom. curia agenti transmissis, ac plu- morum fide dignorum relatu, didicimus; te à de Apostolica in Aethiopiam destinatum, vt ımdem ad veræ fidei cognitionem, & Ecclesiæ atholicæ vnionem perduceres; exiguum admo- um, post tot exactos menses, laboris & indu- riæ, quòd duræ ceruicis sit populus, & antiquis rroribus mordicus adhæreat; fructum retulisse: verò in Iaponem, aut Chinensem, quam vocant, rouinciam, in quibus fides Christiana mirificè ropagatur, transmitteres, spem esse, vt laboris sudoris tui, auxiliante Deo, maiores & vberio- s fructus referas; quòd hic messis sit plurima, operarij pauci. Hæc itaque cùm audissimus, ac ıaturè examinassemus, sortem tuam miserati ımus, quòd post tot exantlatos labores, ac onginquum iter, parum admodum profeceris,

& irritus fuerit omnis conatus. Etsi verò labor ille tuus Aethiopiæ non profuerit, animæ certè tuæ insignem præmiorum segetem parasti; ipsa namq; Dei bonitas, cuius nomine tot tantaq; discrimina & ærumnas subiisti, amplissimam tibi tandem aliquando tantæ pietatis, obedientiæ, caritatisque mercedem persoluet. Nos igitur nullo nostro merito, ad sedem Apostolicam euecti, & ex officio nostro omnium debitores constituti, quando Dei Optimi Maximi honos & gloria, animarumque salus agitur; amica ac fraterna salutatione præmissa, de zelo & labore quem in animabus Christo lucrifaciendis impendis, sufficienter informati, in Domino te exhortamur, & in virtute Sanctæ obedientiæ, atque ad peccatorum remissionem mandamus, vt cùm tuto & cōmodè inde discedere licuerit, lectis præsentibus, in Iaponem aut Chinam transmissurus, Aethiopiam relinquas, atque ibi iuxta S. Rom. Ecclesiæ, quæ omnium fidelium mater ac magistra, præscriptum, fidem Christi annunties. Omnia hic etiam Sacramenta administrabis, & plurimas Deo animas, illius ope comitante, lucrifacere studebis. Id quo fiat meliùs, auctoritate Apostolica nobis concessa, plenam tibi omnium Pontificalium functionum ibidem & alijs in locis, ad quæ fortè venturus es, exercendarum potestatem concedimus, modò proprius loco non sit Episcopus. Volumus adhæc, vt vbiuis locorum, omni potestate, iure, priuilegijsque, quæ tibi Beatæ recordationis Iulius III. & alij prædecessores nostri, pro sola Aethiopia concessere, vtaris. Quin & eadem auctoritate Apostolica tecum dispensamus, vt sine vllo conscientiæ grauamine in prædictis regionibus commorari & habitare valeas, nisi fortè maior vnionis Aethiopicæ spes affulgeat. Quod etiā

sacrum

sacrum œcumenicum Concilium, Tridenti à Paulo III. indictum, à Iulio III. continuatum, & sub Pio IV. B. record. finitum, sedis huius auctoritate confirmatum sit, illius tibi exemplar vna cũ his litteris transmittendum curauimus. Omni ipsum, spero, accipies reuerentia, & canones & præscripta illius ad fidem spectantia executioni prout poteris, mandare non grauaberis. Ceterum libenter & hilariter, in Dei honorem, animarum saluti incumbas, frater carissime; in quo diuinum tibi auxilium spero non defuturum; gnauiter ac sincerè concessa cælitus talenta exerce, eaque ad maiorem illius gloriam impende. Denique vbi se dederit occasio, eorum quæ, Deo iuuante, in fidei augmento feceris, & omnium quę nos scire interesse putabis, nos quamprimum certiores redde. Ipse Deus omnipotens, & Domini nostri Iesu Christi Pater incolumem te cõseruet, frater dilectissime, sospitem te ille in prædictas regiones perducat, suamque tibi gratiam indies adaugeat; vt infideles ab idololatriæ caligine liberare, & ad veræ fidei lumen traducere valeas. Romæ, sub annulo Piscatoris Kal. Februarij, anno salutis M. D. LXVI.

Antonius Floribellus Episcopus Abellinus.

Breue quidem hoc Pontificium Patriarcha accepit, sed ipso non est vsus; quòd Pontifex quidem in Iaponem Chinamve eundi facultatem dedisset, nisi maior vnionis Aethiopicæ spes affulgeret. Patriarcha verò semper meliorem rerum statum dum sperat, in Aethiopia hærebat. accedebat adhæc, quòd, etiamsi vellet, sine euidentissimo seruitutis, & in Mahometanorum manus incidendi periculo, exire non posset. quocirca in Aethiopia permansit, in qua tandem, multis exagitatus ærũnis ac persecutionibus, demortuus est.

Fuit

Patriarchæ virtutes.

Fuit sanè vir, dum viueret, virtutum studio eximius, & perfectionis sitientissimus: passionum mortificationi & austeritati corporali deditus, & præsertim orationi. cuius tanto tenebatur amore, vt cùm de die, occupationibus quotidianis impeditus, eidem quantum volebat, vacare non posset, noctu, somni tempus minuendo, diurnum pensum persolueret, ac sæpe maximam noctis partem orando traduceret. Priusquam in Aethiopiam mitteretur, Gandiensis Collegij Rector fuerat: quo loco res illi contigit relatu digna. Quodam tempore, dum orationi vocabat, dæmon omnis boni, & præsertim sancti huius exercitij hostis acerrimus, Deo permittente (vti olim Iobum afflixit) tam grauiter illum verberibus excepit, vt opem sociorum inuocare coactus fuerit. ad quem clamorém exciti nonnulli quam celerrimè aduolarunt, quid rerum ageretur ignari: at cubiculi foribus obseratis, nihil subesse inclamans, ad sua singulos dimisit. Haud ita multò post, cùm Francisco Borgia, Gandiæ duce, & Gandiensis Collegij fundatore, Romam, quò ille Societati ascriberetur, profectus est. Inde à B. Ignatio Neapolitano præficitur Collegio; hoc munere cùm fungeretur, Hierapolitanus designatus fuit Episcopus, ac postea in Aethiopiam concessit, in qua tribus ac viginti annis, varijs exercitus laboribus, ærumnis & persecutionibus, quas Christi nomine pertulit, infractus permansit, atque opera planè miranda patrauit, vti è relationibus incolarum, quæ ab hinc paucis annis, opera & industria Sacerdotis Goani, cui nomen Melchior de Silua, qui anno Salutis M. D. XCVIII. in Aethiopiam concessit vt suo referemus loco, collectæ & concinnatæ sunt, colligere licebit. Cùm enim à Goano Archiepiscopo in mandatis haberet, quæ

A diabolo verberatur.

Rector fuit Collegii Gandiensis & Neapolitani.

Patri-

Patriarcha Ouiedus ac socij in Abyssia & fecissent & tulissent, inquirere; coram tabellione ac testibus in debita ac legitima forma, informationem fecit, conuocatisque ijs, qui scire ac referre poterant, iurare prius singulos, veritatem se dicturos, coëgit. Legitimæ hæ informationes primò Goam à Sacerdote illi allatæ sunt, qui anno salutis M. D. CIV. Goam in natale solum rediјt: atque inde in Lusitaniam transmissæ, vbi anno M. D. CVII. typis mandatæ sunt. Quòd verò eijsdem plurima mirabilia contineantur, quorum ad nostrates nondum fama peruenit, hoc illa loco, proprio sanè & commodo, inserere visum fuit. Sequenti igitur capite de Patriarcha Ouiedo, ac deinde de socijs instituetur sermo.

CAPVT XVIII.

Vberior laborum, calamitatum, ac persecutionum, quas in Aethiopia, fidei Catholicæ causa, Andreas Ouiedus Patriarcha pertulit, declaratio, deq; mirabilibus quæ tum viuus, cùm mortuus patrauit, operibus.

TRadunt quidem in genere Informationes & examen prædictum, Patriarcham & alios Patres, missionis Aethiopiæ socios, sanctam semper & Apostolicam vitam traduxisse; nec apud Catholicos modò, verũ etiam schismaticos & hæreticos, regem quinetiam ipsum, sanctitatis opinionem habuisse: semper eos cùm in rege ac subditis, tùm præsertim in monachis & religiosis indigenis ad fidem Romanam perducendis, gnauiter elaborasse; sæpe cùm religioso-

rum

rum doctissimis versatissimisque disputationes instituisse, ac plurimos eorum conuictos Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ adiunxisse; & hanc ob rem tum Patriarcham tum comites persecutiones, exilium, pauperiem; & varia incommoda, vt suo loco referetur, pertulisse.

Ceterum Patriarcham singillatim, Informationes erga pauperes benignissimum fuisse testantur: cui cùm quodam tempore nonnisi vnicus quem erogaret bos, qui sacrorum apparatum dũ oppida peragraret deferebat, superesset; hunc visâ plurimorum inopiâ mactatum, inter inopes distribuisse. is porro qui hoc ipsum suo confirmauit testimonio, cum bouem hunc ob Ecclesiæ vsum mactandum, negaret, mox audiuit à Patriarcha, Mactetur fili, & in egenos frustatim erogetur, crastina enim die Deus nobis prouidebit. Nec fefellit euentus. Abyssinus enim nobilis, licet schismaticus, insigni Patriarchæ liberalitate cõperta, & quãtopere boue hoc opus haberet, egregio hoc caritatis exemplo permotus, postridie ei septuaginta aut ampliùs panes, vaccas aliquot, ac cibaria varia misit; quibus & suæ & aliorum necessitati succurrebat.

Puella paupercula & parentibus orbata cùm elocanda esset in matrimonium, cùm in dotem quod daret nihil omnino suppeteret, mulam, quâ in longinquo itinere vehebatur, vltrò ei dedit: ac tum asino aut pedes iter conficiebat. Hanc ob liberalitatem ad tantam inopiam redactus est, vt & Alba qua in sacris vteretur, deesset. Quo comperto, Toparcha quidam Abyssinus bonam ei telæ lineæ partem dono dedit, plurimas ex hac confecit Albas, reliquias in egenos distribuit.

Quamuis initio Catholici ac schismatici, imo & ex proceribus regni plerique; multum ei auri

ac ve-

ac vestes plurimas darent; vix tamen horum quidpiam in suum seruauit vsum, sed in pauperes mox omnia dispertijt. Toto hoc vitæ tempore obseruauit. sæpe etiam postquam sibi data in miseros erogasset, pedes pagos etiam bidui aut tridui distantes itinere oberrabat, stipem aliquam in illorum necessitatem quæritando. Cumque collecta in humeros ipse suos sustulisset, gaudens ad inopes reuertebatur, quo illorum & mentem & corpus pasceret ac solaretur. Quadam die dum ad emendicandum proficisceretur, in plures Elephantos siluestres incidit, à quibus dum se dilaniandum putat, Dei ope præsentissimo, ereptus est discrimini, vti & alias sæpe, vt breui narrabitur.

Ipsa verò in ægros humanitas nihilo fuit minor, vt quã hic subnectimꝰ historiã, faciet manifestius.

Abyssinus hæreticus grauissimo ægrotabat morbo, eoque non modò pestilenti, sed etiam tetro, nemo vt ei adesse dignaretur, & omnes eum etiam noti desererent. Hoc comperto Patriarcha, solita sua caritate nullum periculum veritus, ægri domum adit intrepidus, cibos ei porrigit, cubiculum euerrit, & tanta diligentia ac solicitudine sordidos & vlcerosos eluit pãnos, quanta diligentissimus ac fidissimus famulus. Abyssinus hanc Patriarchæ caritatem demiratus, prauos eiurauit errores, & fidei Catholicæ nomen dedit.

Cibus communis ei erat, panis quidam è semine amarissimo confici solitus, quo pauperrimi quique in Aethiopia victitant. Cùm verò locustarum pestis omne hoc semen (præ copia enim arborum rami fatiscentes rumpebantur) deuastaret; omnes ad eum agricolæ è vicinia confluxêre, orantes vt suis ad Deum precibus pestem auerteret. Patriarcha populi casum miseratus, cum Catholicis ad templum Deum oraturus cõcessit;

recita-

recitatisque Deiparæ ac Sanctorum quas vocant Litanijs, templo egressi, locustas emortuas & arefactas reperiunt. Hoc magnam ei apud Catholicos & schismaticos sanctitatis opinionem peperit: sed quod iam referemus, quàm maximè.

In pago Fremona cùm commoraretur, Catholici Turcarum & Gallorum (quorum supra mentio facta) qui omnia circumquaque rapinis & incendijs delebant, & obuios quosque trucidabant, incursum metuentes, ad Patriarcham, velut ad pastorem, opis petendæ gratia, confugerunt; vix esse tutum hic subsistere dictitant, & quò potissimum fugiant, se nescire. Bono eos animo Patriarcha iubet esse, in Deum spem conijcerent: ac deinde sacrum Missæ officium Deo pro præsenti gregis necessitate oblaturus, ad templum perrexit, Deum obsecrans, vt quid hic agendum esset, aperire dignaretur. Inter sacrificandum vox ad eum delata, Fremona sospes erit; qua voce significare Dominus voluit, hunc ab inimicorum impetu locum tutum fore. Sacris peractis edicit, nemo vt locum aliò fugiturus deserat, quòd hic alijs tutior esset futurus: nec euentu caruit prædictio. Saraceni enim & Galli, omnibus circumsecus deuastatis, cùm si recto processissent itinere, hic transeundem fuisset, deflectentes à via regia, Fremonam quamuis in loco plano constitutam, & licet vix semi abessent leuca, sine vllo prorsus maleficio præteriêre. At famuli sui precibus gregem hunc Dominus protexit, qui grauissimam alioquin cladem passus esset.

Plurimos Abyssinos ad fidem conuertit. Horum aliorumque operum, fama cùm per vniuersam Aethiopiam spargeretur, multi ad illum indigenæ, vt Catholica imbuerentur fide, confluxêre, adeò vt plurimi Abyssinorum ac præsertim monachorum, illius operâ ad Ecclesiæ Catholi-

tholicæ gremium redierunt. Quo cognito eum ad se rex euocatum, grauissimè corripuit; Annon inquit, tibi sufficiat, quòd in mea ditione te, vt Lusitanorum tuorum curam habeas, tolerem, nisi etiam monachos ac subditos meos vniuersos peruersæ tuæ doctrinæ veneno inficias? anne turbarum concitandarum, & legum institutorumque patriorum à tot iam sæculis obseruatorum, immutandorum ergò, in regnum meum venisti? Quamobrem omne tibi cum subditis meis interdico commercium; ac cum tuis te Lusitanis agere duntaxat cupio: sin minus, meritis in te supplicijs animaduertam. Patriarcha liberrimè respondens, suo se fungi dixit officio, & etiam cum vitæ periculo fidem se veram annuntiaturum, ait ijs, qui eiusdem desiderio tenerentur. In rabiem libera hæc responsio regem agere videbatur, & varijs in eum exoneratis calumnijs seductorem, impostorem, nugiuendulum, ac veræ religionis nescium penitus, per contumeliam illum nominauit. Denique (vt testis deposuit) adeò rabie exarsit, vt violentas in eum manus iecerit, & vestem præ indignatione lacerarit. Sed astantes optimates regem continuêre, non esse regium dicentes, extraneum Sacerdotē tam indignis tractare modis, cessit igitur bene consulentibus. Sed in exilium vnà cum P. Francisco Lopesio Patriarcham in confragosos & steriles montes, vt vix à quoquam inhabitentur aut colantur, relegauit; ac sub vitæ periculo ne inde pedem efferrent, inhibuit. Vt verò grauiùs eos affligeret, calicem quo in sacris vtebantur, ijs abstulit, tam salutaris eos Sacramenti solatio etiam priuare dum vult. In hoc exilio Patriarcha & socius non cum fame modò, siti, frigore ac calore, sed & alijs incōmodis & ærumnis conflictati sunt. nam quidquid ad

Rex eum persequitur.

In exiliū relegatur.

vitam trahendam necessarium videbatur, penè illis deerat, & in assiduo versabantur periculo, ne à latronibus, qui hisce in montibus latitabant, iugularentur. In pastorale se tugurium noctu recipiebant, & saxa ceruicalis ac strati erant loco. Misero hoc modo septimestre aut amplius vitam tolerarunt. Interim nobilis quædam matrona regi sanguine iuncta, ad quam sterilis hic locus spectabat, illos inuisit: cui, casam intranti ingens quoddam lumen, solari simile apparuit: quæ incognito illo splendore perculsa, abijt, illis non salutatis; sed tam præclaram de illorum sanctimonia ac virtutibus opinionem concepit, vt regi supplicarit, hoc vt loco illos educeret, & in alium habitationi idoneum mitteret. Postulatis æquissimis rex annuit; sed loci ad quem se reciperent habitatores, pauperculis commeatum ac victui necessaria præbere noluit, vt brutorum instar radicibus & herbis agrestibus victitarint.

A nobili matrona inuisitur.

Alius testis qui aderat, dum rex illos in exilium pelleret, eosque semper est comitatus, testatus insuper est omnium, dum rex ad se Patriarchā euocaret, opinionem fuisse, in mortem eius, regem conspirasse, & postquam eum traditorem, impostoremque dixisset, docereque suos voluisset, fore vt ei ceruices præcideret; Patriarcham verò, vbi respondit non destiturum se, etiam iamiam occidēdum & leonibus obiectandum, vt ad mortem se paratissimum ostenderet, pallium abiecisse, & solo amictum roqueto, manibus & oculis in cælum sublatis, vitam Deo suam obtulisse: regē autem ira feruentem dixisse: Martyr quidem esse iam velis, & manibus meis occumbere, sed apage hinc; ac tum in exilium illum relegasse. Interim verò dum Patriarcha ac socius abessent, regem omnes qui Catholicam fidem amplexi erant, cō-

prehen-

prehendi iussisse, & acerrimè correptis, mortem intentasse, ni ad pristinum errorem redirent. Horum nonnullos magna animi constantia respondisse, sanguinem se malle ac vitam profundere, quàm errores pristinos suscipere. Regem porro indignantem leonibus illos, etiam se inspectore (aderant enim quatuor aut quinque leones in eam rem parati) objiciendos præcepisse. Dictum, factum. At visum Deo primitiuę Ecclesiæ miracula hic renouare. Leones quippe, licet ferocissimi, nullum ijs damnum intulerunt, sed feritate positâ, generosos Christi athletas aggredi non sunt ausi. Quo viso miraculo rex & spectatores omnes non parum perculsi sunt. Asseruit hoc testis, qui se his omnibus interfuisse iurauit. Rex idcirco morte illos afficere tunc noluit, sed vnà cum Patriarcha & Francisco Lopesio multauit exilio. Ceterum generosi Christi Confessores, cùm læti & gaudentes ad exilij locum proficiscerentur, in medio itinere, deficiente cómeatu, famem acerrimam passi sunt, vt plurimos vires defecerint. Ad hanc extremitatem redacti, in fluminis latissimi ripa vnà cum pastore suo consedêre, qui gregis exigui necessitatem Deo precibus quàm enixissimè commendauit. Non minor illius apud Deum oratio, quàm Gregorij cognomento Thaumaturgi, id est, mirabiliũ patratoris, qui precibus suis lacum contentionis fraternæ causam fecit arescere, fuit efficaciæ. Hîc enim Dominus, quò famulorũ succurreret inopiæ, Patriarchæ rogatu, magnum hoc flumen subitò arefecit, vt in medio illius alueo plurimi apparuerint pisces, quibus nõ modò pręsentem pepulerunt famẽ, sed & multos secũ asportarunt, mulis quos habebãt, impositos, Deo ob tam singulare beneficium gratias agentes. Iterum coiuit flumen, & illi hilares cœptum sunt iter prosecuti, spe certissima concepta, Deum illis

In exiliũ mittuntur Catholici.

Insigne miraculũ.

Flumen exsiccatur & iterũ aquæ coeunt.

in exilio non defuturum. Quod magno illis in tolerandis exilij incommodis, adiumento fuit, donec septimo vel octauo demum post mense reuocarentur. Huic miraculo interfuit is, qui hoc ipsum iuramento suo confirmauit; cum enim minister regius foret, in exilij locum illos deducere in mandatis habebat.

Alia Patriarchae persecutio. Alio item tempore Patriarcham ad se euocatũ rex, postquam contumeliosè excepisset, caput ei se præcisurum comminatus est, ni à docendis subditis desisteret. At Patriarcha, qui morte huiusmodi nihil habebat antiquius, decussatis ante pectus brachijs, caput inclinauit, paratissimum se ac promptissimum ad mortem excipiendum ostendens. Rex autem efferascens ensem eduxit, *Regis ira.* sublataque in ictum dextra, ante quam demitteret, ensis manu excidit; quo miraculo rex & omnes adstantes (è quorum numero fuit, qui hoc ipsum testimonio confirmauit suo) non parum obstupuêre. Regina verò quæ aderat, confestim se solio proripit, & Patriarcham amplectitur, regis illum furoriereptura, ac modestissimè maritum corripiens, esse negauit regium, in tam singularem tamque eximium virum sic efferascere. Nihilo ille Reginæ verbis factus mansuetior, Patriarchæ vt ocyus se inde proriperet, indixit, clãculoque imperauit, vt de medio tolleretur. & sublatus *Patriarcham clã necari iubet.* fuisset, ni Abyssini proceres, schismatici licet, fuissent impedimento. Cùm enim magni ab illis viri sanctitas fieret, clam ei opem auxiliumq; præstabant, dumque grauiùs in eum rex animaduer- *Patriarcham iterũ & Lusitanos in exilium mittit.* tebat, tum illi adesse benignius, & munificentia, illius inopiam subleuare feruentiùs. Quin & aliàs postea rex, postquam acriter illum corripuisset quòd suorum nonnullos veræ fidei asseruisset, vniuerso illi regno interdixit, ac Lusitanos secùm

cum omnes, vxoribus & filijs vt in seruitutem abriperentur, relictis, traheret mãdauit. Iussis obtẽperatum est, & in remotissimam regionem exules profecti sunt, in qua varias ærumnas & summam inopiam experti sunt. At deinde reuocati, Patriarcha & Franciscus Lopezius, regem tum in castris agentem, & bello aduersus perduellem quẽdam pręfectum suscepto occupatum adiêre. In castra cùm peruentum est, reliquos hîc Soc Patres qui huc & illuc etiam dispersi fuerant, repererũt, quorum aspectu & repentino occusu mirificè sunt recreati. Agebant inter se de exilij ærumnis, & ecce hostilis exercitus, facto in regia castra impetu, in fugam omnes egit, adeo vt iterum à se inuicem disiuncti sint. At Patriarcha vnà cum Francisco Lopesio, & alio quodam reliquorum Patrum comite, loco non cessit; quibuscum tum pro se tum socijs huc illucque dispersis Deum orare cœpit. Quamuis autem in patulo versarentur loco, sola Dei ope armati & communiti; hostis tamen in obuia quæque debacchatus ac furens, numquam eos accessit, tametsi vix sexaginta abesset passibus singulari Dei protectioni, hocce miraculum vir ille qui aderat, & hoc deinde testatus est, ascripsit, dum hostiles oculos præstinguir, vt videntes non viderent. Finita iam oratione & hostibus ad sua receptis, Patriarcha Lopesio ait, Viuunt Deo laus, etiamnum Patres nostri, quamuis hostilem in potestatem venerint, sed sospites euadent, pro ijs dumtaxat Deum obsecremus; quod ipsum & alteri socio mox dixit. Nec euẽtu caruit prædictio. Reliqui siquidem Patres à Turcis capti & vestibus nudati & indignissimè habiti sunt; sed ducis cuiusdam Christiani, qui hostiles partes tuebatur, ope tandẽ in libertatem sunt restituti; cùm enim à Bassa Turcicarum copiarum ductore eosdẽ pe-

Miraculosè discrimine eripiũtur.

Patres à Turcis capti & laxati sunt.

tiuisset, sine vllo negotio obtinuit, qui mox liberos abire permisit. Patriarcha verò cùm pro Patribus captiuis Deum esset precatus, mulam conscendit, Lusitanos regias partes sequentes aditurus: incidit in Abyssinum militem, sed hostilis exercitus, à quo mula abducta est. Patriarcha damnum hoc parum moratus, iter cœptum prosecutus est, singulares Deo ob immissum damnum gratias agens, socium verò itineris hac iactura irritatum, Patriarcha benignè affatus ait, Desine fili, desine, nihil hoc est. In Lusitanorum receptaculum cùm venisset, paulò post Patres qui Christiani ducis opera Sarracenorum manus euaserant, eôdem appulere. Quàm incredibili affecti vtrimq; sint gaudio dici vix potest. alter alteri, quas passi erant calamitates, enarrabat, è quarum narratione incredibilem capiebant voluptatem. interim Abyssinus miles, qui Patriarchæ mulam abduxerat, citato aduolat cursu eamdem redditurus; atque vt illius constat testimonio, hanc ob causam. mulam enim domum cum aduexisset, mox vxor & vtraq; proles subitò ex stincta est. cumque Dei punitione ob iniuriam Patriarchæ irrogatam, hoc sibi aduenisse suspicaretur, territus, eamdẽ quàm citissimè reddere studuit; & Patriarchæ pedibus aduolutus supplex commissi veniam petijt, vtq; Deum sibi, ne eamdem pœnam subiret, propitium redderet, obsecrauit. Tum Patriarcha insigni caritate æstuans, Ire metuas, inquit, fili mi, & virum solatus ad suos remisit. Miles hic deinde semper singulari Patriarcham honore ac beneuolentia est prosecutus, & quoties eum adiret (adibat autem frequentissimè) munusculo semper aliquo donabat. Quoniam huc deuenit narratio, simile quid hic visum addere. Patriarcham rex captiuum abduci iuss-

Patriarcha mulã perdidit.

Et recuperat.

Raptorem amicum expertus est.

ei iusserat, is verò qui ducebat, laboris aliquam ab eo mercedem postulauit: cumque Patriarchæ præter stolam ac superpelliceum nihil ad manum esset, & eadem quòd in sacris peragendis eis vteretur, dare nollet, lictor vi abstulit. Patienter tulit iniuriam Patriarcha, ac nullo indignationis signo edito, sed oculis dumtaxat ad cælum sublatis ait, Ah Domine, ah Domine. Discesserat iam lictor, & vix semileucam confecerat, quin quàm celerrimè ad Patriarcham reuersus, stolam ac superpelliceum tacitus reddidit; quid repente virũ multarit nescitur hactenus. Redditis enim his exuuijs, eadem qua venerat celeritate, abijt, cui quid factum, nemo sciuit; nam à parentibus & amicis quàm diligentissimè inuestigatus, quadraginta iam elapsis annis, postmodum non comparuit.

Alius ei stolam ac superpelliceum abstulit.

Sed, nescitur quam ob rem reddidit.

Tanti porro apud Aethiopas, etiam hæreticos, sanctitas Patriarchiæ habita est, vt veteribus illũ anachoretis compararint; vnde regis patruus fidem se quam docebat accepturum cum alijs plurimis dicebat, nisi necem à Rege omnibus intentatam metuerent: magno quoque apud monachos indigenas in honore erat, & præsertim apud vnũ, qui permagni ab Abyssinis fiebat. Cùm enim Mahometani opidum obsedissent, in quo Patriarcha tum versabatur, per Lusitanum ciuibus nuntiari iussit, ne Mahometanos metuerent, viderent modò, ne inde Patriarcha elaberetur; nefas enim esse metuere eos, quibuscum vir tam eximius & sanctus egerat. Et sanè nihil hic locus detrimenti est passus.

Quæ fuerit hæreticorum de Patriarcha opinio.

Cùm distributis omnibus in egenos, in summa inopia versaretur, monachus, cuius magna apud regem erat auctoritas, nobilem quemdam Abyssinum adijt dicẽs, Sanctus hauddubiè vir est Pater hic,

hic,illiusque meritis vniuersæ regionis salutem niti crediderim. Opitulare igitur indigenti, & eleemosynam eroga summa iam rerum penuria laboranti. Nobilis itaque plurimos ei boues ac vaccas,& magnam panni copiam Patriarchæ trāsmisit, itaque tum suæ tum aliorum paupertati prospexit. Nec hic stetit Abyssini munificentia; sæpe enim postea maxima ei munera transmisit, nullam ab eo mercedem, aut, vt aiebat, eleemosynam, quàm preces postulans. cuius cùm mortem didicisset, manu faciem tegens, Patriarcha, inquit, mortuus est, væ igitur nobis: sine illo enim quid sumus? quasi suis ille precibus vniuersum regnum fulciret ac tueretur.

Liberalitas nobilis Abyssini.

Alius testatus est, se, etiamnum hæreticum, & triginta dierum itinere à Patriarcha distantem, secundum quietem vidisse, illum cum socio, & ab illis sibi potum in calice propinatum; quod ipse somnium postridie suis narrauit. Sed cùm biennio pòst negotiorum causa venisset ad opidum, vbi tum Patriarcha cum socio, quem in somnis ille viderat, Melchiore Fernandez, commorabatur,& vtrique in via occurrisset, agnouit ipsissimos esse, quos inter dormiendum ante biennium viderat: adijt, somnium narrauit,& vt se quæ fidei Catholicæ erant edocerent, orauit. Sanctæ petitioni acquieuerunt Patres, & in Ecclesiæ illum gremium admisere, à quo deinde non deflexit.

Somnium faustum.

Idem de se ipso narrauit, cùm in Turcarum manus incidisset,& fidem abiurare cogeretur, pileum se nocturnum Patriarchæ misisse, & per latorem illius significasse, illius se preces intercessionemque deposcere, quò Turcarum manus effugere posset, à quibus ad fidei abiurationē pelliceretur; porro cōfidere se certissimè, captiuitate breui

Miraculosa liberatio.

breui soluendum, modò Patriarcha suam apud Deum causam ageret. Vti etiam factum est, sed ratione admirabili: cum enim de nocte fugam mercator hic capesseret, sinum maris largissimũ, natandi ignarus, ingressus est, eumque nando traiecit: Dei siquidem auxilio fretus & de Patriarchæ precibus bene confidens, rem cum suscepisset, feliciter ad exitum perduxit; quamobrem suis iam restitutus, Patriarcham adijt ob tã singulare beneficium, quod illius sibi precibus collatum credebat, gratias acturus.

Eximius hic vir è vitæ huius ergastulo ad immortalem transijt, anno M.D.LXXIX. in septembri, mortis causam dedit lithiasis, quę semper grauissimè eum affligebat, sed quam sine vlla animi perturbatione pertulit. Hinc cum quodam tempore ab amicis visitaretur, quando acerbissimis torminibus angebatur, illique querulos eiulatus, quos dolores illi causabantur, audirent, viri fortem miserati, dicebant alter alteri, satius foret hac vita defunctum esse, quam huiusmodi diuexari cruciatibus. Sed generosus Christi athleta, dum sciret, quantum ad vitæ immortalis acquisitionem, momenti, mortalis huius dolores adferant, Nequaquam, inquit, charissimi; si quod enim hic Deo obsequium præstare queam,; diutius miseram & ærumnosam hanc vitam etiam in maioribus cruciatibus trahere paratus sum. A morte maior de illius sanctitate apud homines fuit opinio; adeò vt Abyssini, dum sollenne ac grauissimi momenti iuramentum præstandum est, tumulum illius iuraturi adeant, vti Europæi plurimi tacto S. Antonij brachio. Thus etiam sæpius ibidem adolent, frumentum & alia offerunt, eiusque precibus, quasi iam certò gloria æterna perfruentis se commendant. Augent hanc

Patriarchæ obitus.

populi fidem plurima, quæ illius intercessione sibi cælitus dari credunt beneficia. Plurimis namq; morbidis puluis sepulcro illius eductus sanitatem attulit: imprimis matronæ regio prognatæ stemmate; hæc enim cùm grauissimè ægrotaret, sepulchralis terræ paululum sibi afferri iussit, quã aquæ immistam postquam bibisset, sanitati est restituta. Puella etiam, grauiter ex pede laborans, vt omnis chirurgorum post acerbissimos cruciatus, irrita foret industria, vbi puluisculum hunc plagæ applicuisset, nullum amplius dolorem sensit. Quin & alij permulti hinc amissam sanitatem recuperarunt. Puerperæ quoque plurimę dum prę dolorum vehementia in mortis versarentur discrimine, & Patriarchæ opem exposcerent, aut aquæ immistum sepulchri illius pulnerem biberent, facilem sunt partum consecutæ.

Sepulchri illius terra morbidis medetur.

Puerperis quoque.

Iuratus quidam testimonio suo asseruit, se, dum in latere grauiter saucius, nulla sua arte (erat enim medicus) curari posse, audiuisse vocem in somnis dicentem: Cur tot malagmata & medicamenta vulneri tuo nequidquam adhibes? S. Patriarchæ sepulcrum adi, & sanitati breui restituêris. Somno excitatus, manè sine mora sepulcrum adijt, & pulnere sancto, singulari fide vulneri applicito, viribus est restitutus.

Vulneri item gratissimo.

Idem confirmauit, se, dum à rege euocatus, in Turcarum manus incidisset ab iisq; arci inclusus & cõpedibus constrictus, postridie palo destinaretur, dũ horribile hoc mortis genus exhorrescit, mortui Patriarchæ precibus se commendasse, quò illius patrocinio tã præsenti eriperetur periculo. Apparẽtẽ sibi de nocte Patriarchã clausis fenestris ac ianuis carceris, è terra se sustulisse dicẽdo, Baylu Georgi (erat hoc nomẽ vincto) noli metuere: non enim iam morieris. quo dicto mox ex oculis

euanuisse. Se verò spectro hoc ita recreatũ, vt iã se carcere liberatũ putaret, postridie verò à Turcis indemnem sine maleficio dimissum. Dixit insuper, se, dum ante lucem templum, in quo Patriarcha quiescit, orandi ergô peteret, & iam propiùs adesset, magnum internè splendorem conspexisse, visoq; perterritum, quàm citissimè domum rediijsse. Alio quoque tempore cùm ante auroram templum ingressus esset, cereum ardentem vidisse; & quòd nullus esset in templo, exstinguere conatum: sed subitò lumen illud, magno illius stupore euanuisse. Credebat tamen omnia hæc gloriæ, qua Patriarcha cælo receptus fruebatur, euidentissima esse argumenta. Hęc aliaque infinita de eximio hoc Dei famulo referuntur, quibus & sanctitatem illius manifestasse, & in illo glorificari voluisse videtur. Sed nonnulla iam de alijs Patribus referamus.

CAPVT XIX.

De reliquis qui Patriarcham in Aethiopiam secuti sunt Patribus, quidue ibidem & egerint & passi sint ad vsque obitum.

QVinque Andream Ouiedum Hierapolitanum Episcopum, ac deinde Aethiopiæ Patriarcham secuti sunt Patres è Soc. Iesu, Antonius Fernandezius, Gonsaluus Cardosus, Gualdanes, Emmanuel Fernandius, & Franciscus Lopezius: de quibus iam nonnulla referenda sunt. *Quinque Patriarchæ socii.*

Ceterum Antonius Fernandezius (prout Informationes testantur) tanta in egenos & ægros erat caritate, vt nocte & interdiu, iisdem tum quoad corpus tum quoad animum auxiliando, minimè defatigaretur. Prudentia valebat præterea, quam sancta temperabat simplicitas. *P. Antonii Fernãdii virtutes.*

Admi-

Admiranda illius patientia, cui profunda quædam accedebat humilitas, tantam animi pacem ac tranquillitatem afferebat, vt nullus finister eũ casus de statu mẽtis abriperet aut perturbaret. post Patriarchæ mortem ceteris præfuit, donec visum Deo, ærumnoso illum mundo educere, & cœlesti donare beatitudine; quem vniuersi Aethiopes tum viuentem tum mortuum, vt sanctum ac virum verè Apostolicum suspexêre.

P. Gonsalui Cardosi gesta & labores. Magna quoque de P. Gonsaluo Cardoso apud populum opinio fuit; ac virtutes eius vitæque sanctimoniam (vt testium depositione compertum est) non Catholici modò, verum & schismatici dilaudarunt. Noctes ac dies in errantibus ad Ecclesiæ caulem reducendis impendebat; laboribusq; varijs, ęrumnis, captiuitate, vinculis, rerum necessariarum penuria exercitus, magnam animi alacritatem præ se ferebat. singularẽ cũ omni hominũ genere conuersandi gratiam cælitus acceperat, ac præsertim dissentientes inter se conciliandi, vt vel vnico verbo peruicacium animos euincere, & suam in sententiam posset pertrahere. Paulò ante quàm necaretur, vt iamiam narrabimus, cum Dambeam oppidum quindecim dierum itinere à Fremona, in qua morabatur, remotum, à superiore vnà cum Francisco Lopezio, ad Catholicos loci visitandos, Sacramentaque administranda missus esset; spiritu, vt apparet prophetico, socio ait: Libenter quidem superioris iussis pareo, & quocumque me ille mittere decreuerit, non inuitus ibo, sed Dambeam non perueniam, neq; huc redibo. Quod euentus etiam monstrauit: Confecto enim dierum aliquot itinere Lopezio dixit, vitæ sibi dies paucos superesse: & ecce haud multò pòst ambo à latronibus comprehensi sunt, qui Cardoso interemto, Lopezio vulnera inflixere. P.Gu-

P. Gualdanes tanti animi sinceritate & candore fuit, vt illud Christi de Nathanaele pronuntiatum, *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est*; non immeritò huic adaptes: ceterum tanto in Abyssinorum conuersionem feruore & animi contentione ferebatur, vt quamprimũ atq; in Aethiopiã venisset, patrio idiomati perdiscẽdo gnauiter incubuerit; quinq; vt mẽsium spatio ipsum calluerit, & potissima fidei mysteria, & quæ tum ad Catholicorũ documenta, tum ad schismaticorũ reductionem conducere videbantur, Abyssino sermone reddiderit. Sed vitam sanctam feruentemq; mors haud ingloria secuta est. Ad Mazuam enim insulam in sinu Arabico sitam missus, in Turcarum copias incidit, qui pro immortali in Christianos odio violentas ilicò in eum ac Lusitanum viæ comitem manus iniecère, & hastis transfixère.

P. Gualdani virtutes. *Ioan. 1.* *A Turcis necatur.*

Emmanuel Fernandius tanto in Deum & proximi salutem amore ferebatur, vt in animarum salute procuranda nunquam defatigaretur, & difficiles sæpè ac longas profectiones Sacramenta Catholicis administraturus, susciperet. Nullum diu noctuque laborem, qui huc faceret, fugiebat; sed vltrò eumdem magna animi alacritate, subibat, vt solo vultu aspectuque afflictis solatium afferret. Prophetiæ donum imprimis ei elargitus est Deus; multa enim ventura prædixit; Qualia sunt quæ hic subnectimus. Hæreticus Monachus magnæ apud regem auctoritatis, eumdem induxerat, vt Abyssinos omnes, qui ad Catholicam vnionem redierãt, neci daret; è quorum numero cùm esset, qui hoc ipsum testatus est, metu perculsus, Emmanuelem Fernandium adiit, à quo audiuit, non esse quod timeret, Regem nullum Catholicis damnum irrogaturum, & Monachum ad bimestre non superfuturum. Euentus vterque respondit

Emmanuel Fernandius. *Dono prophetiæ à Deo donatus.* *Mortem prædicit suam.*

spondit prædictioni. Cum huic ipsi, qui hoc quod iam refertur asseruit, valediceret ad Patriarchæ habitaculũ profecturus, non est, inquit, quod discessus hic meus te cruciet, finis enim vitæ meæ iam instat; & illuc tendo, vt eidem quo Patriarcha tumulo includar. Nec fefellit euentus. Haud enim multò post quàm aduenit decessit è vita, & ad Patriarchæ latus sepultus est.

Alius item Catholicus testimonio confirmauit, se dum ægrum Patrem inuisit, interrogatum ab eo, quando festa futura essent natalitia, cumque respondisset, Dominica proxima, audiuisse ab eo, Atque hæcce dies est, quam auidissimè exspecto. Quæ cum venisset, Catholicos omnes ad sacra audienda conuocari iussit, quæ vbi & ipse audisset, omnes ad prandium dimissos quamprimum ad templum redire voluit. Rediêre, sed Patrẽ reperêre mortuũ. Paulò antè quam decederet, Franciscum Lopezium adstantem rogauit, vt quẽ cubiculi digito angulum mõstrabat, crucis signo signaret. Cũ se deinde in aliud latus reclinasset, voce magna inclamauit, ô sancta Domina, ô sancta Domina. & conuerso ad Lopezium sermone? vidi, inquit, iam Deiparam Virginem, adeò formosam ac splendentẽ, solus vt aspectus illius me mirificè recrearit. Quo dicto animam reddidit, quæ, vt fas est credere, eadem Virgine comitata, in cœleste euolauit habitaculum.

Ante mortem à Deipara visitatur.

Omnium Patriarchæ sociorum postremus in Aethiopia demoritur Franciscus Lopezius, anno MDXCVII, mense Maio. Post Patriarcham omnium habebatur sanctissimus, vt Lusitani qui ibidem commorabantur, & in Inquisitione testes rogati asseruêre. Omnium Patriarchæ laborum afflictionumque particeps ac socius exstitit: cum illo siquidem in exilium actus; aderat item cum

Franciscus Lopezius omnium postremus obiit.

flumen

flumen ſiccaretur,item dum regia caſtra ſternerentur. Paupertatis imprimis ſtudioſus erat, corpus quoque incredibili auſteritate pœnitentiaq; emacerabat, vt vix oſſa arida & exſucca tegeret pellis. in cibo ſumendo adeò parcus & abſtinens erat, vt quo naturæ ſatiſfaceret à ſuperioribus compellendus eſſet; hinc dicere ſolebat, vitam hanc nobis nonniſi ad laborandum, pœnitentiamque exercendam,conceſſam. Reliquis defunctis Patribus ſuperſtiti,omne ſimul onus, quod alij portarant,incubuit.In pauperes liberalis,in ſe parcus & tenax erat. quidquid namque accipiebat,in egenos diſtribuebat,nihil ſibi aut certè parum reſeruando. ſæpe quoque ſupellectilem domeſticam, cùm aliud ad dandum non ſuppeteret, erogabat. Catholicus quidam pauperiem illam viri miſeratus, ſtoream in qua cubaret, dono miſit; quam ille pauperibus mox dedit, ſuper duram membra dum mauult ſua, quàm inopes reclinare. Mendico ſtipem poſcenti, aliud ad manum dum non habet, fruſtum tunicæ quam indutus erat, præciſum dedit. In mulierem egenam defunctam cum incidiſſet,cui nihil quo inuolueretur, erat; induſium exuit ſuum, cui cadauer prout poterat inuoluit, quò honeſtiùs ac decentius ſepeliretur. Pallium iam detritum, in pauperes iam dudum erogauerat. quamobrem dum hibernis menſibus ad Catholicos & pauperes, quo illorum & ſpirituali & temporali neceſſitati ſuccurreret, proficiſcendum eſſet; ferina pelle quæ imbrem ac frigus arceret, corpus tegebat. Hinc, cùm tanta illius in miſeros eſſet liberalitas, nihil vt aſſeruare in ſuũ vſũ poſſet, in tanta rerũ omniũ penuria eſt mortuus,vt quo corpus inuolueretur, nullum omnino linteũ ſupereſſet; & in vniuerſa

Abſtinentia eiuſdem.

Benignitas in pauperes.

Paupertas.

eius

eius domo præter laceri detritique corij frustum, in quo dormiebat & defunctus est, reperiretur.

Nec sua modò, verum & seipsum totum egenis impendebat, dum ægrotantibus magno caritatis indicio adest, & ministrat. Hinc dum aliqui graueolenti ac contagioso morbo laborarāt, nullus vt adesse dignaretur, ipse trimestri aut amplius spatio illis obsequium haud inuitus impēdit, cibos porrexit, cubiculi sordes euerrit, linteamina aliasque vestes magno tùm Catholicorum, tū hæreticorū stupore eluit. Quo caritatis exemplo horum nonnulli ab hæresi ad veritatem conuersi sunt. Verbis enim exempla mouent efficacius.

Simili morbido dum adesset, è cuius purulēto corpore vermes magna copia erumpebant; Galli, de quibus antea facta mentio, promiscuis omnia cædibus miscentes, subito irruptione facta, aduolarunt. viso discrimine Lopezius, sublatum in humeros ægrum, donec Gallorum furor deferbuisset, in altissimum detulit montem; à præsentissimo eum mortis periculo liberans, quod crudelissimi sicarij nulli hominum parcerent. Hæc quidem caritatis, videamus iam editæ sanctitatis exempla.

Sanctitatis illius indicia. Testium nonnemo asseruit, audiuisse se è patre suo, Lopezij celebrantis vultum, dum ad populum conuersus, *Dominus vobiscum* diceret, solis instar rutilantem sæpius se vidisse; sed dum altari vultum obuerteret, fulgorem abijsse. Affirmauit item alius, è sacrificantis vultu tam rutilantes fulgoris prorupisse radios, vt oculorum acies ad intuitum conniueret: ac visum sibi, capillos eius filamentorum aureorū ritu emicuisse; iam sacris vero peractis ad pristinum illos candorem rediisse, totus siquidem iam canebat. His alijsque argumentis de sanctitate illius magnam indigenæ

genæ opinionem concepêre, vt in repentinis angustiis & damnis ad illum velut ad asylum confugerent, Diuinam vt opem precibus exposceret. Et sæpe non frustrà. Sementem vastauit bruchorum pestis, opis petendæ gratia ad illum confugerunt coloni. Catholicis dum aquam, qua agros respergerent, dedisset, flagellum auertit Deus, & læta fuit sementis ac messis. Duobus ante obitum annis in grauissimum incidit morbum, è quo dum Catholici vererentur, ne moreretur (illo namq; mortuo, Patre se & Pastore & Sacerdote, & omni humano auxilio suis in necessitatibus videbant orbandos) quotidie pro illius incolumitate Deum oraturi templum adibant. Exaudiuit anxij gregis preces Pastorum Pastor Christus, & Lopesium sanitati restituit; qua recuperata, templum sacra celebraturus adiit, atque insignem coram omnibus exhortationem habuit, quæ incredibili illos gaudio ac solatio perfudit. Inter cætera dies peregrinationis suæ iam quidem ait completos, sed visum Deo precibus illorum inducto, duos vitæ annos adiicere; nec respuere se, quò illorum interim posset saluti consulere. Et sanè non nisi biennio superuixit, maiorique interea quàm priùs feruore ac contentione rem Christianam promouit. Octiduo priusquam vitâ decederet, plurimis Catholicorum septimana elapsa se moriturum prædixit, quos, ne morte sua nimiopere cruciarentur, rogauit: ante annũ siquidem, alium Pastorẽ adfuturum, & diuinum interim auxiliũ non defuturũ. Vt prædicta sic & facta; sequenti namq; hebdomada laborũ præmiũ percepturus cælos petiuit, Anno salutis M.D.XCVII. mense Maio, & anno exspirante in Abasſiã Sacerdos ille Goanus, Melchior Siluius appulit. Atq; hęc quidẽ hactenus ex Informationib. in Aethiopia institutis, & Goã

Duos vitæ Deus annos addidit.

Melchior Carneus Goæ mansit quid ibidẽ egerit.

S ab eodem

ab eodem Sacerdote, vti dictum, delatis deprompta sunt.

Addere hic visum nonnulla de Melchiore Camerio Episcopo Niceno, qui, Pontificio præscripto, Andreæ Ouiedo in Patriarchatu Aethiopico successerat. Detinuerat hunc Goæ Ioannes Nonnius primus Patriarcha; vbi interea dum feliciorem prosperioremque rerum Aethiopicarum statum exspectat, in Goano Collegio, velut priuatus, & in ordinem redactus sine vlla à reliquis religionis operibus exemptione, vixit; in Christianos Thomæos, in Cocino & Coulano commorantes, è consuetudine Societatis, interdum excurrens: cumque Nestorianum Pseudoepiscopum, praua doctrina populorum animos vt inficeret, eò aduenisse comperisset, cum P. Gonsaluo Rodericio eôdem perrexit, & certamen cùm hæretico captauit, quo illum peruersitatis conuincerêt: sed filius tenebrarum, ac lucifuga congressum declinauit, nec in publico comparuit. Populo tamen eius versutias & imposturas detexerunt, vt auctoritate excidens Cocino discesserit, & clanculò montes, in quibus permulti Christiani Thomæi commorabantur, petierit. hic ille dogmatum prauorum zizania spargere, & ignorantibus sincerisque Christianis imponere: quo comperto ilico huc aduolant Patres, & errorem aperiunt: Sed ad horum aduentum confestim se subduxit, nec postea ibidem comparuit. Noctua illa ac tenebrione fugato, Melchior Camerius Cocinum reuersus præsens vitæ discrimen adiit. Necem illi siquidem coniurati parabant, à quibus in caput in publicum cum socio prodientis, directa sagitta, sed decusso ac perforato dumtaxat pileo, sospes pertransiit. Creditum est à Nestoriani im-

Zelus e-ius.

In vita versatur periculo.

ni impoſtoris fautoribus, ægrè ferentibus Apoſtolum ſuum tam indignis fugatum modis, haſce ſtructas inſidias. His alijſque dum vacat, Breue Apoſtolicum ab vrbe transmiſſum, in eamdem omnino ſententiam, ac prius ad Andream Ouiedum deſtinatum; quo in Iaponem tranſiret, ibidemque Epiſcopi partes ageret; cùm Ouiedus Aethiopia egredi non poſſet Goa ergo ſoluens in Chinam abit; ibi ad Amacanũ emporium, certis de cauſis hæſit, & Epiſcopi munere functus, Luſitanos ibidem commorantes verbo & exemplo in viam ſalutis reduxit. In Iaponem itaque dum vela parat à Deo laborum præteritorum & iam inſtantium præmia accepturus, in cælum euocatur. Hic felix trium Aethiopiæ Patriarcharum ſociorumque finis. Diſpiciamus iam quid à morte illorum in Abyſſinæ gentis ſalutem conſeruationemque præſtitum ſit.

Antequam in Iaponem traiiceret, in China moritur.

CAPVT XX.

Antonius de Monteſerrato & Petrus Paezius Soc. Ieſu Aethiopiam traijcere dum parant, à Turcis comprehenduntur, ac poſt diuturnam captiuitatem tandem rediмuntur.

LVſitani inquilini & Aethiopes indigenæ cùm Patres Emmanuelem Fernandium & Franciſcum Lopezium (qui omnium poſtremi in Aethiopia deceſſerunt) iam in ſenium vergere & fractos laboribus cernerent; ne, his morientibus, paſtore & omni ſpirituali auxilio penitus deſtituerētur, quod præter illos nulli ſacerdotes Catholici ad manũ eſsēt, alteriuſq; habendi ſpes vix vlla affulgeret; anno ſalutis M.D.LXXXVIII.

Indiæ Prætori, & Prouinciali Soc. Iesu, in quo versarentur periculo, ne breui Pastore, qui Sacramenta administraret, ac salutis commoneret, destituerentur, perscripsere.

Obsecrare se proinde quàm maximè, vt, quoniam Patrum superiorum operâ diligentiaque in fide Catholica firmi constantesque permanserant, & in rebus ad animæ salutem spectantibus fidos illos ministros experti erant; aliquos qui in illorum locum succederent in Aethiopiam transmitterent. Hac super re cùm Patribus Goanis Prætor egit, qui rei Christianæ promouendæ percupidi, quamuis dura & difficilis esset prouincia, suam Catholicis Abyssinis & opem & operam addixere: designati in hãc messem Antonius de Monteserrato & Petrus Paezius, qui Goa postridie Kal. Februarias anno humanæ redemptionis vndenonagesimo supra sesquimillesimum soluentes, Dium petiuere, vt inde rectà in Aethiopiam nauigarent. Cùm Diensem portum iam in conspectu haberent, grauissima exorta de nocte tempestas, nauem impetit; accedebat vehemens imber, ventorum & tonitruum fragores & fulmina, vt in portu se facturos metuerent naufragium. Sed qui ventorum habenas moderatur Deus, tempestatem sedauit; factaque sub auroram aëris serenitate, vento fauente, eadem die sub vesperâ Dium appulere. Ne quod in itinere discrimen si cognoscerentur subirent, veste mutata Armeniorum habitum assumpsere, quod Turcis, qui emporia, quibus in Aethiopiam patet aditus, occupant, minus hic suspectus sit. Apud Lusitanum hic diuertunt, qui de naue, quæ Suaquenum (vrbs est in sinu Erythræo Aethiopiam respiciens) peteret, illis prouideret. Prodibat interdum in publicum Petrus Paezius, vt quæ ad iter necessaria videban-

PP. Antonius de Monteserrato & Petrus Paezius in Aethiopiam mittuntur.

Dium appellunt & Armenia veste se induunt.

bantur compararet; quòd verò Armeno vestitus esset schemate, pueri plateatim (quod Armenios canepeius & angue oderint) saxis eum impetebant, vt vix caput subduceret. Triginta circiter diebus Dij hæserunt, quòd Turcæ, qui in Aethiopiam illos ducturos se spoponderant, quòd forte rem subolfacerent, in nauim illos admittere recusarent. Hac spe Patres cùm excidissent, Armuziam petere decreuerunt, vt inde Bassoram rectà pergerent, atque hinc in comitatu, qui circa Septembrem Aleppum petere quotannis solet, proficiscerentur.

Armuzia cùm iam discedere pararent, redditæ illis litteræ præfecti Mascatensis (locus est Arabiæ felicis, in quo prinsquam Armuziam appellerent, in ancoris steterant) cui vtpote Lusitano, Aethiopicæ profectionis consilium detexerant. Nuntiabat hic, Mascati se nauarchum Turcam reperisse, qui menstruo spatio in Aethiopiam illos traiiceret; & prout cursum suum describebat, facilis & commoda videbatur profectio. Nec mora, Mascatum retrò repetunt, ambo hic morbo conflictati, Deo iuuante breui sanitatem recuperarunt vt in Natalitiorum vigilia nauem conscenderint. Felici nauigatione Arabiæ felicis oram per octiduum dum legerent, Kal. Ianuariis anni sequentis, fœdissima tempestas exorta, malum & clauum excussit, & nonnisi summa contentione nauem laceram, scaphis piscatorijs vecti ad littus traxerunt. Quod verò mali resarciendi nulla hic esset oportunitas, aliud emporium in eadem ora octo ad Occidentem leucis, quod Curiam Muriam dicunt, petere coacti sunt. At nec hic nauem compingere suam potuerunt: vt vnicam, quæ hoc in portu stabat nauis, profectioni adaptare coacti sint.

Tempestate iactantur.

Quod verò domini nauis, hacce nonnisi à suis vectoribus duci vellent, priores nautas, à quibus huc vsque vecti erant, relinquere sunt coacti. Veriti tamen ne, quod ab illis detecti, periculum incurrerent, nauarchum à quo mensis spatio in Aethiopiam vehendi erant, rogarunt, suis vt nauicularijs inhiberet, ne nonnisi aliquot à discessu illorum diebus Curia Muria discederent, ante illos vt ad Dofarense emporium venirent. Nauarchus vetuit quidem, sed frustra. nautæ enim, quòd huic nauigationi assueti, compendia nossent viarum, antè Dofarem appulsi sunt quàm Nauarchus cum Patribus.

Indicant interim magistratui, quales sint, & quam ob causam in Aethiopiam Patres proficiscerentur: quare præmissis duobus nauigijs Saracenicis, priusquam portum subirent, iter illorum intercepere, de illorum aduentu etiam prius ab Arabibus Mascati commorantibus certiores facti. Capti itaque anno MDXC. Dofarem perducuntur (vrbs est in Arabiæ felicis ora quà Oceano alluitur, paulò trans Curiam Muriam sita.) Quinque hic diebus carceri inclusi; cumque vix necessaria ad vitam trahendam præberentur, ad regem quinque & viginti dierum itinere inde distantem, perducuntur. Quas hoc itinere ærumnas perpessi sint dici vix potest: camelos ductorum suorum ipsi pedes sequi, & sæpe per spinosa ac carduosa nudipedes incedere cogebantur. hinc, accedente victus penuria, fracti viribus & fatiscentes progredi vlteriùs non potuere. Quare camelis vnà cum sarcinulis impositi, decem diebus per deserta & inuia loca, nullo vbi reficerentur occurrente pago, nedum opido profecti sunt. Arabes, à quibus ducebantur diem sole, & noctem

Capti ad regem perducuntur.

ctem stellis metiebantur; aqua putiscens, quam fossulis & lacunis per viā occurrētibus educebāt, erat potus: meridie camelos adaquaturi, ac locustas vel gryllos, quibus Arabia abundat, captaturi si bsistebant, quos dein tostos, velut lectissima fercula comedebāt, sed captiuis, fame licet propemodum confectis, cibus hic planè desipiebat; quare tortula subcineritia, quam subministrabant Arabes ductores, vitam trahebant. Tandem Tarinum, populosum ac frequens opidum delati; ciues hic turmatim nouos captiuos visuri egressi, varijs eos contumelijs & iniurijs affecerunt, vt & faciem illorum conspuere veriti non sint. Aequo animo ferebant insignem hanc contumeliam Patres, nec os in maledicta aut querimonias, sed Dei laudes laxantes, intrinsecus gaudebant, quòd digni essent habiti, pro Christi nomine ærumnas & aduersa pati; magis de animarum, quas Tyrannico dæmon premebat iugo, cæcitate, quàm de captiuitate, & iniurijs soliciti. Tarino profecti, eandem molestiam & calamitatem per viam experti sunt, quam priùs; donec Einanem, vbi Sultanus Ama, Mahometanus tyrannus regiam habebat, ac quem ductores regem agnoscebant, peruentum.

Quas in via possi calamitates.

Einanem ad regem ducuntur.

De aduentu illorum rex quamprimum factus certior, angustæ eos custodiæ, in arcis in qua commorabatur muro, eos includi, ac postridie partem vestium ablatarum illis reddi iubet, quo decentiùs coram se comparerent: sola quippe interula & calceis lineis hactenus induti, & frigus nocturnum, & calores diurnos, qui hic vehementes & intensi, tolerarunt.

Poſtridiè itaque quàm aduenissent,in arcem ad regem in feneſtra aulæo inſtrata,ſedentem,ac ſatellitio copioſo circumdatum,deducuntur. Sedētis dextram Patres pro more patriæ oſculati, ſeruorum & captiuorum ritu. Terræ inſidere iuſſi, vti hic mos obtinet, qui qualeſve eſſent, interrogantur; vnde venirent,cur in Aethiopiam tenderent. Prout expedire in hac neceſſitate iudicabāt captiui,reſponderunt,ne ſe proderent,& mentiti fuiſſe deprehenderentur: rogarunt poſtremò regem,vt libellos quos in ſolamē ſuum adduxerāt, reddi iuberet; inter quos erant Breuiaria, quibus ad recitandas horas vtebantur. Non reſpondit ad poſtulata rex,ſed ad cuſtodiam reduci imperat;& haud multò,quos petierant libros,reddi,ſuis itē, vt ſedulam illorum rationem haberent,& neceſſaria affatim ſubminiſtrarent,iniūxit. Sed perfidi ſatellites regis imperium eludentes,nonniſi fruſtulum panis indies præbebant, adeoque mucidi & inſipidi,vt vix ab extrema fame preſſis comedi potuerit. Quadrimeſtri ſpatio hiſce loci anguſtiis detenti, ſummam inopiam & miſeriam experti ſunt.

Regis moritur filia eiuſque funus.

Regis interim filia, vita decedit,cuius ad exequias plurimæ vndequaque mulieres Mahometicæ conuolarunt; quæ caput puluere opplentes querulis aërem vocibus ac lamentis fatigabant; quæ importuno & incondito clamore dum regis aures obtunderent, regia pelluntur; ſed ad aliam vrbis partem commigrantes octo ipſis diebus ſuas ſunt proſecutæ nænias. Multa dum in pauperes & captiuos erogabant Saraceni, quibus, dum pretioſum ſe dare credunt ferculum, camelinam miſère carnem aqua coctam, ſine ſale & condimentis vllis.

Paucis pòſt diebus Baſſa quidam Imperatoris

Turca-

Turcarum,cui regulus hic tributarius eſt, captiuos Dofare adductos ab ipſo petijt: renuit initio rex, ſed quòd alter potentia ſuperaret & viribus, minis compulſus,dum ſibi regnoq́ue metuit, eoſdem tradidit. Videbatur haud alienus ab ijs regis huius animus; vtpote qui, dum à conſpectu ſuo recederent, vocato ad ſe vno è lictoribus, cibum potumque abundè eis præberi iuſſerat; quod ipſos nihil videret expoſcere. Quindecim dierum iter emenſi, tandem Canam peruenerunt; cuius præfectus cum aliquot equitibus vrbe egreſſus, ad Baſſam illos, feſto tympanorum ſonitu perſtrepente,quaſi bello capti forent,perduxit. Baſſæ honorem exhibuêre,ſed ille vice verſa duriùs *Baſſa captiuos abducit.* loqui, exploratores dicere,& mortem minitari. Negarunt exploratum ſe veniſſe, nullamque huiuſce ſuſpicionis occaſionem cuiquam dediſſe. Ad iudicem deinde loci perduci eos iuſſit, vt ab hoc exactiùs examinati, quales eſſent, patefacerent. Agniti hic ab Indo quodam Chriſtianæ Religionis deſertore, qui illos Sacerdotes & religioſos eſſe aſſeruit. Quamobrem arctiori cuſtodiæ *In carcerem truduntur, quo alii Chriſtiani detinebantur.* incluſi ſunt, in qua 30. Chriſtiani, pars Luſitani, pars Indi, iam à quadriennio captiui detinebãtur, itaq; poſt diuturnæ captiuitatis moleſtias,& varias ærumnas confecti erant, parum vt abeſſet,quin omnes pertæſi laborum, eiurata fide ad profana Turcarum ſacra tranſirent; vti iam nonnulli calamitate, qua premebãtur, exſtimulatrice tranſierant. Patres dum oportunè ſe ad Chriſtianos *Diuinæ prouidentiæ argumentum.* hoſce recreandos,& ad laborum tolerantiam animandos, huc adductos cernerent, poſt ſingulares diuinæ bonitati gratias actas, eius erga ſuos prouidentiam ac tutelam agnouerunt,qui occulta & incognita hominibus via ſalutis nouit præbere remedia. Manum ergo admouent operi, &

omnes ad peccatorum confessionem peragendam perducere conati sunt, quò laborum miseriarumque tolerantia meritum pareret. Tam efficacia porro illorũ apud vniuersos fuêre monita, vt omnes criminum exomologesin fecerint; nonnulli quoque illorum, qui, quòd fidem iam eiurarant in libertatem asserti erant, ad eamdem, abiurata impietate, redierunt; qui deinde clanculo ad Christianorum se vrbes recepêre: quorum quatuor tandem Goam appulsi, duorum sacerdotum captiuitatẽ nunciarunt. Ceterum viso captiuitatẽ suam diuturnam fore, exstructo in carcere oratorio, omnes, antequam ad opus exirent, simul orationi mane quotidie incumbebant; vespere verò labore exacto, Sanctorum recitabant Litanias. Dum verò ab opere vacarent, exhortabantur eos Patres, & diuinis de rebus cõciones habebant; in Sanctorum itẽ solemnibus, sacra sed, vt vocant, arida, celebrabant, vt qui calice, altari, sacroque vestium apparatu carerent.

Goam de illorum capiiuitate nuntius affertur.

Alijs porro captiuis, compede constrictis, ad opus quotidie exeuntibus, inter quos erat & Petrus Paezius; Antonius de Monteserrato, quòd senio grauis esset, in carcere manebat, & quidem solutus vinculis. Ne verò interea nihil ageret, Arabicum idioma, Arabum qui simul captiui detinebatur opera perdidicit, vt breui & legendi & scribendi artem calluerit: quæ ad redemptionem non parum momenti attulit, quæ haud multo pòst hunc in modum contigit. Bassæ vxor, audito Religiosos hosce captiuos, singulari esse modestiæ & vitæ sanctimonia, singulari illorum videndorum ardebat desiderio: hinc seruo imperauit, vt in hortum illos educeret, quò filio paruulo in horto ludenti velificarentur. Puero gratificantes bonã diei partem in horto consumpsere, oculos interea

terea ad fenestras curiosè non conuertentes, neu huc illuc vegirantes. Bassæ vxor, cùm oculos interim ab eis non deflexisset, singulari hac modestia morumque sanctitate ita fuit recreata, vt omni studio in libertatem illorum incumbere decreuerit.

Bassæ vxor videre illos desiderat.

Quocirca seruum, à quo in hortum deducti erant, exstimulat, vt illorum nomine libellum concinnaret, quem se præsente filiolus patri Bassæ offerret. libellum ex voto dominæ confectum, filiolus patri, adstante matre obtulit: arrepta occasione marito illa supplicat, Religiosos vt in libertatem assereret. Ille vxoris ac filioli supplicatione permotus, vinculis illos soluit, & Hierosolymam prima oportunitate in Turcæ alicuius comitatu transmissurum se spopondit. Capitis enim & nouæ captiuitatis discrimen adijssent, nî Turca comes accessisset; denique omnia ad iter necessaria liberalissimè daturum. Tam felicem rerum successum Patres dum cernerent, iam libertati se restitutos credebant, at, vt iudicia Dei abyssus multa & incomprehensibilia, in momento omnia immutata sunt. Allatæ namque sunt interim litteræ Mombaza, quibus quanti Goæ fierent Patres, quos captiuos Bassa tenebat, nuntiatum est, simulque ingentem in illorum redemptionem pecuniæ vim mittendam, si aliquot eos diebus detineret. Nuntius hic Bassæ animum mutauit, carcerisque custodi, vt viginti aureorum millia in redemptionem exigeret, edixit.

Liberationem illorum obtinet.

Nil præter Christianorum eleemosynas habere se in mundo responderunt Patres, nec fas esse polliceri, quæ dare reipsa non possent. Dum cautè & vafrè eos Bassa putat agere, quo sine lytro soluerentur, iterum carceri

Iterum custodiæ traduntur.

ceri includit, & duos dumtaxat in diem panes, eosque exiguos, illis dari præcipit. credebat nempe hac illos via facilius lytrum persoluturos. Appulit huc interim alius Bassa Hispali in Hispania natus, sed à puero à Turcis captus & auectus; hic cùm de captiuis fando nonnihil inaudisset, summo illos studio liberare, & secum in Aethiopiam, quò tendebat, ducere contendebat. Sed cùm ad exitum res deduceretur, prioris Bassæ phylacista iterum de persoluendo lytro cum illis cœpit agere, ac perpetuum, ni quinque aureorum persoluerent millia, illis est carcerem minatus. Extorquere ergò inhumanitate feritateque aurum conatus, vtrique compedes iniecit, collum durissimo vinciuit ferro, cui catenam insertam trunco alligauit, adeo quidem breuem, vt caput sustollere cum non valerent, curuatum semper in terram propenderet. Hisce itaque vinculis grauati, in angustissimam ac teterrimam coarctati sunt custodiam, adeo quidem humilem vt sedentes etiam capite tectum tangerent. Antonio verò Monteserrato, quòd senio grauatus, laboribus tolerandis impar esset, collare abstulere ferreum, sed pedes grauioribus vinxere compedibus. Quindecim hoc in carcere detenti sunt dies, magna cùm ærumna & angustia. Turcæ itaque cùm nullum offerri ab ipsis redemptionis cernerent pretium, ad emporium, quò Indicæ naues interdum appellunt, interim illos duxere, sperantes ab aduenis redimẽdos. Sed frustra. nullus enim redimere voluit aut pretium obtulit. Cum hac se spe excidisse, & Indicas naues iam re infecta discessisse Saraceni viderent, triremi illos, quò cum ceteris remigibus remos agitarent imposuere. Vix triduo remigem egerant, cùm ecce fulmine triremis tacta malum amisit, sine vlla tamen

In triremi remigare coguntur.

tamen hominum iniuria. Siniſtrum hoc augurium credebatur, adeò quidem vt Baſſæ vxor hac Mecham triremi, hanc tamen in profectionem adornata, vehi noluerit. Patres tamen noſtri bimeſtri & amplius remos agitantes, adeò miſerè & indignè ſunt habiti, vt Monteſerratus in grauiſſimum morbum inciderit; hinc ambo in terram expoſiti, ne fortè laboribus confecti, exſpirarent. Interim ex India appulere qui perſolutis phylaciſtæ mille aureis illos redemerunt. Libertati itaque ad finem Auguſti anno M.D.XCVI. aſſerti, menſe Decembri Goam appulêre.

Redempti ſunt mille ſcutatis.

CAPVT XXI.

P. Abrahamus de Georgijs Maronita in Aethiopiam profecturus, à Turcis in inſula Mazua intermitur; poſt quem non multò pòſt Sacerdos Goanus in Aethiopiam traijcit, & inſignem fructum edit.

Optato cùm ſucceſſu ſuperiorum Patrũ caruiſſet profectio, alios binos in Aethiopiæ mittere meſſem placuit, qui & Luſitanis & Catholicis indigenis auxiliarentur: quod enim hinc in medio Saracenorum, illinc inter Schiſmaticos & Abyſſinos agerent, metuendum erat, ne à veræ fidei tramite deuiarent, ſi paſtore, à quo officij commonefierent, diutius deſtituerentur. Et ſanè metuebat hoc ipſum optimus quiſque etiam viuente in Aethiopia P. Franciſco Lopezio, qui ſolus ex omnibus Ouiedi Patriarchæ comitibus ſuperſtes erat. præterquam enim quòd ætate grauis eſſet, vt qui ſeptuageſimum iam annum exceſſiſſet, adeò laboribus & afflictionibus præ-

teritis

teritis exhaustus erat, vt haud diuturnam sibi vitam futurā crederet; tum etiam ita fractus ac debilitatus viribus, vt omnium Catholicorum qui sparsim huc illucque, etiam aliquot dierum itinere à se inuicem disiuncti, commorabantur, necessitatibus adesse vix valeret. Visum est itaque alium è Societate Iesu operatorem seligere, qui oneri succederet. Coniecti omnium oculi ac propensio in Abrahamum Georgium, aut de Georgijs, Maronitam genere; qui Roma in Indiam missus, Christianos Thomæos, quos in montibus commorari libro secundo diximus, tum gnauiter excolebat. Syriacam enim & Arabicā linguā percallebat, idoneus propterea Aethiopicæ missioni Prouincialis sententiā, iudicatus est, quod duplicis huius idiomatis adminiculo facilius habitum missionemque mentiri posset. Goam ergo confestim euocatur, & socius illi datur Iacobus Gonsaluius Lusitanus, eiusdem Soc. Sacerdos. Anno integro in Domo Professa Goana, clam ciuibus & sociorum plurimis commorabantur: consultò quippe res tegebatur, ne Saraceni qui Goæ habitabant, alijs Aethiopiam oram seruantibus, ne quis Christianus, aut saltem Latinus irrepat, aduentum illorum perscriberent.

P. Abrahamus de Georgiis in Aethiopiam mittitur.

Profectionis igitur tempus cùm instaret, Prætor, qui in Aethiopiam illos perducendi curam in se susceperat, cum Saraceno quodam præfecto nauali Goæ tum negotianti, pactus est, vt duos Armenios (Patres nostros intelligebat, qui Armenorum vestem assumerent,) in Mażuam insulam haud procul ab ora Aethiopica in sinu Arabico sitam, ac tridui tantum itinere ab vrbe, in quā Lopezius tum agebat distantem, perduceret. Sed rè postea maturiùs discussa & examinata, Prætori & supe-

superioribus Soc. visum est; solum Abrahamum hoc tempore mittere, vnà cum puero ex Aethiopia oriundo, Goani Collegij cui à S. Paulo nomen, alumno; quòd hanc & tutiorem & commodiorem Aethiopiam intrandi rationem censerent, & ambo linguæ patriæ gnari essent. Iacobus ergo Gonsaluius Goæ, aliam occasionem exspectans remansit. Nauis præfectus, omnibus ad iter necessarijs iam comparatis, Proregem profectionis certiorē reddidit, vt quos Mazuam deduci vellet, destinaret. Abrahamum prætor priusquam nauem conscenderet, suum in conspectum venire voluit, vtque res occultiùs ageretur, de nocte illum in regiam admittere. Ibat vna cum puero Abrahamus, nemo rei conscius erat præter Prætoris Secretarium, qui ad ianuam illum opperiebatur. Eam indutus erat vestem, quam in itinere deferre debebat; Armenum vestis, barba oblonga & pileus Armenus arguebat. Lacrymis obortis & alto pectore ducens suspiria, Prætor virum amplexatus, Hæ sunt, inquit, artes & technæ, quibus animas Deo parere solet Societas, suos in earum salutem, periculis & morti exponens filios. Multis vltro citroque habitis sermonibus, Prætori qui insignem in illum animum & affectum ostendebat Abrahamus valedicit, inde P. Prouincialem ceterosque Socios qui in Collegio S. Pauli commorabantur magno affectu singillatim amplexatus, lacrymas omnibus quasi supremum ei vale dicerent præsagientibus, excussit. Cùm iam nauem conscendendi tempus aduenisse nuntiatum est, media nocte in viam se dedit, Anno salutis nonagesimo quinto supra millesimum quingentesimum, mense Ianuario.

Armenica veste induitur.

Prætori Indiæ & Patribus valedicit.

Post

Mazuam appellit. Post varias tempestates & maris pericula, quæ nauigatio hæc habere vt plurimùm solet, sospites & incolumes Mazuam, quæ Saracenico tenebatur præsidio, peruenere. A nemine hactenus Abrahamus cognitus fuit, adeò vt ab insulæ præfecto in Aethiopiam intrandi, quasi merces suas diuenditurus, potestas illi facta sit. Feliciter satis negotium illius hactenus successerat, vt vix duarum horarum spatio ab Aethiopia distaret. At supremus ille mundi rector, à cuius arbitrio & nutu omnia vitæ nostræ momenta dependent, & cuius in manibus sortes sunt nostræ, aliter disposuit, & Martyrij illum, antequam loco discederet, donare voluit laureola. Hunc in modum res contigit. Interim dum Abrahamus liberæ profectionis litteras procurat, puer Abyssinus, quem in diuersorio ad sarcinas reliquerat, longiorem Patris moram pertæsus, fame stimulante, edere cœpit. Erat tum dies, rigido Saracenorum ieiunio venerabilis; suum enim tum Ramadanum (ita ieiunium nuncupant, quo religiose admodũ ante noctem nihil penitus degustant) seruabant. *Ramadã ieiunium Saracenorum.* Viso itaque puerum cibum ante præstitutum tempus, quasi secum in ieiunio dispensaret, sumere; quis esset & vndenam, sciscitantur. Qui minis & flagellis coactus, Christianum se & dominum cõfessus est. Significatum hoc arcis præfecto, à quo proficiscendi iam facultatem Abrahamus obtinuerat; sed ad nuntium hunc eamdem negauit, & carceri inclusit. Postridie illum ad se vocatum in magna Mahometanorum corona interrogat, cuias esset? Armenum se confessus est Aleppo, vti reuera erat, oriundum. Ad hæc, Christianus num esset an Mahometanus? si enim inquit, Mahometanus es, in Aethiopiam vel quocunque lubuerit tibi iamiam facultatem concedam. *Agnoscitur & Christianum se esse confessus est.*

Chri-

Christianum se Abrahamus esse non negauit. Tum Præfectus, in Mahometum igitur quamprimum credas necesse est, & verba hæc in illius testimonium pronunties, *La i la, i la, Mahomet treen laca*, Quæ Arabicè sonant, Alius non est Deus, quã Deus & Mahometus illius Apostolus. Constanti Abrahamus vultu & imperterrito Christianum se liberè professus est, ac millies se malle vitam ac sanguinem profundere, quàm sacrilegis hisce verbis aliquem Mahometo honorem deferre, suamque fidem deserere. Offendit præfectum constans viri libertas, manuque ensi admota, caput Abrahami ferit, quem deinde adstantes secuti innocentem obtruncant. Ita res initio narrata fuit; sed postea Catholici cuiusdam Abyssini, qui tum Mazuæ erat, relatione ac testimonio compertum est, vti Sacerdotis Goani, de quo supra mentio facta est, docẽt informationes, hoc illam pacto contigisse. Turcarum præfectum sciscitatum, num Christianam religionem, an Mahometanam superstitionem profiteretur, cùm Christianam prefiteri didicisset; cur in Aethiopiam traijcere vellet, postulasse. Respondisse Abrahamum, se gentis illius ad veram Christi fidem traducendæ causa eòdem profectionem adornasse. Tum præfectum humanitate eum ac promissis inducere ad Mahometanismum conatum, sarcinas quas abstulerat, ei se redditurum & quocumq; luberet abeundi facultatem concessurum, esse pollicitum; si verò hac in insula remanere decreuisset, honoribus eum quàm amplissimis condecoraturum. Sarcinarum se iacturam nihili facere ait Abrahamus, & Mahometicæ legi se nolle subscribere, quòd ne obolo quidem digna videretur. Saracenus hisce verbis irratus, turri cuidam arcis includi iussit; ac elapsis aliquot die-

Occiditur ob fidei constantiam.

Aliter mors eius narrata.

Illius cõstantia.

bus iterum ad se euocat; quodque carceris afflictionibus fractum eum daturum manus crederet, denuo vt Mahometanis accederet, vrgere, quoque induceret facilius, promissis eum flectere & inducere cœpit. At cùm hisce minimè illum flecti cerneret, verba illa superiora pronuntiare iussit, vt aliquem Mahometo cultum deferret; sin minus, capite lueret. sed cùm Abrahamus vitã se deponere malle dixisset, publicè decollatus est. Porro quamuis testis, qui hoc testimonio suo confirmauit, morti non interfuerit, ne forte vt Catholicus agnosceretur; tamen audiuisse se à nonnullis qui adfuêre, carnificis ensem ad primum quem infligebat ictum, sine vlla Patris læsione, in frusta dissilijsse; Miratos Præfectum & circumstantes omnes; sed nihilo idcirco factos mitiores aut humaniores, alium poposcisse, quo cùm duos carnifex inflixisset ictus, rursus diffractum esse, tenui in ceruicibus percussionis dato vestigio: tandem & tertium allatum, quo caput præfectum mense Aprili, eo quo Goa soluit anno.

Duo enses quibus percussus est, franguntur.

Quadraginta post mortem diebus circa vesperam quotidie lumen quoddam, velut candelarum accensarum, circa tumulum illius apparuisse idem testis affirmauit, vt plurimi Saracenorum & alij hoc conspecturi, vrbe egrederentur. Alij lætum hoc omen, alij sinistrum esse augurabantur. Quid? annon inquiebant, sufficit, animam Cafris huius (ita per ludibrium & contumeliam Patrem nominabant) igne tartareo aduri; corpusne etiam hisce aduri flammis necesse est? Alij sanctitatis illius hoc esse argumentum dicebant.

Lumen visum circa illius sepulchrũ 40. diebus.

Eodem ipso quadraginta dierum spatio tres ingen-

ingentes circa tumulum volitarunt aues quales hactenus ibidem nemo viderat. Quid hæ demonstrarint, ignoratur, at arcis præfectū haud ita multo pòst, & omnes qui necis consilium dederant, quadragesimum intra diem exstinctos constat, vt informationes superiores declararunt. Erat porro Abrahamus hic virtutum omnium ornamentis insignis, & præsertim affectuum mortificationis & orationis. Omne quod vltra occupationes quotidianas supererat tempus, orationi alijsque pietatis dabat operibus. Ipse etiam nauarchus, cuius naue vehebatur, quamuis Mahometanus, virtutes illius, vti postea testatus est, magnopere mirabatur, quas notasse in itinere se asserebat, dum eadem, qua ille vteretur mensa, eadem etiam domo & cubiculo, donec in carcerem abriperetur. Narrabat hic inter alia, paulo illum prius quàm custodiæ traderetur, inter dormiendum tam intensa clamasse voce, vt nauarchus è somno excitatus strato surgens, quid rerum esset, exposceret. Somniasse se dicebat Abrahamus, ab alijs se interfici: adeò vt Dominus ad mortem imminentem illum disposuisse eamque præuenire voluisse videatur. Multo quoque tempore ad hanc se profectionem præuia pœnitentia & mortificatione præparauit, vt omnium sociorum in se oculos conuerteret.

Tres aues ingentes circumsecus volitarunt.

Somnium illius antè mortem.

Hunc in modum præparare animas illorum solet DEVS, quos tam inclyta donare decreuit laureola. Laborabant interim in Aethiopia Lusitani & Catholici indigenæ summa pastoris inopia; biennio enim post Abrahamum decessit P. Lopezius adeo vt nullus qui Sacramenta administraret, & afflictos consolaretur,

Sacerdos supereſſet. Accedebat ad hæc ſolicitã Turcarum, arces omnes oræ Aethiopicæ præſidijs ſuis firmantium, etiam poſt P. Abrahami necẽ, vigilantia, nullus vt Luſitanus in Abyſſiã penetrare, ſine præſentiſſimo mortis aut ſeruitutis periculo, poſſet. Per exploratores ſiquidẽ norunt, quis Aethiopiã adeat, vel inde recedat, Luſitanos imprimis excludentes; quod illorũ operâ & auxilijs factum ſit, quo minus in Turcarum poteſtatem vniuerſa Aethiopia redacta ſit: Prouinciali itaque Indiæ, quo in diſcrimine ſua verſaretur ſalus, perſcripſere; præmonuêre tamen, pro præſenti rerum ſtatu, fieri omninò non poſſe, vt aliquis Soc. Sacerdos in Aethiopiam penetret, niſi vel trucidari, vel in ſeruitutem abripi velit. At Sacerdotem Indum, linguæ patriæ gnarum nautico indutum habitu, ſine vllo diſcrimine tranſire forſitan poſſe. Litteras has Prouincialis Patribus primò legendas dedit, quorum plerique, nullum veriti diſcrimen, vltra ſe in expeditionem illam, quò miſellis animabus omni ſpirituali auxilio deſtitutis, ſuccurrerent, obtulêre: deinde Proregi & Archiepiſcopo Goano Alexio Meneſio Ord. Eremitarum S. Auguſtini; quibus Sociorum omnium eôdem proficiſcendi deſiderium expoſuit. Prætor & Archiepiſcopus nullum è Societate iam mittendum iudicarunt. Hæc tamen vltronea Sociorum ad diſcrimina ob Chriſti cauſam ſubeunda oblatio, Archiepiſcopo mirificè placuit, hinc cùm in Domo Profeſſa Sociorum exhortationem haberet, Zelum illorum in ſalute animarum procuranda quem oſtenderant, horum verborum occaſione, *hi ſequuntur agnum quocunque ierit*, inſigni elogio deprædicauit; Quæro, inquit, qui ſeruitute & morte contempta

Luſitanorum ſtatus in Aethiopia.

Apoc. 14.

in Ae-

in Aethiopiam tendere velit; & ecce proruptos ac paratos inuenio Societatis IESV Patres, &c. Quæritur ergo Sacerdos sæcularis, in India natus, qui Lusitanos & neophytos Aethiopas consoletur, simulque aditum rationemque exploret, quo pacto aliqui sociorum eòdem penetrarent.

Inuentus tandem est Melchior Siluius Goanus, vir & integerrimus & doctissimus, Collegij Societatis IESV Goæ alumnus, qui vltrò in hanc prouinciam nomen dedit. Franciscus Gamma, Comes de Vidigueira qui Indiæ tum regio nomine præerat, & totius maris tenebat imperium, tam felice successu gauisus, non modò omnia quæ ad iter erant necessaria, illi abundantissimè suppeditauit; verùm etiam, quò liberiùs ac securius iter susciperet, magnam pecuniæ vim ei dedit, qua æs alienum penitus dissolueret. rebus itaque suis Goæ compositis, & ære alieno dissoluto, Goâ anno M. D. XCVIII. soluens Dium deuenit, vbi nautico assumpto habitu, Mahometani cuiusdam nauem conscendit: qua tandem Mazuam, quæ ex opposito Arquici emporij, quod Aethiopiæ claustrum & ianua est, appulit. Huc cùm omnibus incognitus venisset, alijs se nautis Delecam adeuntibus comitem iunxit. incidit hic in Abyssinorum, antiquum Patriarchæ Ouiedi comitem, qui huc forte venerat, vti quotannis pro more habebat, vt siquæ ex India ad Lusitanos in Aethiopia commorantes, venissent litteræ, ad eosdem deferret. Sacerdotem hunc cum inuenisset, Lusitanos quamprimum certiores reddidit, qui summo studio, è discrimine illum in quo versabatur, quàm occultissimè eripuêre, & saluum ac sospitem Tigaram

Melchior Siluius Dium appellit nautico habitu.

Aethiopiam intrat.

Contra verò singulis quartis & sextis ferijs ieiunabant. Hac legis Mosaicæ & Græcæ consuetudine commistioneque factum, parum vt abfuerit, quin omnes à vera Catholicaque fide penitus degenerauerint. Hos itaque errores Sacerdos inprimis mentibus illorum euellere studuit, ac dein, quæ vera fides esset, quæque Catholica Romana Ecclesia seruanda præscriberet, edocuit. Præter alia Kalendarium Gregorianum, quod hactenus hic receptum non erat, & constitutiones Archiepiscopatus Goensis publicè in mores vsumq; Ecclesiasticum induxit. Omnium deinde confessiones excepit, & quas Patriarcha alijque Soc. Patres induxerant consuetudines, iterum renouauit. Quod verò Catholici ac Lusitani in tria opida à se inuicem non parū dissita, essent distributi, alij enim Tigaræ, alij Dambeæ, quę imperij Abyssini sedes, postremi Daij commorabantur; opus erat, quo omnes instrueret ac visitaret, inque rebus ad salutem spectantibus iuuaret, ex vno opido in aliud, illum proficisci, ac per interualla lustrare, quod non sine magna fiebat molestia. Quare cum apud Tigarenses esset diutiùs commoratus, reliquos deinde successiuè visitauit.

Lusitanorum mores corriguntur per illum.

Illud autem imprimis in mandatis habebat, vt cum Lusitanis ageret, num quis in Abyssiam penetrandi sociis aditus pateret, & num commodior per fauces Melindæ, an potiùs per emporium quod Bailur dicitur, regulo Damcali subditum. Scripsit itaque viam per Melindam latrociniis infestam esse, aliam verò per Bailurium facilem futuram, si loci regulus muneribus & officiis deuinciretur: quamuis enim Mahometicæ superstitionis esset, Christianis tamen non tam infestus erat, quàm Turcæ qui

reliquis portubus insidebant. Atque hic erat Ecclesiæ Aethiopiæ status, anno Redemptoris M. D. XCIX. vt ex informationibus, inde translatis, colligere fuit. Iam verò Africæ valedicentes, Brasiliam adeamus.

CAPVT XXII.

De Brasiliæ situ, proprietatibus & incolis.

ETsi huius regionis descriptio ac tractatio ad Occidentalem potius Indiam, quàm orientalem, de qua hoc in opere agimus, spectare videatur; hoc tamen loco inserere visū est, tū quòd à Lusitanis, dum in Orientem nauigationem instituere eumq; detegere parant, detecta sit; tum quòd eorum imperio pareat, & ad ipsos pertinere videatur. initio siquidem operis de ijs nos acturos locis promisimus, quos Lusitanica detexit solertia. At priùs quàm fidei incrementa progressumque apud Brasilios prosequamur, breuem regionis & incolarum descriptionem præmittere visum fuit. Est itaque Brasilia quarti orbis pars, quem hodie nouum indigetant, quod iam recenter Patrum memoria post annum scilicet millesimum quingentesimum detectus sit: vel potius Americam, quòd paulò post Petri Aluari Capralis Lusitani accessū Americus Vespucius Florentinus, Regis Emmanuelis auspicijs, accuratiùs explorarit. Ceterum omnis hæc regio, si terminos hodiernos spectemus, ad septemtriones flumine Maraignonio terminatur, cuius fauces duobus ab Aequatore, polum Antarcticum versus, sunt gradibus; ad meridiem flumine, quod ab argen-

Brasiliæ descriptio

Limites.

argento vulgò Lusitani *Rio da prata* nuncupant, quod in mare trigesimo quinto latitudinis australis gradu, se exonerat. Occidentale latus à prouincia Peruana disterminant iuga montium adeò celsa, vt ipsos auium volatus fatigare dicantur, vno duntaxat, quod adhuc exploratum sit, eoque difficillimo transitu. Latus in orientem spectans Oceano alluitur, qui æstu delatus ad vsque Hesperios Aethiopas se extendit. Omnis hæc regio hisce finibus distincta trigoni oblongi speciem refert, cuius pars duplex lateralis basim longè superat, quæ in Aequatorem ac Septemtriones obuersa, ab Oriente in Occidentem rectà protenditur. Angulus extremus basi respondens, ignotas ad meridiem regiones, polum Antarcticum versus, attingit. Regio fermè tota in primis amœna est, cæli admodum iucunda, salubrisque temperies: tametsi enim pars eius Zonæ torridę subiaceat, lenium tamen à mari ventorum flatus commodissimi, ita eamdem temperant, ac calorem mitigant, vt habitationi percommoda sit. Vapores siquidem matutinos ac nebulas hæc flabra tempestiuè disiiciunt, solesque purissimos ac nitidissimos reddunt. Scatet ea tota fermè plaga campis apertis, collibus, montibus, vallibus amœnissimis, quas opacæ inumbrant syluæ, limpidi irrigant fontes, & amnes fecūdant latissimi: è quibus vt reliquos taceam, is quem indigenę Paraguaium, Lusitani & Hispani ab argento *de la plata* nuncupant; qui tantæ capacitatis ac latitudinis, vt Nilus, Ganges, Euphrates, in vnum conflati flumen, teste Acosta, cum eo vix comparandi sint. Leucarum quadraginta ostio in mare fertur, quotannis Nili instar ob aquarū è Peruanis montibus delabentium copiā per vniuersam latè regionē stagnat: vt accolæ toto illo tēpore (quod tri-

Eius temperies.

lib. 2. c. 6

mestre est) conuasata supellectile in scaphis commorentur; omnes alioquin diluuio perirent: nā incrementa præsentientes longè lateq; vagantem stagnationem scaphis anteuertunt, & se suaque lintribus conseruant.

Alter est, quem nonnulli Amazonium, alij Maraignonium, alij item Orellanam dicunt, Peruanis item montibus magna imbrium fluminumque vndique confluentium accretione descendens; per effusissimos Payeti & terræ aureæ atque Amazonum campos tandem in Oceanum illabitur. Tam patens illius est alueus, præsertim circa finem, vt plurimas maximasque constituat insulas, & in eius medio nauiganti alueo nonnisi cœlum & aqua apparent, terra nulla. Hi sūt duo Brasiliæ & totius Americæ fluuij primates; quamuis vterq; Brasiliā, vt diximus, disterminet.

Regionis fertilitas. Valles habet fecundissimas, & felices præpinguibus glebis & riguo solo semperque vernantes credita semina multiplici reddit fœnore. saccari præsertim ferax est; quod cęleste est donū veterib. ignotū. Attico melli olim nobili multis partib. prę ferendū, proceris arundinibus condidit natura; è quibus aquaria mola dulcissimus humor expressus, in ahenis ad purum excoquitur; tum formis in panes cogitur ad metæ figuram, itaque in Europam transmittitur. Ex ea merce negotiatores Lusitani in Brasilia commorantes maximum capiunt emolumentum: siquidem nauibus quotannis in Europam euecta certissimo compendio longè lateque diuenditur. Producit adhæc Brasilia plantas & arbores multiplices, quas Europa ignorat, vt sunt quas vulgò Copiabas, Zabucales, & Auanazes dicunt. è Copiabis inciso per æstatē cortice, in modū balsami liquor suauissimi odoris emanat; cui cùm ad alios mortalium vsus, tum *Copiaba planta* ad cu-

ad curanda vulnera, & cicatrices tollendas, mirificam esse perhibent vim. Ex plantæ cernuntur affrictu animaliū attritæ, quæ à serpentibus venenatis, aut à feris icta ad remediū illud ipso naturę instinctu se conferunt. At Zabucales quæ dicuntur, admodum excelsæ, magnos ferunt summa duritie calyces, ore in terram obuerso, & quidem admirabili naturæ solertia pyxidatim operto. ijs calycibus nuces castaneæ saporis egregij continentur: quæ vbi maturuerint, excusso confestim operculo, paulatim ipsę per se in alimēta incolarū ad vnā è calice defluūt. Verū ex omni genere palma tribuitur ijs, quos vulgus Auanazes appellat. Plāta est humilis, cuius è ramis veluti pinea incremēta depēdent præmollia: hæc suo tēpore in frusta desecta, gratissimo simul odore ac sapore non recenti dūtaxat edulio sunt, verū etiam in longū tempus adseruantur è saccaro. Non est vero prætereundum lignum Brasilium, à quo vniuersa regio nomen mutuata est, quod magna illius in Europam aduehatur copia. Ingentē truncum habet & elegantem, internè rubricantem, & tingendis vestibus inde petitur. Hæ sunt Brasiliæ plantæ, quas habet singulares, nec Europæ communes. Ad hæc est videre hic aues coloris eximij & iucundi, Psittacorum instar, & similes. Magna animalium omnium tam cicurum, quàm siluestrium hic fœcūditas, vt dici vix posset, quā admirabili prouentu equi boues, oues porci, aliaq; tum maiora tū minora animalia, quæ ex Europa à Lusitanis inuecta sunt, fœtificarint; quod vberrimo agro, mitissimoque cœlo ascribendum: Præter animalia nobis cōmunia sunt hic alia, quæ Cerigones dicūt; quę buxeo colore, vulpeculę magnitudine; binę iis ex aluo depēdēt veluti māticæ, in ijs catulos circūferūt, & quidē adeò pertinaciter

Zabucalum fructus.

Ananazum fructus.

Arbor Brasilia vnde regio nomen traxit.

Cerigones animalia.

suo

ſuo quemque vberi affixos, vt à perpetuo fluctu non auellantur, antequam ad pactum ipſi per ſe progredi valeant. Valde etiam inuſitata & effigie & natura eſt animal, quod ab ipſa re Luſitani pigritiam appellant, quod tam tardè moueatur, vt quindecim ipſis diebus ad lapidis ictum continuo tractu vix prodeat; neque verò adhortationibus tantum aut minis, ſed ne plagis quidem fuſtibuſve beſtiam vel tantillum de inſita tarditate dimoueas. Propterea ab Hiſpanis *perullo ligero*, id eſt, catellus celer, antiphraſticè dicitur. Victitat arborum folijs, & in earum cacuminibus degit plerumque: quarum in aſcenſu biduum circiter, tantumdem in deſcenſu ponit. Cerigonũ fere magnitudine eſt, ſed roſtro fœdiore ad aſpectũ, & noctuæ ſimillimo, vnguibus ad digitorũ humanorũ ſimilitudinẽ prominẽtibus. Huic ex occipitio depẽdens coma ceruicẽ velat, nũquã in pedes exurgit, ſed lẽto vẽtris adipe verrit humum. Sunt qui ſe dicant curioſiùs obſeruaſſe, neue vmquam comedere viſum; hinc vento, Chamæleontis inſtar paſci ſibi perſuaſerunt: quem vt hauriat facilius roſtrum vento obuerſat: formicis tamen victitare tradit Acoſta. Interdum de nocte auditur ha, ha, ha, ſexies, voce ſemper demiſſiore ingeminare, prima vt ſecundâ ſit elatior, & hæc tertiâ, æquali ſemper proportione, illam, ad muſicorum imitationem ſex vocum diſcrimina la, ſol, fa, mi, re vt, modulantium, dimittendo. Nonnullorum hinc eſt opinio, quemadmodum homines, viſâ naturali nonnullarum ferarum armaturâ, equos armare, & hirundinum imitatione domos conſtruere didicerunt, ita ab hoc animali muſicos concentus didiciſſe. Sed artem illam elegantiſſimam ac nobiliſſimam alium habuiſſe auctorem, quam iners hoc & vecors animal,

Pigritia animal.

Tigres in Bsilia.

mal, ipſe mihi perſuaſerim. Magna præterea vis hic tigrium, quæ famelicæ horribili velocitate ſunt, viribusque tremendis: eædem paſtæ, (quod mirere) tanta ignauia, vt à gregarijs etiam canibus confeſtim in fugam agantur. Adeò cibi potuſque ſatietas non homines tantum, ſed etiam feras hebetes reddit. Sunt & alia in Braſilia animalia & plantarũ genera, ſed quæ retulimus, potiora ſunt ac præcipua, nec Europæ communia. ſed iã ſatis ſuperq; de rebus regioni proprijs egimus, ad incolarum mores inſtitutaque tranſeamus.

Antequam Braſilij Euangelica doctrina excolerentur, omnes tum Orientalis tum occiduæ Indiæ incolas barbarie immanitateque ſuperabant. Nullam omnino litterarum habebant notitiam. Trium ex alphabeto elementorum F, L, R, nullus apud eos etiam maris accolas, vſus erat; minimè abſurda quorundam animaduerſione factum id eſſe diuinitus, eò quòd Fide, Lege, Rege carent. Nullam enim agnoſcebant Deitatem, falſam nec veram. Nullos omnino colebant Deos, ominibus tantum & augurijs ad infamiam dediti, & ariolis impoſtoribuſque miſerandum in modum quæſtui ſunt. Nonnulla de Noë deque diluuio à patribus acceperant, quorum cognitionem à primis terræ incolis poſt diluuium dimanaſſe, credendum eſt. Aliud è ſacris non nouerant hiſtorijs. rectè aut perperam factis nihil poſt mortem præmij ſupplicijue ſupereſſe arbitrabantur. Animam tamen immortalem credebant, ac corpori ſuperuiuere, ſed tales poſt hanc vitam ſemper manere homines, quales moriebantur; ac qui diem ſuum obiere, eos perinde ac deceſſerint, vel integro corpore, vel mancos vel debiles, vulneribuſque confoſſos ad orcum deſcendere. Ergo incremata condunt humi corpora

Nullum adorant Deum & omni carebant fide.

Anima credebant immortalitatem.

addito

addito reti cubandi causa (in quo illi, non secus ac nos in lectulis, vti breui dicemus, somnū capiunt) nec non eduliis per aliquot dies appositis: quod ita persuasum habent, & somnum interim capere, & cibo vesci manes mortuorum. Hæc illorum fides. sed in legibus institutisque maiorem etiam barbariem stuporemque præferebant. Regem nullum aut dominum agnoscebant, cuius imperio legibusque parêrent, certum non habebant domicilium, sed sparsim habitabant. Cumque omnes penè eiusdem forent generis, congregati hoc anno in valle hac commorabantur, & sequēti in illa, atque ita vicissim annis singulis habitationis locum mutabant. Hoc in loco & sementē faciebant & casulas ad testudinis aut inuersæ modum carinæ exstruebant, oblongas, sed angustas; vt sub eodem tecto multæ simul familiæ degant. Noctu ad noxia vitanda animalia, & vt aëre libero fruantur, cubāt in retibus à terra ex arbore duplici suspensis. Atque hæc apud eos plerumq; cubandi ratio est. Vino, pane, frumentoque etiam, priusquam Lusitani regionem frequentarent, caruere, satiua radice, quam Mandiocam nominant, & nostratibus rapis non absimilis est; victitantes, modò verò qui Lusitanis cohabitant, & frumentum secum & alia, è quibus panem conficiunt. Fructibus etiam arborum victitabant, qui gustui suaues sunt; plurimæ enim, etiam non cultæ plantatæque proueniunt; quæ licet siluestres, fructus tamen ferunt iucundissimos; atq; imprimis Caiusia, pira apprimè succosa & innoxia, itaq; mediis caloribus auidè comeduntur, quod & frigidiuscula sint, & sitim restinguāt. Ferina etiam abundant, nam venandi sunt peritissimi. Pisces tum ex amnibus tum è mari plurimos educunt. natandi enim arte ad miraculū vsq; præcellūt, sub

aqua totas interdũ horas, vbi quidpiã in imo quærendũ est, patentib. oculis vrinantur. Optatissimæ Brasiliis epulæ sunt carnes humanæ, ac præsertim hostiles, quas ingenti cũ tripudio hunc in modũ vorant. captos bello hostes (crebra autẽ inter eos bella excitantur, idq; non imperij dilatandi, quod nullũ habent, sed iniuriarũ mutuarum vindicandarũ causa,) saginant, vt nostrates capum aut porcum; saginatos corã magna confluentium corona; alligato ad vmbilicũ fune, quem vtrimq; plurimi tenent, ne captus longiùs quàm velint, digrediatur, producũt. Vinctũ contumeliis & iniuriis proscindunt, ac deinde quidam astantium ingẽti vecte miseri caput comminuit. Mox insiliunt in prostratum mulieres, extaque educunt, frustatimque discerptum vorant simul verubus tostum; vel lento igne sensim exsiccant & asseruant, etiam pluribus simul mactatis. Eæ iucundissimæ his sunt epulæ, neque sicui hoc leti genere perire contigerit, male secum actum existimat, dum parentes & consanguineos mortis suæ vindictam sumpturos putat: quinimo, vt apparet, ad mortem pergit alacer ac securus; editisque contra ipsosmet percussores facinoribus, magnificè in ipso necis articulo gloriatur.

Carne vescuntur humana.

Hi scilicet Brasiliorum mores erant, priusquàm ad ciuilem cultum traducerentur; & sunt etiamnum illorum qui in pristina barbarie permansêre, qui nudi æquè viri ac fœminæ prorsus incedunt, ac hæ fluxo vniuersum pene corpus tegunt crine. Vterque sexus totum alioquin corpus expilat, sed viri propensam à vertice dumtaxat cæsariem gestant, omnem alium pilum violenter euellunt. Puerperarum loco (quod vix credat quisquam) in aliquot dies velut æger decumbit mari-

Nudi incedunt.

Viri sunt in lecto puerperæ.

maritus. hic officij causa ab amicis & propinquis inuisitur. huic sorbitiunculæ dantur ad refouendas vires, huic de gentis more bellaria ac delicata munuscula & liba deferuntur, atque eodem se gerit modo, quo apud nos puerperæ. Vxor verò à puerperio confestim exsurgit, ac domestica impigrè obit ministeria. Quod barbariei illorum euidens est argumentum. Beneficiorum adhæc acceptorum immemores sunt, vafri atque scelesti, æquè iræ ac libidinis impotentes, hinc ad pugnas & certamina temerarij præcipitesque, vltionis & humani sanguinis auidissimi: qui verò mediterranea incolunt loca, ac patrios mores retinent, belluis quàm hominibus propiores sunt. At post illatum ab Societate IESV, Sacerdotibusque sęcularibus Euangelium, & liberalium artium disciplinas, præsertim qui mare accolunt, ad humanitatem ac pietatem traducti, dociliores quā credet quisquam, sese ostenderunt. Plerique enim in vicos & oppida contributi sunt, quæ haud procul à Lusitanorum vrbibus exædificarunt: hic doctrinam Christianam ac politicos mores edocentur, ad honestatem, agriculturam, aliasque ad vitam humanam tolerandam artes traducuntur. Christianis additi sunt permulti, sed non sine labore ac discrimine docentium, vti postea patebit latiùs.



CAP.

CAPVT XXIII.

Quando & qua ratione Lusitani Brasiliam detexerint; religiosi & Sacerdotes eodem fidei promulgandæ gratia; mittuntur.

VAscus Gamma cũ Emmanuelis Regis auspicijs, anno salutis M.CCCCXCVIII. Vt libro priore retulimus, Indiam orientalem detexisset, & sequenti anno Olyssiponem reuersus; Regi visa; auditaque in peregrinis regionibus retulisset; faces narrando eidem quodammodo subiecit, vt hasce regiones non modo sub imperium ditionemque suam redigeret, sed ad Christi fidem barbaras gentes & incognitas traduceret. Partim itaque honoris diuini zelo, partim regni ad incognitas orbis prouincias propagandi desiderio accensus; anno sæculari sesquimillesimo, tredecim nauiũ classem instrui iubet; & mille quingentos armari Petrus Aluarus Capialis Lusitanus summa cum potestate præficitur. Huius in comitatu esse voluit Henricum è Franciscana familia insigni æquè doctrina ac sanctimonia virum; ac Sacerdotes aliquot seculares; partim ad Christianorum classe vectorum animos procurandos; partim ad prædicandum ethnicis Euangelium, si fortè commoda illius promulgandi daretur occasio. Mense igitur Martio eiusdem anni Olyssipona cùm soluissent, decimo tertio pòst die in Canarias insulas appulerunt. Hinc cùm ad bonæ spei promontorium rectà tenderent; coorta fædissima tempestate, omnium cum vitæ periculo, & classe disiecta, nauis vna, fractis armamen-

tis,Olyſſiponem inuita,irrita nauigatione repetiit. Cæteri poſtmodum ex errore & trepidatione collecti, ad vitandam Guineæ malitiam, & ſuperandum Bonæ ſpei promontorium, longiore ambitu capto, & Africæ littus Eurum verſus declinantes, cùm ſe in altum dediſſent, poſt menſem circiter in telluris cõſpectum ventis feruntur: quam inſulam initio rati, continuata ſecundum littus nauigatione, continentem ſine dubio eſſe comperiunt, & quidem maximam. Ibi ex lõga iactatione claſſem portus excepit, cui ab egregia ſitu ac ſtatione Securo nomen impoſitum, tũ quod excipiendis nauibus commodus foret ac tutus, tùm quòd poſt varios caſus, tempeſtatemque in commodum tandem portum delati eſſent. Exſcenſione in terrã facta Chriſtiano ritu in ara ſubductili ab Henrico, ductoris iuſſu, eſt ſacrificatũ, aſſiſtentibus reliquis Sacerdotibus Deoq; ingentes ab omnibus actæ gratiæ, quòd cunctis eos periculis ſubduxiſſet, & hanc in regionem hactenus ignotam perduxiſſet. Adſunt interim incolę arcubus & ſagittis inſtructi, quibus armis tum in bello, tum in venatione vtuntur. Mirari barbari inuiſos hactenus populos; eorumq; huc aduentũ; viciſſim & Luſitani, dũ Braſilios nudòs penitus & difformi fœdatos vultu conſpexêre. habẽt enim deliciarũ cauſa quidã inferiore duntaxat labro, alij ſuperiore, alij genis, quidam etiã facie tota, carni inſertos prælongòs nullius pretij lapillos. tetro ſanè ſpectaculo, quãuis venuſtatis ac decoris parandi gratia ipſos id facere cõpertũ ſit. Luſitani tantã deformitatẽ quãuis ſtuperent, benignos eos ad ſe nutib. inuitare, editiſq; ſignis beneuolẽtiæ, omnẽ illis metũ eripere conari. barbari quoq; geſtib. illorũ ſe recreari oſtẽdere aduentu; & cũ nihil planè perciperẽt, Deũ tamen orari craſſo quodã modo ſcirent, interea dũ ſacra celebrarẽtur, cœleſtes

cære-

ceremonias admirabili ſtudio ac veneratione concelebrare. In eo deinde littore Capralis præaltā Crucē lapideā, ſolenni ritu & precationibus conſecratā, defixit; à qua regio ſanctæ Crucis in aliquot annos dicta: ſed à Braſilo rubro ligno, quod inde petitur, ſuperinditū deinde Braſiliæ cognomen, vulgi conſenſus & pertinax conſuetudo retinuit. Deinde Gaſparem Lemium Capralis in Luſitaniam extemplò miſit, qui Regem de reperta Braſilia certiorem redderet, addiditq; vnū è barbaris, velut regionis ſpecimē, quod regē ac ceteros omnes ingenti lætitia atque animi voluptate perfudit, qui poſtea inſigne hac è prouincia, vti ſuo videbitur loco, emolumētū percepêre. Interim Capralis, qui Orientem petere in mandatis habebat, ne fruſtra tempus inſumeret, accepta in nauem aqua dulci & commeatu, ventis in Orientem vela permiſit. Atqui deinde è Braſilia in Luſitaniam rediere, tanta de illius fertilitate, temperieq; retulêre, vt plurimis eô proficiſcendi iniecerint deſiderium, adeò vt ſolennis huc inſtitui cœperit nauigatio. Cumq; compendioſa hæc videretur nauigatio ob ſaccarum, Braſilium lignum, Pſittacos, cercopithecos, aliaque quorum ferax eſt regio, tanta eò Luſitanorum confluxit multitudo, vt in tribus ſe diuidere ac opidula, quas præfecturas dicebāt, ad cōmercia tutius peragenda, & barbarorum inſultus propulſandos, conſtruere coacti ſint. Barbari enim ſi quem Luſitanorum ſolum inuenirent, clanculo mactabant; & quaſi hoſtiles carnes deuorabant. Cum prima Luſitanorū colonia huc miſſi ſunt Franciſcani Fratres aliquot, Italici maximè generis, vt indigenas ad Chriſtiana ſacra moreſque ciuiles ſenſim perducerent: quorum vnus in traiectu fluminis ignoti ſubmerſus, celebre illi à ſancto Franciſco nomen

Vnde Braſiliæ nomē regioni inditum.

dedit. S.Francisci flumen exinde appellatum. Ceteri verò & à barbaris mactati & deuorati sunt; namque ante partam patriæ linguę notitiam in intima regionis temere ad Euangelicam doctrinam dissemínandam penetrantes, à barbaris ignaris, quantum sibi bonum illorum allatura esset prædicatio, subitò in aduenas coortis miserè, sunt interempti. Posteà verò terra hæc innocuo beatorum martyrum irrigata sanguine, vberem ac lætam Christianorum (vti videbitur) messem produxit, illorum precibus non parum hanc in rem conducentibus. Interim verò dum plurimi in Brasiliam nauigationem quotidie instituerent, plurimi exstrui vici & opida cœpere, quorum quinque fuere præcipua. Prima Itamacaca dicebatur, altera Pemambricum, tertia illeos, quarta Portus securus, extrema à Sancto Vincẽtio nominata est. Brasilij verò Lusitanorum fugiebant commercia, & à prima non deflectentes barbarie, humanarumque carnium epulis, si quos hinc inde sparsim nanciscerentur Lusitanos, mactabant. Hi autem vt barbaram retunderent audaciam, terroremque iniicerent, collecta interdum vniuersa suorum multitudine, quotidianam suorum necem vlturi, bellum iis inferebant; hinc plurimos interficiebant, captos in seruitutem redigebant, vt illorum opera & in saccaro parando, & terra colenda subigendaque vterentur. At quoniam iniuriarum memores sunt, & vltionis auidissimi, interfectorum aut bello captorum consanguinei & affines in Lusitanos sæpe inopinatò ruentes, si quos nancisci poterant, aut in loco mactabant, aut captos in sagina post mactãdos asseruabant. Interdum quoq; affines suos captiuitate eripiebant; ipsi quoque serui, si quando commodabatur occasio, effractis ergastulis ad suos con-

confugiebant, herosque dein suos, mille contumeliis & iniuriis lacessebant. Hæc igitur vt vitarentur incommoda, ac præfecturæ debito gubernarentur regimine, Ioannes III. Lusitaniæ rex anno Redemptionis vndequinquagesimo supra sesquimillesimũ, vnum omniũ præfectum ac pretorẽ Thomã Sosam eò destinauit, qui primus omniũ prætor ea littora petiit, quoq; Brasiliorũ cõuersio maiori cum fructu imposterũ procederet, à Paulo III. Pontifice Maximo, & Ignatio Loyola Soc. Iesu parente & tum moderatore Patres aliquot petiit, qui in Brasiliam proficiscerentur. Missi igitur sex, quorum, quòd primi fidem Brasiliensibus promulgarint nomina, hiccine tacitum præterire nefas est, Ioannes Azpicueta Nauarrus, Antonius Pireus, Leonardus Nonnius, Didacus Iacobæus, Vincentius Rodericius, Lusitani. Rector iis additus item Lusitanus Emmanuel Nobrega præstanti virtute ac sapientia vir. Ineunte mense Aprili anno post Christum natum M.D.XLIX. cum Sosa Olyssipone soluerunt, & post duos circiter menses Brasiliam attigêre.

Primi socii in Brasiliã missi.

Sosa mox descensione facta nouum construere opidum cœpit, haud procul à portu ad quem appulerat, quod hodie vetus nominatur. Dum enim metuit, ne à Barbaris omnes de nocte Lusitani inopino incursu mactarentur, quod opidum vetus debile & ad munitionẽ ac defensionem inceptum videretur, commodiorem quæsiuit locum, in vicino tamen, vrbi nouæ condendæ, cui hodiè Saluatoris, vel sinus omnium Sanctorum, nomen inditum est; quòd capaci commodoque immineat portui, qui sinum, qui à Sanctis omnibus nomen habet, tangit, & tredecim diebus ac dimidio latitudinis australis est. Plerique Aduenarum, ad destinatum vrbi locum, qui media ab

opido Vetere distabat leuca, supplicationis ritu agmine facto perrexere; in quo Christianæ religionis insignia gratulabundi fixêre. Mox pleriq; incolæ opidi Veteris aliarumque præfecturarum huc commigrarunt, quibus à Prætore in exstructionem areæ diuiduntur, vti & Patribus Societatis ad templum Deo sibique domum construendam.

Omnes itaque vrbi parandæ gnauiter incumbere, & necessaria hinc inde summa diligentia conquirere, breui vt incoli potuerit: Patres facta optione, locum domicilio delegêre, vbi Mariæ virginis Adiutricis templum hodie cernitur. Id templum ab ijsdem conditum est ingenti labore. Siquidem nulla dum in eorum victum aut cultum ab rege decreta pecunia, nulla in templi fabricam suppeditabatur. Siquidem populo domibus priuatim excitandis & cingenda raptim vrbe dies noctesque occupato, aquari lignarique ipsimet, lapides & necessaria conuehere, ac proximis è montibus materiam lignaque suis humeris baiulabant. Hinc quippe ligna, illinc lapides, arena, calx, & aqua aliunde magna molestia petebantur. Excalceati ac seminudi, æstu & sole torridi quotidianum obibant opus. Accedebat extrema propemodum egestas in ignoto incultoque solo: nec rarò, plane omnibus defecti alimentis, cibaria ostiatim emendicabant euentu vario; quippe cùm alij sibi quoque angustam esse domi .em dicerent, alij commoti misericordia, ex eo quod suppetebat liberaliter impertirent, sed adeò modicum & rarò, vt summa cum rerum ad vitam necessariarum penuria conflictarentur.

Eiusmodi inopia pressis ad extremum Prætor modicum quid eleemosynæ nomine ad tolerandam ex

dam ex parte vitam adſignat, quoad reliquis deinde neceſſitatibus ab Luſitano rege pro cetera ipſius munificentia ac pietate ſubuentum eſt. Inter eas tamen ærumnas miſeriaſque, adiuuandis quantum liceret Luſitanorum animis, exemplò, verbo inſtabant; dominicis ac feſtis diebus conciones de rebus diuinis habebant, confeſſiones incolarum nouæ vrbis excipiebant, Sacramentaque non ſecus ac paſtores animarum adminiſtrabant; alium enim Sacerdotem non habebant; donec tandem Sacerdos ſecularis è Luſitania veniens curionis munere functurus, illorum curam ſuſciperet. Sed videamus iam quid deinde contigerit.

CAPVT XXIV.

Socij Braſilienſium conuerſioni incumbunt, à quibus duo ſunt interfecti.

EXcuſſo iam ceruicibus animarum onere, Patres, inſignem vni Braſilienſium conuerſioni operam dedêre. Hoc enim conſilio huc traiecerant, quod illorum operam maxima neceſſitas expoſceret. Conceſſis itaque curioni Luſitanorum, ædibus tanto ſudore conſtructis, extra opidũ nouã in ſedem loco edito commigrarunt, quem montem Caluarium ipſi dixêre, circumfuſis vndique barbarorum ad ciuilem cultum tranſeuntium & cum Luſitanis pacificè agentium, tugurijs. Delectus hic potiſſimum locus, quò maior illos tum verbo tum exemplo instruendi eſſet commoditas.

Quod eò videbatur faciliùs, quòd inter eos cõmorarentur, ſed non ſine magno apertoque vitæ diſcrimine, quòd magna barbarorum eſſet feritas ac perfidia; ſed ſacra Deo & deuota iam capita

nihil pro salute hominum recusabant periculi. Nec deerant interim ciuibus Saluatoris, adibant siquidem vrbem sæpius, conciones de rebus diuinis habituri, afflictos & moribundos consolaturi, Sacramentaque dum necesse foret, administraturi. Alia longe erat causa Vincentianæ coloniæ, quos exules fermè, in vltimis finibus ab omni Christiano pastore disiunctos, atque ob idipsum cælesti verbi Dei & Eucharistiæ carentes cibo, circumfrementibus barbaris, ipsa propemodum efferauerant loca. Ad hos igitur omni studio recreandos refouendosque Nobrega sociorum præfectus, ex ipsa suorum paucitate duos in præsentia, rogatus destinauit, Leonardum Nonnium & Didacum Iacobæum: ipse cum reliquis ad Brasilios indidem cicurandos & erudiendos incubuit. Erat omnino laboriosa prouincia, & multis difficultatibus implicata. Obstabat inscitia linguæ, obstabant ingenia moresque incolarum. Igitur incommodo linguæ obuiam itum est initio nonnullorum ope ex ijs, qui ante Sosæ aduentum ad villam veterem agebant: ij primum adhibiti interpretes vicem sermonis vtcumq; supplebant. Dein quo faciliùs procederet tota res, ac minus ipsi aliunde penderent Patres, ad Brasilicam linguam addiscendam cuncti pariter animum adijciunt, acrique studio ac pia æmulatione perfectum haud ita magno temporis interuallo (quamquam non ita copiosa vt plurimæ, tamen ab omni Europæo sermone planè abhorrens erat) vti essent ad confessiones audiendas & habendas conciones idonei. Prospero Euangel j cursui obstabant praui incolarum mores; quòd super quotidianas cædes ac finitima bella, & inexpiabile vlciscendi certamen, dapesque diras, in crapulam quoque ac venerem proiecti, magis in-

Duo socii ad Vincentianam coloniam mittuntur.

dies

dies obtunderent aciem mentis, & flagitiorum cœno quicquid erat indolis bonæ demergerent. Accedebat indomitum ac latè patens malum,& quo valentius nihil aditum atque ita obſepſerit Euangelio; veterum Chriſtianorum, indigna tali nomine ac profeſſione, licentia procacitaſque, cum anxia cupiditate ſordibuſque coniuncta; vt eorum aduentus in barbarorum vicos, vitæque conſuetudo cùm grauiter cunctos offenderet, tum ingentem nomini Chriſtiano inuidiam infamiamque conflaret; hinc barbari à fide ſuſcipienda deterriti,& alieni in feritate ſua prauiſque moribus permanebant. Nec leue afferebat incommodum ipſa mobilitas gentis, & crebra, vti dicebamus, mutatio loci: vt ſub ipſam interdum meſſem, feſſis agricolis, & diuturnum laborem tædiumque ſpe largi prouentus de more ſolantibus, adultæ iam ſegetes repentè apparere deſinerent, & alium in locum commigrarent; vt omnis qui ſperabatur fructus in momento euaneſceret. Poſtremo deploranda erat hic etiam, in tam vaſtis terrarum ſpatijs tantula ac tam deſerta manus. Sed nequaquam idcirco fracti animis vel debilitati ſunt Patres, diuino potiſſimum nitentes auxilio, haud ignari videlicet, non eſſe difficilius Deo in paucis quàm in multis ſaluare quos voluerit; inſuper quam exiguo numero Apoſtoli quantas olim res Deo duce atque adiutore geſſiſſent, in varias orbis regiones fidem quam docebant illaturi. Et ſane reipſa videbant, eumdem ipſum Chriſtum talium conſiliorum parentem auctoremq;, recentibus hiſce famulis, nouas vires & animũ ad barbarorum ſalutem procurandã ſuppeditare. Magna ergo diligentia in patriã linguã diſcendã incumbentes, breuiſſimo temporis ſpatio Deo illuſtrãte, ingenium eiuſdẽ nacti ſunt

1. Reg. 14.

notitiam. Azpilcuetæ Nauarri præsertim in eo genere enituit laus, qui linguæ huius adminiculo insignem in barbarorum conuersione fructum edebat, vt cognitis iam rebus, quæ à Francisco Xauerio apud Indos Eoos, & visis, quæ ab Azpilcueta hic quotidie fierent vulgo Lusitani affirmarent, peculiare ac proprium munus Nauarræ gentis ac nominis videri, ethnicorum conuersionem. Nec minor aliorum quoque fuit solertia. nam hoc instructi adiumento doctrinæ Christianæ capita, certasq; precationes, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & Apostolorum symbolum, imprimis Brasilicè vertunt; dein & decalogi præcepta, tum eorũ & symboli & Sacramentorũ expositionem. Hæc ipsi primò memoriæ mandare, dehinc vicos & tuguria barbarorum paulatim obeundo cantillare: hoc pacto simul & vitæ sanctioris exemplo, modestia, benignitate, comitate barbarorum sibi animos conciliarunt, à quibus & benignè audiebantur & mirificè colebantur. Horum itaq; paratâ beneuolentiâ, & linguæ ampliori partâ notitiâ de rebus diuinis ad barbaros dicere incipiunt, ac præcipua fidei mysteria apertius enarrare, mundi videlicet creationem, protoplasti lapsum, aliasq; historias sacras, quas barbari auidè & tanta cum voluptate audire vidibantur, vt extra se stupentes raperẽtur, tum præsertim cùm de omnipotentia & infinitate Dei differebatur. Signis enim exterioribus denotabant, hęc ingenti cum admiratione æquè à viris ac mulieribus accipi. Nostram etiam legẽdi conscribendiq; consuetudinem ac peritiam sine fine suspicere & suscipere velle videbantur; cupereque sese in cultu ac religione nostris esse similimos, ac fidem promulgatam quàm libentissimè amplecti. Verùm quominùs id re ipsa perficerent, inueterata morum peruer-

Nauarri ad ethnicos conuertendos idonei.

peruerſitate & feritate diriſque hoſtium epulis retardabantur. eo acrius inſtare Patres, vti eos humaniorẽ ad victũ ritũq; traducerent. Et quãuis doctores ſuos ſuſpicere viderẽtur, tamẽ cũ ad tollendã feralis cibi ac funeſti conſuetudinẽ excitarẽt grauia nõ ſemel adiere diſcrimina. Inter cetera illud memoratur facinus inſigne. Captũ ex hoſtib. quemdã accolæ ad Caluarij mõtis radices attraxerant, ac diu paſtum coactũq; pingueſcere, in epulas ingenti cum exultatione mactarant. Ea recognita, Chriſtũ ſuppliciter inuocãt Patres, hortatiq; inter ſe protinus aduolant, in tugurium irrepunt, prorenſũ cadauer in ganeã reptãtibus interueniũt, palã ac fidenter afferũt manus; quin etiã rationibus facti enormitatẽ oſtentãt, promiſſiq; violati eos arguẽtes & ciuilitatis quã iurarant, & feritatis, quã abiurarãt, turpitudinis illos cómonent. Ac virorũ quidẽ quies ac ſilentiũ fuit, iniecto pudore, quod cũ Patribus nõnihil iã familiaritatis è vicinitate, & doctrinæ conſuetudine cõtraxerãt. Non eadẽ fuit fœminarũ patiẽtia. vetulæ adſtabant aliquot præcipua crudelitate & hoſtis puniẽdi libidine, & cibi huius imprimis auidæ. hę ſibi necopinatò ereptã è faucibus prædã indignè ferẽtes cũ clamoribus ac quiritationibus concurſare, iniuriã irrogatã exponere, lymphãtes ac velut inſanientes, & iuuentutẽ ad vltionẽ tã atrocis iniuriæ excire; inde commoti nonnulli auferẽtibus aliquantulum reſtitere. At cùm Patres minas incurſũq; nõ formidare cõſpicerẽt, mox vel ipſa natura repugnãte, quæ peccati horrorẽ ac pudorẽ edocet, vel etiã diuinitus territi cœptũ omittunt. ita corpus ablatum Patres in horto ſuo ſepeliunt; aliquot cenotaphijs ad fallendũ appoſitis, ſi fortè barbari noctu ad effodiendum atq; aſportandũ accederent, vt dum huc illucq; quærerent, ipſi interuenirent, effodienteſq; impedirent. Nec

Hiſtoria notabilis.

Patres barbaros ab epulis humanis pellunt, sed eos infensos experiuntur.

Nec vana fuit coniectura. facta manu per tenebras in hortum prorupere Brasilij, pertentatisque sepulcris ac demum inuento corpore (tanta sagacitas fuit) iam extraxerant brachium, cùm excubantes in idipsum Patres accurrunt, eademque orationis animique constantia nefarios conatus infringunt: ac ne sæpius certandum foret, ablata denuo membra intra vrbem ipsam accuratè defodiunt. Exasperauit ea res vehementius animos gentis, muliebribus præsertim incensæ facibus, ac parum abfuit, quin agmine facto, repente vrbem inuaderent & euerterent. Patres quidem, Prætoris iussu intra mœnia remigrare coacti, tantisper dum iræ mitescerent, aliud sibi hospitium condidere, quę nunc collegij noui ædes conspiciuntur. Quod verò Lusitani, Patres horum omnium tumultuum causam palàm apud Prætorem traducerēt, nouos illos motus temerario illorum zelo adscriberent, periculumque esse iactarent, ne à barbaris de nocte inopinatò mactarentur; Prætor qua erat pietate rerumque vsu iacta in eos crimina & voces vulgi repressit; negauitque aduentum belli extimescendum, quod eorum causa conflatum foret. Deum quippe vel meliori affuturum causæ, victoriamque daturum, vel sedatis tumultibus, è turbido ac tristi serenum repente nitidumque diem hauddubiè redditurum. Vera cecinit, mitigati præter spem animi barbarorum, & magno omnium gaudio redintegrata pax est. Lentius inde cautiusque Patres cum Brasilijs agere, non tam quòd suo ipsi parcerent capiti, quàm ne sermonem aut offensionem popularibus darent: monendo, precando, fœditatem rei, Dei offensionem, post veritatis lucem visam demonstrando illos à nefaria laniena ac popina, auellere conati sunt.

Barbari mitigantur.

Plurimos itaque ab hac funesta mensa auerterunt. ab alijs impetratum, vti ad eos qui capti saginarentur, saltem sibi pateret alloquium. horum ergo, quando seruare corpora non dabatur, animis certè omni studio consulebant: Christiana edoctos interim mysteria, atque ad salutarem peccatorum detestationem adductos, priusquam raperentur ad necem, sacrò lustrabant calice, dabantque operam vti ex hostium ludibrijs ac teterrima seruitute ad cælestia regna vitamque sempiternam protinus euolarent. Sed ne hac quidem ratione miseris diu prospicere licuit. Mali dæmonis artificio sibi persuaserant aiebantq; barbari, intinctis eo baptismate carnibus multum de pristina saporis gratia deperire. ac proinde mutata voluntate ab illo religionis munere nostros arcebant. Itaque attenta consultatione demum eò decursum à Patribus, vti neci destinatos supremo die ad patibulum vsque prosequerentur, habita prius à reo consensu, atque interea madenti sudario super aliquam corporis partem furtim expresso, adhibita formula Sacramenti, iam iamque morituros dissimulanter abluerent. Id aliquoties tentatum ex animi sententia cessit, sed hoc pacto tandem fieri vetitum. Per idem ferè tempus Lusitanus quidam incolarum cassas oberrans, incertum vnde orto iurgio rixave perimitur. Accendit ea res maiorem in modum animos Europæorum. Nulla surgentis etiam tum vrbis nec periculi immentis habita ratione vindicandum cuncti fremunt cædem, consulendum ipso initio incolumitati aduenarum, neque impunitate ac socordia dutiùs alendam gentis audaciam. Hæc minitabundi & coram Prætore & inter se iactare, furore potius & vindictæ desiderio quàm ratione ducti. Si enim ad manus res deducta fuisset, non parua

Seruantur animæ occidendorum.

Diabolus hoc impedit.

Alia eos seruandi ratio.

parua vtrimque strages fuisset edita,& sanè ad arma itum foret, ni rem Christianam fouens Deus, & Ecclesiæ tenellæ incolumitati consulens, barbarorum animos ad æquitatem repente flexisset: amicitiæ ac vicinitatis iura sanguini prætulere. deditus piaculũ iræ noxius, vt in illum pro delicti grauitate Lusitani animaduerterent; & inaudito apud eas nationes genere pœnæ, in os bombardæ propalã insertus, aspirato ad spiraculũ igne discerpitur. ea res per agros nũtiata magnũ Brasilijs terrorẽ incussit, ne quem Lusitanum impeterẽt; simul etiã vnius Lusitani casus cæteros in prçsẽtia nõnihil ab incõsulto ac temerario discursu cohibuit.

Prædicatio Euangelii progreditur.

Inde Patribus paulo expeditior Euangelij prædicatio cœpit esse, magnoque ac fidenti animo sese multitudini subinde barbarorum immiscẽtes, quasi contubernales & conuersales forent, densam ignorantiæ nebulam, veritatis luce dispellere, opinionum portenta ac monstra fugare; magorum ac veneficorum (quibus derisui, simul & quęstui captæ mendacijs & errore sunt mentes) præstigias atque fallacias aperire ac tollere nitebantur. In ijs præcipua astutia veterator, summam sibi vbiq; auctoritatem pepererat, tamquam pro Aesculapio & morborum omnium depulsore venditabat sese, hinc ad ægrotos omnes ilico aduocabatur. In hunc Nobrega cum data opera incidisset, magum aggressus, rogat, qua tandem vi res tantas efficiat? illumne consulat Deum, qui totam hanc rerũ vniuersitatẽ verbo condiderit, & solùm facit mirabilia magna solus? an tartarea cacodæmonis cõsuetudine vtatur & operâ, eiusq; ope tot morbos dispellat. Impudentissimè arrogantissimeq; respõdit, se quoq; Deum esse, & Deo prognatum; certum etiam hominem coràm produxit, à quo grauiter laborante morbum ipse pepulis-

Venefici arrogãtia.

pulisset. illum præterea regnatorem cæli Deum sibi esse amicissimum, ac sæpe inter nubes, tonitrua ac fulmina ostendere sese: & alia eiusmodi multa superbiæ vanitatisq; plenissima. Nobrega tantam audaciam impietatemque non ferens, aduocata concione instititit singula hominis dicta firmissimis argumentis, maxima vocis contentione refellere, conuictumque tandem ac fractum ad sententiam simul moresque mutandos adduxit, amicè comiterque pollicitus, se pro illo apud Deum verum fore deprecatorem, vt peccata condonet. Ac paulo post cùm ipse salutis admonitus se initiandum sponte obtulisset, in catechumenorum adscriptus est numerum, qui paulatim longaque informatione ad fidem suscipiendam præparabantur; quòd plerique barbarorum plumbeo sint ingenio & ad quid percipiendum tardo, & etiam præcipua fidei mysteria & ad salutem imprimis necessaria vix cōprehendant. sed post diuturnam institutionem, tandem ad baptismum suscipiendum idonei redditi sunt, idoneique paulatim vitali fonte lustrati sunt, pauci simul & plures. Nihil autem visum grauiùs, quàm vnicæ illos vxori, repudiatis reliquis, legitimo matrimonio ritè copulare; omnes tamen qui ad baptismum admittebantur, hoc se facturos spondebāt, illius alioquin cōpotes non euasissent. Ex ijs vnus lætitia gestiens, adijt Patres, nutu gestuque significans & affirmans, proxima nocte sese apud superos fuisse, incredibili gaudio & suauitate perfusum. Credendū Deum nouam hanc plantam cōsolationū suarū imbre rigare voluisse, vt firmiores in fide radices ageret, in eaque quotidie magis ac magis cōfirmaretur. Cetera plebs à patrijs epulis, & ebrietate & salutationib. impudicis, & multiplici cōiugio abstrahi ac diuelli nō poterant. neq; in ijs colēdis vllo pacto respōdebat operę fructus.

Conuictus & cōuersus à Nobrega.

Visio cælestis neophyti Brasilię.

Quo-

Quocirca socij nequaquam vltra serere super
Hier.4. spinas, sed puram aggredi tellurem è prophetico præcepto constituunt. Infantes primum quamplurimos in tutum recipere, (si cui forte ante vsum rationis obeunda sit dies) & salutari summi Pastoris nota insignire festinant; patres dein matresque familias, precibus, promissis, blandimentis adducunt; vti puerilem ac sobolem paulò adultiorem, sibi in disciplinam dent. Non abnuerunt plerique. gaudebant enim honesta salutarique filios disciplina imbui. Hosce postmodum ipsos cibo & crepundijs paulatim ad Christianæ fidei mysteria perdiscenda illiciunt. Atque hoc pacto non Christianæ illos duntaxat doctrinæ, sed virtutum etiam exercitio assuefecerunt. Nec pœnitendus fuit labor: siquidem & tradita facilè accipiebant, & retenta fideliter grandioribus natu, parentibus & amicis, per otium inculcabant: vt horum industria plurimi ad fidei cognitionem transirent, maiorque fieret per neophytos quàm per Patres, linguæ beneficio, domesticæque consuetudinis, ad Christum accessio: quin suo ipsi exemplo quod ad verba accedebat, sensim parentes à nefarijs atque impuris moribus, feritate, lubricitateque, auertebant. Parentes interea (vt est etiam improbis ipsa per se virtus in alijs amabilis) filiorum obsequio, sobrietate, cultu, doctrina lætari, eosque vltro ad proficiendum in virtutum & litterarum studio accendere. Hinc natus incredibilis erga fidem Christianam amor, plurimi vt ad Christum per Baptismi ianuam transire cuperent, pijsque Catechismi carminibus ac beatis vocibus IESV & MARIAE littora campi, luci perstreperent, & orationem Dominicam, salutationem Angelicam & Symbolum Apostolicum aliasque precationes suaui voce mo-

ce modularentur. Ipse denique Spiritus sancti ignis adeo per Brasiliam exarsit, vt non ita multis interiectis diebus, septingenti octingentive baptizari vellent, sed non nisi centum admissi primò, ceteris maturiores & magis idonei. Is baptismus quanto maximo licuit apparatu pompaque celebratus est. peracto paschate, qui præcipuè dies, vetere Ecclesiæ instituto, sacris eiusmodi sunt destinati, ceteros catechumenos ad septingentos, dum ampliùs erudirentur, in aliud tempus, quamquam ingemiscentes & impatientes moræ, differri placuit. Sed humani generis hostis felicem rei Christianæ progressum & prospera rerum initia videns, vti neophyti pene omnes in morbum alui oculorumque ac varios casus inciderent, effecit. Hæc magi videlicet ad baptisma inuidiosè transferre, Christianam religionem sugillare; lauatione illa tentari valetudinem, doctrina ac prædicatione pestem ac perniciem populis importari calumniabantur. Sed ipsorum mendacia & improbitatem Dei beneficio reddita mox Brasilijs firmitas, apertè redarguit. ea recepta, instit ere cum alijs, monitu Patrum, oratoria sacrasque ædes publicè exstruere, quò ad sacra, conciones & catechismum vndique conuenirent. Duæ duobus in locis, magno Christianæ rei bono, diuinæ gloriæ augmento, & animarum salute excitatæ. Agitatum etiam à Patribus vti sparsos per tuguria indigenas, in pagos & opida cogerent, vt cultui ciuili assuescerent, aliquam reip. formam seruarent, legibus, & magistratibus cætus suos temperarent, terram colerent & à ferino cultu ad humaniorē transirent; quod de Theseo Athenarum cōditore narrat Græcia. Nec caruit consiliū euentu, multi enim, vt breui dicetur, ad ciuilem transeuntes cōuersationem, in vnā remp. coaluerunt.

c. duo tempora de cōsec. d. 4.

Neophyti, bina ædificant templa.

Interim adolescentes aliquot Lusitani, qui in Brasilia iam dudum habitarant, viso Patrum operâ plurimos barbarorum ad Christum accedere, pio acti tum suæ, tum Brasilensium salutis procurandæ desiderio, in Societatem IESV ascribi petiere. Quos inter eminuit Petrus Correa, nobili in Lusitania ortus genere & Lusitanorum Brasiliensium facile Princeps, qui priusquam eò appellerent Patres, plurima barbaris irrogarat mala. Oram enim Brasiliensem naui oberrans, & militum quam ducebat manu in terram descensione facta, barbaros, ferarum instar insectabatur, captosque in Lusitanorum præfecturas venales abducebat, vt in saccaro parando alijsque rebus domesticis operam præstarent: Insigne se Deo hac ratione obsequium præstare credebat, dum barbari Lusitanorum consuetudine ad humanitatem paulatim, ac non rarò etiam ad Christianam fidem conuerterentur. at postquam rei huius iniquitatem à Patribus didicit, quòd innocuos nullaque noxâ captiuitatem promeritos excruciaret; quam irrogarat iniuriam, omni quo poterat beneficio reparare contendebat. Societati itaque IESV adscribi voluit, vt omni studiò, spirituali barbarorum commodo consuleret. Respondit voto euentus, reliquo enim quo superuixit tempore, non industriam modo & sudorem, verum etiam vitam ac sanguinem, vti iam iam narrabimus, illorum saluti procurando, impendit. Linguam patriam ita percallebat, vt ipsi Brasilij eloquentiæ eum doctorem appellare non vererentur.

Societati ascribitur Petrus Correa.

Quod nō Patribus modò, qui illo doctore facilius Brasiliensem sermonē addiscebant, sed maxi-

mè barbaris mirabili adiumento fuit, quod, quâ pollebat sermonis elegantia fidei mysteria apertiùs declararet, eorumque captui dissereret accommodatius. Atque hæc hactenus Prætore Sosa gesta sunt; sub cuius discessum, ortum Lusitanos inter & Saluatoris opidi accolas Brasilios iurgium; liberum & felicem Sacri Euangelij cursum non parum infregit, ac ab incepto tumultuosè deturbauit.

Iurgium inter Lusitanos & Brasilios.

Cùm enim ab Ioanne Rege Brasilij defecissent, edocendi illos nulla suppetebat ratio. Secuta mox quies; perque eam tranquillitatem liberior excursus Euangelio patuit, & ea qua priùs in barbarorum conuersionem sudatum est diligentia. Sosæ Prætori iam successerat Eduardus Acosta, & peroportunè cum eo insignes aduenerant è Societate IESV viri ac noui in vineam Domini operarij, Ludouicus Grana, Blasius Laurentius, Gregorius Serranus & Ioannes Gósaluius genere Lusitani, Antonius Velascius Castellanus, & qui prouinciam deinde rexit, Iosephus Anchieta Cantaber. Hisce adiutoribus regnum Christi mirificè propagatum, & institutæ aliquot locis Ecclesiæ, atque in pago præsertim cui Paratininga nomen, atque hic etiam insigni miraculo Deo prædicationi fidem adstruere visum; hoc modo res contigit: Bello inter Paratiningenses & finitimas gentes exorto, cùm illi in aciem exissent, nec opinata multitudine hostilium copiarum exterriti fluctuabant, & quo se verterent ignorabant animum despondentes: Erat in exercitu virilis ac imperterriti animi fœmina, maritum, qui etiam militiæ nomen dederat, secuta, paulo antè sacro lustrata baptismate.

Sex Patres Soc. in Brasiliam veniunt.

Hæc perculsos metu conspicata viros magno animo hortatur, vti signo Crucis Christiano more se muniant, ac prœlium sine dubitatione committant, victoriam certissimè relaturos. Factum vti monuerat, & signo crucis dæmonibus etiam metuendo vniuersis communitis, dempto pauore tantus repente ardor animi atque fiducia cunctis iniecta, vti alacres ac celsi pugnam inierint, magnaque edita strage, hostem in fugam auerterint, intacti omnes, duobus tantum exceptis, qui salutaria piæ mulieris præcepta contempserant; sagittis ambo confixi, alter postmodum occubuit.

Lusitani auri fodinas explorant. Sub hæc ad auri venas inuestigandas Lusitani milites cum fabris in mediterranea Prætoris iussu profecti. Eorum animis Azpilcueta pastor adiunctus superiorum voluntate. Ij per multos errores, varijs vt assolet, conflictati miserijs & ærumnis, denique ad Saluatoris vrbem rediere, nullo tantæ operæ pretio; non ditiores, sed fracti & laboribus exhausti. *Azpilcuetæ obitus.* Azpilcueta enim è summis laboribus ac lassitudine morbum contraxit, quo sensim absumptus est, donec corpus tumulo, animam Deo, vt piè credimus, reddidit, laborum ac sudorum ob Christi nomen toleratorum in Brasilia, præmium in cælo percepturus. Vitam enim vixerat laudabilem, & multam in vinea hac Brasiliensi molestiam subierat, vnde magnam Lusitanis pariter ac Brasilijs desiderium sui reliquit; quòd enim magna illos comitate facilitateque doceret, mirificè erga illum afficiebantur.

Carigij & Ibiragiari populi Americæ. Interea exciti famà rerum, quæ à Patribus gerebantur in Brasilia, Carigij & Ibiragiari populi Americæ interioris, dociles mitesque natura, Christianæ Religionis præstantiam adamauerant, Castellanis præsertim hortantibus, qui ad

Para-

Paragaium omnem, (qui & argenteus, aut saltem ex eo defluit) sedes habebant. Nec dubitauêre Carigij amplius ducenti, aliquot Hispanis admissis, qui interpretis partes agerent, audiendi Euangelij ac Baptismi petendi causa (crescente indies desiderio) in Vincentiana Præfectura Patres adituri, à sexcentis passuum millibus, iter periculosum ignotumque per feras & barbaras gentes capessere. Sed pericula negligebant, quo fidei fieri possent compotes. Sed bonæ piæque voluntati breuiori compendio satisfactum. Baptismo enim sanguinis, loco aquæ lustrati sunt, nec ad fidei lumen quod ardenter quærebant, sed gloriæ & immortalis beatitudinis perducti, atque iter suum optatissimo fine conclusere. à Tupinaquinis enim vel Tupiniquinis diræ immanitatis gente intercepti ac trucidati, labes criminum suorum cruore, loco baptismatis, ob piam qua iter hoc susceperant, intentionem, expiarunt. Tantam generositatem præ se ferentes, ac tanta beatitudinis æternæ concepta fiducia, vt inter ipsam necem percussores in hæc affarentur verba; Vos quidem arbitratu vestro, carnifices, fluxa hæc & olida membra cõcidite. animas certè non prohibebitis, quò minus ad conditorem suum ascendant. Per hunc modũ mactati plerique, alijs vincula indita, vt saginati dein, mactati mensæ inferrentur. Vnus è Castellanis dumtaxat elapsus, cùm ad Sancti Vincentij coloniam peruenisset, cuncta Patribus ex ordine retulit. Missus extemplò ad Tupinaquinos haud sine aperto vitæ discrimine Petrus Correa, linguæ Brasilicæ, vt suprà diximus, bene peritus, qui barbaros flexanima sua oratione demulceret, & ad captiuos nondum mactatos liberandos adhortaretur. Tam felicem res successum habuit, tantumque apud efferam &

Ducenti illorum fidem doceri volẽtes longũ iter instituunt.

In via occisi à Tupinaquinis.

Nonnulli in captiuitatem abrepti.

Qui à Petro Correa liberãtur.

 san-

ſanguinariam gentem momentum viri eloquentia, vt Caſtellanos duos exemptos è cuſtodia in Braſiliam perduxerit incolumes. Ceterum ipſe Carigiorum indole magnopere delectatus, vtpote qui multa de ijſdem audierat, illā ſibi prouinciam à Nobrega depoſcit, quò eam aratro fidei ſubigeret, & Chriſto lacrifaceret. Nobrega haud abnuit, ſociumq; illi addidit Ioannem Soſam culinæ domeſticæ præfectum, virtutibus eximium, ſobrietateque, patientia animique demiſſione excellentem. præfinito ſpatio temporis, intra quod redirent, feſtis ſcilicet natalibus anni M. D. LIV. Multa in itinere ambo perpeſſi, nec ſine aperto vitæ diſcrimine, tandem in Carigiam peruenēre; mox fidem & Euangelium promulgantes magnos animorum motus fecerunt, non plebe tantum, ſed primoribus quoque à patria vanitate magis indies ad ſtudium Chriſtianæ veritatis & baptiſmum ſuſcipiendum accenſis.

Magnum fructum faciunt.

Ab eo munere dum ad Socios euocandos Braſiliam repetunt, ad diem quem Nobrega peregrinationis terminum præfixerat, præclara vtrique tanti ſudoris atque operis pro Chriſti nomine exhauſti, præmia diuinitus perſoluta, hunc in modum. Veterem quemdam Caſtellanorum interpretem ſecum duxerant, quem paulo antè Correa captum à Tupinaquinis, & in epulas de more ſaginatum ex eorum faucibus eripuerat. Magna huic erat cum Carigijs conſuetudo & auctoritas varijs artibus & mira calliditate quæſita, interea dum cum Correa hic ageret. Ab eius impuro conuictu quòd Correa, tollendæ publicæ offenſionis cauſa, apud Chriſtianiſmi candidatos, concubinam euulſerat; ira percitus ille & immemor acceptæ ſalutis (adeò hominem veſana excæcat

Ingratitudinis exemplū.

cæcat libdio) insimulare Corream ac Sosam apud Carigios instituit, & in summum odium adducere, quasi cum hoste vicino in eorum perniciem conspirasset; & periculum imminens declarare, si indemnes abire permittant. Carigij, clementi alioquin ingenio nec vafri, credere impij veteratoris dolo, & insimulatione Castellani, proditionis metu magis Corream & Sosam odisse & suspectos habere, quàm priùs dilexerant. S. Vincentij igitur coloniam dum repetere intendunt ad Socios euocandos, quo cõmodiùs instruerentur Carigij, ethnici aliquot in itinere interceptos adorti sunt nihil minus cogitantes, nec tale quid de barbaris suspicantes. Brasilios primum duos, qui cum ijs ambulabant, dein Sosam nixum illico genibus & in preces effusum Deoque animam commendantem, sagittis eminus impetentes interimunt; Postremò in Corream ipsum arcus intendunt. is aliquot iam acceptis vulneribus, cum eos placido nihilominus vultu ac sermone lenire conaretur, contrà illi pro verbis spicula redderent; flexis item ipse genibus, baculo abiecto, manus oculosque tollit in cælum, peccatisque hostium ingemiscens, inter supremam deprecationem densatis ictibus exspirauit, gloriæ immortalis laurea decorandus. Videamus interim quid in Brasiliensium salutem concipiant Europæi.

CAPVT XXV.

Vnde quadraginta socij, vnà cum Ignatio Azeuedo in Brasiliam nauigantes, ob fidem Catholicam à Iacobo Soria & alijs Caluinistis Rupellanis interimuntur.

Ignatius Azeuedus in Brasiliam visitator mittitur.

FRanciscus Borgia Gandiæ Dux cum Societatis Iesu membrum, in illius caput anno seculi superioris sexagesimo quinto electus esset, omnesque prouincias, ad quas illa palmites extenderant, pro voto visitare commodè non posset, alios qui easdem suo obirent nomine, delegit. Interfuit Ignatius Azeuedus portu Calensi in Lusitania oriũdus, vt virtute sic & genere illustris. hunc in Brasiliam, vt socios in eiusdem vinea impigrè non sine vitæ periculo laborantes, consolaretur, destinauit; cui imprimis cœptam Brasiliensium conuersionem commendauit, ceterum Azeuedus probè suo functus munere, in Lusitaniam redijt, cuius vt ratio Francisco Borgiæ tamquam Societatis capiti constaret, Romam versus proficiscitur. Hic segetem quidem magnam esse benè narrat, & ad messem albam, operarios verò paucos, qui animos cælesti imbuerent doctrina. Quapropter dum per Lusitaniam Romam peteret, multos reperit adolescentes tum è societati iam adscriptis, tum etiam sæculares in Eborensi academia operam litteris dantes, qui summo eum studio rogabant, vt si quando in Brasiliam rediret, socios se assumeret, atque hoc à Generali Romæ deposceret, velle enim se & corporis & animi vires diuinæ gloriæ & Brasiliensium saluti impendere. In reditum suum omnia

reiecit

reiecit Ignatius, & iter Romam eſt proſecutus. Generali muneris ſui ratione reddita, inopiam operariorũ & Braſiliorum neceſſitatem aperuit; regionem enim eſſe capaciſſimam, & per varia Chriſtianos ſparſos eſſe loca nimium quantum inter ſe diſſita, nullum quoque eſſe qui Braſilienſes fidei myſteria edoceret, quàm Socios. Quocirca videri ſibi expedire imprimis, vt ibidem in ſocietatem adoleſcentes adſciſcerentur, neque enim tot quotannis ex Europa operarios, quot ſanè requirerentur, mitti poſſe; domumque Nouitiorum in Braſilia, & ſeminarium quoddam in Collegiis Societatis erigendum, in quo iuuentus tum virtutem tum literas edoceretur.

Placuit Franciſco Braſilicæ meſſis fœcunditas & Azeuedi conſilium, interim vero dum nouitiorum domus & ſeminarium erigerentur, præſenti neceſſitati ſuccurrendum cenſuit. In Braſiliam itaque iuſſit vt reuerteretur Prouincialis, & ex omnibus Hiſpaniæ prouinciis comites colligendi qui ſe ſponte offerrent, facultatem conceſſit. Permiſſum item Tyrones aliquot, qui ad eam expeditionem ſe vltrò darent, ſed delectu habito, in Societatem transſcriberet ſecumque duceret. Non enim abundabat tum Societas operarijs qui in Braſiliam traijcerent, prægnantibus quæ pręmanibus haberet abiectis negotijs; tum quòd adoleſcentes eo potiſſimum mitti expediret; quò facilius & cælo barbaro & linguæ patriæ aſſueſcerent. Azeuedus rebus ex animi ſententia Romæ peractis, antequam abiret, Pium V. adire Pontificem voluit, illius pedes ſupplex exoſculari, benedictionem expoſcere, ſimul & indulgentias. Humanè illum Pontifex excepit, plenariamque tum illi tum omnibus Braſilicæ expeditionis

Sociis, solum Dei honorem spectantibus indulgentiam concessit; cereos illi agnos multos dedit, Reliquias plurimas, inter quas caput vnius ex vndecim millibus Virginum; quin & imaginem Deiparæ, ad imitationem illius, quam D. Lucam pinxisse traditur, & Romæ in Basilica B.M. Maioris visitur, depictam, quam plurimi Azeuedus faciebat, & merito.

Nulli enim hactenus mortalium concessum illius effigiem exprimere, quo maior Imaginis Romanæ cultus & reuerentia foret. In Hispaniam itaque traiecit, & collectis vndiquaque expeditionis Sociis, tandem in Lusitaniam venit, in qua plurimi in comites adscribi voluere. Adeò vt ad vndeseptuaginta omnium simul numerus ascenderit; erant hos inter aliquot Sacerdotes & plurimi tum Philosophiæ tum etiam Theologiæ operam dantes, permulti etiam in Coadiutores rerum domesticarum assumpti. Erat inter ceteros & pictor eximius, qui quatuor imagines ad imitationem prioris depinxit, quarum vna Collegio Conimbricensi, altera Eborensi, tertia domui Professæ S. Rochi Olyssipone cessit, quarta in Brasiliam auecta.

In Valderosal congregantur omnes qui in Brasiliam ituri erant.

Quod verò classi, qua veherentur, futurus Brasiliæ Prætor præesset Azeuedus, interea dum nauis sua portu & aliorum aptarentur, Socios omnes in Valderosal, quæ domus rustica ad Collegium Olyssiponense spectabat, collegit. Interim verò dum ad iter necessaria comparantur, Angelicam hic omnes traduxêre vitam. rerum enim cœlestium meditationi & orationi, librorumque diuinorum lectioni se totos impendebant; non deerant pia pœnitentiæ opera, ieiunia, flagellationes, cilicia, aliaque huiusmodi quibus

quibus se ad iter Brasiliense, cœleste potiùs, quò per Martyrium (vti iam iam referemus) peruenêre, præparabant. Et sanè videbitur ad certamen illos præparare & vires suggerere Deus; diuinis consolationibus demulcere, oleoque lætitiæ athletas suos vngere voluisse, quò maiori constantia generositateque decertarent; vt maiorem se animi lætitiam quietemque vmquam sensisse Azeuedus negaret. Testabantur idipsum quas huc & illuc mittebat litteræ, pietatem ita spirantes, vt quicumque eas legeret, nescio quo entheo interius ardore se corripi sentiret. Cum profectionis instaret tempus, nauis illius portu nondùm appulerat, cetera tamen classis & Prætor ipse in procinctu erant.

Azeuedus, si fortè nauis sua moram æquo longiorem traheret, cum alia classe nauigare constituit, dolebat tamen, Socios, quos nauis illa adueheret, non adesse; orat itaque Deum, simul omnes vt proficiscantur. Cum illis itaque quos penes se habebat, Olyssiponem properat vt cum reliquis quos Prætor duceret, quod propria nauis tempore non adesset, nauem conscendat.. *Inde Olysiponē veniunt.*

Distribuerat iam suos per nauigia Azeuedus, cum nuntius affertur, nauem, quam in Portu Calensi adaptarat, cum Sociis appulisse. Quo ille mirificè recreatus fuit; dolebat enim illorum se Societate destitui. Sarcinas itaque per nauigia dispertitas in hanc, quæ à Sancto IACOBO nomen habebat, tansferri imperat, quam ipse cum quadraginta & quatuor Sociis conscendit, PETRVM DIAZIVM cum viginti aliis prætoriam, & Franciscum Castrium cum reliquis aliā *Tres in naues distribuūtur*

quam

quam orphanorum (quod adoleſcentes & puellas parentibus peſte ſuperiori Olyſſipone extinctis orbatos, quos in Braſiliam ad gentem propagandam rex abduci iuſſerat, veheret) dicebant, voluit conſcendere. In tres itaque naues ſocij omnes diuiſi, vnde ſeptuaginta in vniuerſum erant, præter eos qui eo animo comitabantur, vt in Braſilia in Societatem adlegerentur. Collegiorum itaque ordinem in naui ſua ſeruari voluit Azeuedus, quòd ipſe mediam illam adornarat; quocirca hinc & inde habitacula plurima parauerat, & in alueo illius locum peruium, qui refectorij vicem suppleret. Rem quoque culinariam ipſe in ſe ſuſcepit, vt interim Socij charitatis humilitatiſque opera cibum omnibus, qui naui vehebantur, parando exercerent. Signum orationi dabat campana, aliiſque pietatis & domeſticis exercitiis, vt in Collegiis fieri ſolebat. Doctrina Christiana quotidie nautis, vectoribuſque proponebatur, quod docendi munus primis diebus ipſe obiuit; cui omnes nauicularij, etiam nauarchus, pro eo quo eum proſequebantur cultu, haud grauatè intererant, & pueruli more interrogati, reſpondere non recuſabant. Sanctorum Litaniæ ſub veſperam muſico concinebantur modulamine, cui omnes etiam nautæ militeſque intererant. Solemniorib. diebus ac Dominicis adornabat in ſumma puppi altare, quod ſacro apparatu, quem naui plurimum deuehebat, inſtruebat: huic Deiparæ imaginem Roma allatam ſuperimponebat, magnaque ſolemnitate ſiccum quod dicunt ſacrum hic concinebat. Neque enim fas eſt, ex Eccleſiæ præſcripto in mari conſecrationem peragere. Quæ verò elata pronuntiari in ſacris voce ſolent, muſico concentu canebantur. Miſſæ ſacrificio peracto, exuta caſula, exhortationem publicè coram omnibus habebat,

Pietas omnium qui claſſe vehebantur.

habebat,& vt plurimum de charitate,qua anima illius internè æstuabat. Hinc tanta nauiculariorũ omnium erat modestia,morumq; grauitas, vt Religiosi viderentur. magna siquidem & eximia inter se deuincti erant caritate,nullaq; inter eos æmulatio,discordia,nulla fabula lasciuior. Singuli magno ardore concionibus interesse,rosaria percurrere,aliaque pietatis exercitia peragere. Nec hac solum naui hæcce fouebatur pietas, sed eamdem alij duo Patres in aliis omni studio promouere conabantur.

Septimo igitur Iunij Anno M.D.LXX.classis,quę sex constabat nauibus Olyssipone soluit, cui cum sũmo imperio præerat Ludouicus Vascõzellus,futurus etiam Brasiliæ Prætor, vir profectò eximius, qui non parum sibi de Religioso hoc sodalitio gratulabatur. Septimo ergò pòst die in Maderam appellunt Insulam ; hic Azeuedus cum aliquot suorum ad Collegium Soc. Iesu,iam recens institutum diuertit, magno à sociis charitatis signo exceptus. Viginti hic diebus classis substitit, interim socij per vices ad Collegium concedebant. Quòd verò nauem D. Iacobo sacram, quam Azeuedus cum plerisque suorum conscenderat, ad Palmam insulam, de numero Fortunatarum, appellere, merces aliquas vt exponeret, ideoque à reliqua seiungi classe,quæ in Madera aliquot adhuc hærere diebus debebat,oporteret, vt hac exonerata,cetera interim appelleret classis; Azeuedus cum piratas Rupellanos omnem illam oram oberrare & infestare inaudiisset, periculi imminentis omnes certiores redditos, ad Confessionẽ peccatorum & sacram Synaxin peragendam, antequam vela darent, exstimulauit, vt si opus foret,ad mortem paratiores forent. Primum ad se socios singulos euocat, & periculum à piratis imminens

Ludouicus Vasconzellus classis præfectus Brasiliæ Prætor.

minens declarauit, qui quod iuratiſſimi Catholicorũ forent aduerſarij, non merces modò, ſed vitam etiam ipſam erepturi eſſent. Quocirca ad mortem ſe, ſi opus foret pro fide ſubeundam pararent; & optionem dedit omnibus, vt ſi quis mortem oppetere metueret, in Madera permaneret.

E quadraginta & quatuor, qui naui vehebantur, quatuor dumtaxat ceſſerunt metu, & cum reliqua claſſe in Madera ſe manere malle dixerunt. Nec abnuit Azeuedus. reliqui ſuum intrepidè ducem ſecuti, nullum ſe periculum vereri aſſerentes proprium etiam obtulerunt ſanguinẽ. & ecce, quatuor illi effeminatioris animi, qui mortem exhorruerant, voto vocationique Religioſæ ceſſerunt ad ſeculum redeuntes. Adeo incomprehẽſibilia ſunt Dei iudicia, vt verũ dixiſſe Franciſcum Xauerium hinc manifeſtum ſit, nullum ad metum & terrorem ſeperandum eſſe medium efficacius, quàm nihil metuere ſed animo imperterrito, ſpe in Deum coniecta, ſeſe diſcrimini vltro obijcere; quòd dæmon eiuſque aſſeclæ nocere nequeant, niſi Dei permiſſu, qui vltra vires nos tentari non ſinet. Animũ enim in periculis & caſibus dubijs qui deſpondet, hoſti ianuam, qua percuſſurus & gratiam cælitus datam ablaturus ingreditur, patefacit; vti hiſce notitijs factum videmus; qui quòd integrè ſe aliorum exemplo, in Dei manus nõ reſignaſſent, illius auxilio opeque, parum freti, paratam martyrij lauream, ſimul & religionem, ad quam tam ardenter priùs aſpirarant, amiſerunt. Reliqui ſocij, ac vectores confeſſione ſunt rite expiati, ac refecti pane cæleſti, peruigilio Principum Apoſtolorum, miniſtrante Ignatio; qui & agni cereas imagines,

ſancto-

sanctorumque Reliquias Roma allatas diuisit, & ad fidei constantiam Deique cultum singulos est adhortatus.

Postridie igitur festi Apostolorum nauem conscendentes, & reliquis valedicentes, mutuum amplexi sunt, tanta vtrimq; lachrymarum copia, quasi supremum fore vale augurarentur. Nauis itaque Palmam insulam petens, septem primis diebus felici vsa est vento: interim frequens & vnus omnium erat de Martyrio sermo, & præsertim Azeuedi; suum singuli desiderium manifestantes, & ad ipsum alter alterum sæpe animantes, hisce similibusue verbis: Vtinam hocce in itinere nobis propinet DEVS, quàm magna locorum distantia pro Christi fide mortem petimus. Ecquænam nostra foret felicitas! ô diem fortunatissimum! quàm optabilis hic foret, in fortunatas insulas, in cœlo non terra sitas, aduentus! Dum his aliisque verborum stimulis ad mortem se mutuo excitant, duabus à Palma distabant leucis. Hic subito aduersus exortus turbo nauem à portu dispulit, sed tandem ad alium Insulæ portum, cui à Tertia cohorte nomen, appulit, commodum Palmæ portum primarium, in quo merces exponeret, intrandi ventum exspectatura.

Ignatius cum suis versus Canarias nauigat.

Palmam appellit.

Inciderunt hic fortuito casu in nobilem & diuitiis spectabilem virum, qui Ignatij contubernalis iam olim in portu Calensi fuerat. Gauisus hic inopinato Ignatij aduentu, domum (quam lautam hic habebat) illum suum deducit benigneque cum Sociis aliquot diebus fouit. Hic discessurum rogat terrestri vt itinere Palmam, nonnisi triduano itinere distantem adeat, equos se sociis omnibus liberalissime sub-

A nobili viro benignè excipitur.

ſubminiſtraturum; ſin minus periculum eſſe ne in piraticos myoparones nauis incidat, & fore vt vix poſt dies aliquot, ob ventum aduerſum, hac anni tempeſtate diutius hic ſpirantem, portum inueniat. Quid ageret dubitabat Ignatius; hinc enim optimi viri beneuolentia exigere iure ſuo videbatur, conſilium illius vt ſequeretur, illinc verò, ſocios & nauem deſerere graue videbatur. Cùm fluctuantem videret nobilis, ità illũ verbis permouit, vt benè conſulenti auſcultaret initio decreuerit Ignatius, & ea ipſa nocte ſarcinas quaſdam naui eduxerit, poſtridiè cum ſociis terreſtri itinere Palmam aditurus; ſed priuſquam in viam ſe daret, confiteri & ſacram recipere omnes Euchariſtiam voluit, in eo quod ipſe peragebat ſacro. Quid ſacrificanti inſpirarit Deus, neſcitur. ſed ecce ſacro peracto, animum mutaſſe viſus eſt. Quocirca ſarcinas ad nauim referri imperat, nauigio iter facturus. Singulari hoc Dei reuelatione & inſtinctu factum quis neget? magni ſiquidem ponderis negotia, de quibus dubitabat, illi commendare in ſacris pro more habebat; quod eum hic præſtitiſſe nemo ambigit, vtpote vt vnde inſtantis martyrij corona dependebat. Actis ergo viro nobiliſſimo gratiis, & valedicto, nauem iterum die Iouis manè, conſcendit. Magno igitur amfractu inſulam biduo circumnauigantes, die Sabbathi ſub auroram duabus aut tribus à Palmæ portu ſe abeſſe leucis conſpexerunt. hic ſpeculator nauem maiorem eminus conſpicari, quæ rectà in eos curſum dirigeret; mox & quatuor minores apparuêre. Creditum initio prætoris Braſilij claſſem eſſe, ſed propiùs in conſpectum cùm veniret, Gallica patuerunt inſignia, cognitumque dein eſſe nobiliſsimi piratæ omne illud mare infeſtantis myoparones. Iacobum Soriam dice-

Cum Deo in ſacro rem magni momenti cõmunicat.

Iterum nauẽ cõnſcendit.

dicebant Lusitani, sed se ipse Sorum; Normandus erat è comitatu Euensi, haud procul à Ponte Orsonio. Caluiniana inspersus labe, in Papistas (id est, omnes, qui Papam Romanum vt supremum Ecclesiæ caput venerantur ac suspiciunt) infestissimo odio incurrebat; quos exagitaturus Rupella cum quinque nauium classe mare conscenderat. Vnica rostrata ac prætoria trecentos continebat milites armis exercitatos, & tormentis maioribus erat instructissima. Antequam porro ad Canarias insulas veniret, haud procul à Madera in ancoris steterat: quarta namque Iulij nuntiatum est, Soriam quinque dumtaxat leucis à primario portu, in quo Brasiliensis stabat classis, abesse. Quem vt inuaderet, decem ilicò parari naues iubet Vasconzellus; quarum aduentum metuens Soria in fugam se dedit; quem loco pepulisse contenti Lusitani, vlterius insecuti non sunt. Soria inde Canarias petit, & ante triduum in Palmæ conspectum venit, quo Azeuedi nauis quindecim dierum non potuit peruenire spatio, cùm tamen vix octoginta sit leucarum interuallum, & parum onusta foret nauis; Sorianis tamen oneratis quàm maximè. Studio hæc ita disposuisse videtur diuina clementia, quò martyrij corona plerosque vectorum donaret. Nauarchus mox omnes armis ferendis idoneos conuocari iubet, quid facto opus, sciscitatur. Ad mortem vsque decertaturos se spondent omnes, cùm aduersus fidei Catholicæ hostes res ageretur. & sanè vix quadraginta armis assueuerant. adhortatur singulos igitur ad pugnam Azeuedus, vt, cùm aduersus iuratos fidei & Ecclesiæ hostes confligendum sit, vitam & sanguinem quàm libentissimè in illius defensionem, impendant, Christianoque ritu

Piraticas vident naues.

occumbant. Deinde ad Socios suos conuersus, sic forti animo postremum appellat, hodie omnes, fratres dilectissimi, ita mihi cor salit, vita migrabimus diuinisque in cælo epulis cum Christo, & B. Virgine ceterisque cælitibus fruemur. Præclarius certè nobiscum agetur, cæli quam Brasiliæ portum tenentibus. Orationi itaque intenti, ad mortem feliciter subeundam nos comparemus, quando hunc nobis supremum illuxisse diem ad vitam æternam promerendam credo; ob illius amorem vitam impendamus. Illi mox manibus oculisque in cælum sublatis, vnanimi inclamare voce, Amen Domine, fiat tua in nobis voluntas, tibi ecce vitam & sanguinem quàm libentissimè dedicamus. Appellit interim cum rostrata Soria, cuius impetum Lusitani excipiunt. tum Ignatius assumptis secum decem aut duodecim suorum milites compellare, & ad fortiter rem gerendam, haud procul à malo consistens, Deiparæ imaginem Roma allatam brachijs gestans, animare. Ceteros infernè precibus vacare iubet, quibus Benedictum Castrium, velut nouitiorum directorem præfecit.

Soria interea Prætoriam Lusitanam oppugnatam hostiliter inuadit. Ascendentiũ primus fuit nauarchus cum alijs duobus, quos præfectus nauis Lusitanæ violenter depulsos, in mare præcipites dedit, qui vulnerum & armorum grauitate mox fundum petière. Primum impetum parum felicem excepit alter, item tertius; sed frustra. Lusitani enim animose hostem propulsabant; donec quatuor alijs nauibus circumdati tandem victi cessere; cum hinc & illinc variisq; in locis quadrageni simul nauem ascenderent. Defendere se gnauiter Lusitani, & Azeuedus illos

illos ad fortiter agendum exhortari, Moriamur; inquit, charissimi & ad vnum omnes ob Christi nomen ac fidem, quam hi cane peius & angue odêre, occumbamus Quam animantis orationem non ferens hæreticus, qui nauem conscenderat, tam grauem capiti Azeuedi ictum infligit, vt ad vsque cerebrum diffinderet. At non ideo ab animando destitit, aut loco cessit, sed immotus mortem operiens tribus confossus spiculis, hæc ingeminans cadit, Testes, inquit, appello mortales & Angelos, me pro fidei, Catholicæ Romanæ professione occumbere, à qua ne latum quidem vnguem resiliendum puto. *Azeuedi obitus.* Quamuis postratum iam ducem cernerent, ceteri, non idcirco animis fracti conciderunt, sed lachrymabundi accurrentes supremam ab eo benedictionem postularunt. quos ille complexus & respiciens ait, Filioli, mortem ne expauescite, sed gratias Deo agite, quòd vestram vos vitam, suum in obsequium; fecerit impendere: cumque adeo fidelem testem; tamque munificum nacti simus remuneratorem; animum ne contrahamus; aut metu fracti ex ipso nos subducamus certamine. Hæc effatus animam reddidit, Deiparæ imaginem brachijs stringens, quam euellere cum hæretici non posset; vnà cum illa, furore & amentia æstuantes, in profundum pelagus præcipitem dedêre. Reliqui viso ducis exemplo, qui viam calcarat, & primus mortem oppetierat, eidem animosè ac fortiter se obtulere. Atque inter primos Benedictus Castrius; qui infernè orationi cum ouiculis sibi concreditis incumbebat, audito hostem nauem inuasisse, arrepta Christi de cruce pendentis imaginem proram

Benedicti Castrii. petit, circa quam res omnes agi videbatur; hinc hæreticis redemptionis nostræ signum ostentans, animosè ingeminat, Catholicus sum, Ecclesiam Rom. matrem agnosco, & illius mori filius volo. quibus piratæ irrirati vocibus, tribus illum glandibus traiecerunt; sed non idcirco concidit aut quieuit. igitur ferro pu[illegible]tim cæsimque confodiunt, & seminecem naui deturbant. Emmanuel Aluarus, qui Lusitanos ad fortiter agendum exhortabatur, & hæreticorum arguebat vesaniam ac furorem, secundum faciem vulnus accipit; mox tabulato affigitur, brachia cruraque confringitur, ossaque colliditur; vtq; lentius & diuturnius mortis genus esset, non exstinguitur. Cum morte igitur conflictans, ad Socios conuersus, ait, *Emmanuelis Aluari.* Nolite fratres, cruciatibus meis compati, sed forti potius inuidete. Nullo enim meo merito singularem hanc mihi gratiam præstat Dominus, vt pro nomine ipsius hæc perferam. Quintus decimus iã agitur annus quo ingressus in societatẽ, & abhinc decennio Brasiliensem profectionem petiui, ad quam me diligentissimè paraui, & sanè optimam me laborum mercedem hoc tam beato fine consecutum arbitror. Indignantes fremebant adhæc hæretici, & animam agentem in maris fluctus præcipitem dabant. Quòd vero duo sociorum interea ante imagines, quas illi adeò detestantur, flexis genibus Deum orarent, in rabiem acti hæretici, gladiorum capulos Blasij Riberæ *Blasii Riberæ & Petri Fonsecæ.* cranio illidunt; quo ex vulnere consternatus, eiecto cerebro, exspirauit: Petro vero Fonsecæ vel Fontaureo miles os pugione confodit, maxillamque soluens interimit. Iacobus Andrada qui *Iacobi Andradæ.* Ignatio in munere Prouincialis succenturiatus erat, confessionem interea nonnullorum sociorum excipiebat; quem deprehensum piratæ, cogni-

cognito hinc, sacerdotio illum initiatum esse, maiorem in illum sæuitiam ostenderunt, atq; eo magis quòd socios hisce ad mortem verbis animaret, parate animas, fratres, vestra enim imminet redemptio. Pugionibus igitur confossum in pelagus spirantem adhuc præcipitant. Hæc dum strages fieret, duo ex morbo tædioque nauigationis languentes, lectulo quàm ægerrimè se proripiunt, tunicâ leniter superinduta, ac nudis pedibus ad laniena properant locum, ne tam eximia corona frustrarentur: quocirca vnà cum alijs eamdem ob causam necem passi sunt, quamuis fallere ac latere potuissent, itaq; discrimen euadere; sed palmam martyrij & gloriæ coronam maluerunt, quàm diutius in hoc vitæ agere ergastulo; Gregorius Scribanus & Aluarus Mendez dicebantur. Simon Acosta quòd corporis dignitate generis quandam nobilitatem præ se ferret, cùm nonnisi decimum octauum ageret annum, Archipiratæ à militibus oblatus, interrogatusq; à Soria, Iesuitane esset? quamuis inficiando effugere & dilabi potuisset, mori tamen pro religione maiorum maluit quàm desertor videri. Socium se itaque & collegam aliorum cùm diceret, indignatus pirata in oculis ingulari & in mare proijci præcepit. Nauem itaque superatam hæretici deprædari, ac diripere singula, arcas & sarcinas effringere, quibus Azeuedus reliquias sanctorum, agnos cereos, rosaria & apparatum sacrum incluserat; hæc ergo proferre & indignis modis profanare, imo nec sanctorum parcere Reliquiis, quas insigni cùm contumelia confringebant, pedibus per ludibrium proterebant, & horrendo sacrilegoque ore in Deum simul & Diuos blasphemias execrandas exonerabant. Atque in primis aduersus caput vnius è sodalitio gloriosæ

Gregorii Scribani & Aluari Mendez. Simonis Acostæ.

Hæreticorum sacrilegia in res sacras.

viraginis Vrsulæ, quod Azeuedo Pontifex Romæ dederat in neophytorum Brasiliēsium solatium. Erat hic & pars sacrosanctæ crucis, in qua redemptor Christus sanguinem pro humana salute effudit; flammis hanc inijciens vni sociorum etiam tum superstiti per contumeliam dicebant, Vide Papistice canis, vt ardeat. Eamdem impietatem aduersus imaginem Crucifixi, quam Roma Ignatius allatam diligenter asseruabat, quòd scitè & eleganter efformata esset, exercuêre, quam olim Iudæi aduersus Redemptorem Christum in ferali passionis tragœdia: Ipsam namque in sublime extollentes, per ludibrium prosam illam Ecclesiasticam canere cœpere, *O Christe sancte*, &c. mensæ deinde impositam sicarum ictibus traiecere, infinitis illam, & Christum proinde eadem figuratum, iniurijs & contumelijs prosciderunt. Vestes etiam sacras profanis contrectantes manibus, diripuerunt; quas vnus è turba per ludibrium indutus, sacras Missæ cærimonias est deridendo æmulatus, qui hostiæ loco agnum cereum sublimem ostentauit, quem deinde tabulato iniectum, ceteri rabie quadam satanica, pugione confoderunt.

Hæc aliaque sacrilegi rebus sacris irrogarunt ludibria, à quibus tametsi DEVS meritas pœnas non deposceret, facta tamen illorum probasse iudicandus non est. Sæpe namque impiorum differt supplicium, vt interim resipiscant; testabitur hoc vnus qui vicesimo tertio pòst anno ad mentem redijt. At Soria omnium caput & sacrilegi gregis corypheus oblatam cælitus gratiam respuens, in impietate obduruit. Aliquot enim pòst annis, in comitatu Euensi, impænitens diuinamque opem implorare negligens,

Soriæ impænitentia.

astan-

astantibus tamen consanguineis, ipsum maximopere efflagitantibus, in rabiem actus, magno omnium terrore scelestam anmiam efflauit. Testatur hoc Lusitanarum rerum compilator Gallus Caluiniani PseudoEuangelij minister apud Rupellanos.

Constat etiam, horum de numero quemdam, non sine singulari Dei prouidentia, multos post annos, Dolæ in comitatu Burgundiæ ad Catholicam fidem redijsse, idque intercessione gloriosorum Martyrum, vti olim in primigenia Ecclesia Stephani protomartyris Paulum Christo peperit deprecatio, dum vestes lapidantium custodiendo, in necem illius consensit. Porro hoc pacto rem euenisse docent annuæ memoriæ, Dola ad vniuersam Societatem, Anno Redemptionis millesimo, ducentesimo, nonagesimo quarto, quo res contigit, transmissæ. Hic cum hactenus Caluinistarum partes mordicus fouisset, & Deiparæ Basilicam ingressus esset, supplicationem in illius honorem institutam illusurus, subito horrore perculsus, totus cœpit contremiscere. Cumq; hoc in impietatis supplicium sibi euenisse sciret, mox vt sibi est redditus, Deiparæ, quam prius neglexerat, opem implorare, peccatum publicè cōfiteri ac detestari, veniamque commissorum postulare. Non repulit precantem Deipara misericordiæ mater, sed petitionis apud filium compotem reddidit. Debita enim veneratione Deiparæ impensâ, sanitatem non corporis solum, verum etiam animæ mox est consecutus: eiurata siquidem, omni qua poterat pietate, scelestæ vitæ impietate, ad ROMANAM & Apostolicam redijt ECCLESIAM. Verum iam ad lineam.

Vide Historiam Lusit. gallicæ edit. Lib. 20.

Conuersio vnius piratæ.

Naui ergo Lusitana Gallorum tormentis adeo diuerberata, vt periculum esset, ne præ aquæ sensim intrantis copia submergeretur; quotquot superant è socijs, pugnis & colaphis contusos sentinam exhaurire compulerunt. Sed non diuturnus hic labor fuit. Soria siquidem cognito aliquos Iesuitarum adhuc superesse, ad vnum omnes contrucidari iubet, alta inclamans voce, Pereant, pereant scelesti, qui falsam doctrinam disseminaturi, Brasiliam petebant. & propius cum rostrata accedens, militibus nauim dispolianti-bus occlamauit, Canes hosce Iesuiticos in mare deturbate. Milites ducis iussis obsecuti socios reliquos comprehensos, binos aut ternos colligatos, tunicaque exutos, & pugionibus hinc inde transfixos, in mare præcipites dederunt; nonnullis quoque manus aut brachia præcidentes, ne qua effugij natando spes reliqua foret. Sic triginta Socij vel nouitij, iuuenes omnes, nullo suo demerito, siue vllo conflictu, à Caluinistis interfecti, qui innatum aduersus Societatem vniuersam, odium ac iuratas inimicitias ita testati sunt.

Triginta Socii occisi.

Pepercerant tamen haud multo antè duobus Diui Francisci Monachis, & quidem concionatoribus, & binis Sacerdotibus Ecclesiasticis in quorum nauem inciderant; sed Socijs minime pepercêre, licet Tyronibus adhuc plerisque & adolescentibus. Quocirca cùm consanguineus illius, qui inter primos nauem Lusitanam intrarat, Lusitanis quibusdam vitam condonasset, & Soriæ hoc, quo ratam illam condonationem haberet, nuntiasset; petebat mox crudelis sicarius, num omnes ad vnum Iesuitæ neci dati essent; auditoque neci datos, reliquis

vitam

vitam conseruari permisit. Nullus vt aliorum sit interfectus, præter illos qui nauarchum Gallum cum socijs, nauem hostilem conscendere parantibus obtruncarant: quibus ille ante oculos viscera educi & in mare deijci imperauit. Ex omnibus porro Ignatij Socijs, qui Iacobæam nauem conscenderant, Ioannes Sanchius solus sic periculum euasit. Dum vectores à Socijs piratæ separant, & manus cuiusque, vestes habitumque contemplantur, hunc vt pannosum callosisq; manibus intuiti, Tune, inquiunt, coquus es Iesuitarum? Affirmauit ille nihil perterritus, nec mentiebatur; tamen quòd sibi coquendo vsui fore putarent, lanienæ eripitur, delatusque cum illis in Galliam, mox in fugam Lusitaniam versus se dedit; Deo nimirum ita iubente, vt maiore fide tamquam oculatus testis rem gestam referret; sed reliqui Lusitani, quibus vitam Caluinistæ concesserant, in Maderam ad reliquos 30. Socios ante illũ appellentes, rem gestam nuntiarunt; quam mox Petrus Diazius P. Leoni Henrico Lusitaniæ Prouinciali decima octaua Augusti die, eodem anno, vno post martyrium mense perscripsit. Verum ne integro quadraginta Sociorum numero vnus deesset (mysticus enim hic videtur numerus, vt Magnus ait Basilius) in Ioannis Sanchij coqui locum suffectus alter, eiusdem pene nominis, Sanctus Ioannes vulgò appellatus, classis Lusitanicæ præfecti cognatus. Hic visa Sociorum ac Tyronum virtute & pietate, vt erat in virtutem propensior, eidem ab Ignatio adscribi summopere petebat; & quamuis votorum nondum factus esset compos, socios tamen in omnibus pijs exercitationibus imitatus, ab Ignatij aut Tyronũ latere numquam discedebat, cùm orando tum medi-

Caluinistarum feritas.

Vnde accepta rei gestæ cognitio.

Numerus quadragesimus mysticus. Homil. de XL. Martyribus.

meditando assiduè Hic dum Sociorum ab alijs fieret separatio, quo iugularentur, iugulandorum numero vltrò accessit nihil tergiuersatus, vt, cùm in terra Socijs ascribi non potuisset, in cælo per martyrium horum collega fieret. Quem si Socijs annumeremus, vt annumerari verè meretur, quadraginta pro fide Catholica anno Septuagesimo supra sesquimillesimum, decima quinta Iulij die, accubuisse comperiemus; quorum omnium nomina, quòd in libro vitæ descripta sint, obliuioni tradere nefas est. Primus Ignatius Azeuedus Prouinciæ Brasiliensis præfectus. II. Benedictus Castrius Lusitanus. III. Iacobus Andrada Lusitanus. IV. Emmanuel Aluarus Lusitanus. V. Blasius Ribera Lusitanus Bracarensis. VI. Petrus Fonseca Lusitanus. VII. Gregorius Scribanus Lusitanus. VIII. Aluarus Mendesius Lusitanus. IX. Simon Acosta Lusitanus. X. Franciscus Aluarus Couillius Lusitanus. XI. Dominicus Fernandius Lusitanus. XII. Alphonsus Vaëna Toletanus. XIII. Gondisaluus Henriquez Lusitanus Diaconus. XIIII. Ioannes Ferdinandus Olyssiponensis. XV. Ioannes Fernandius Bracarensis. XVI. Ioannes de Mayorga Aragonius. XVII. Alexius Delgadus Lusitanus. XVIII. Ludouicus Correa Lusitanus. XIX. Emmanuel Rodericius Lusitanus Alcorchetanus. XX Simon Lopezius Lusitanus. XXII. Petrus Munnosius Hispanus. XXIII. Franciscus Magalanius Lusitanus. XXIX. Nicolaus Dinyus Brigantinus. XXV. Gaspar Aluarus Lusitanus. XXVI. Antonius Fernandius Lusitanus Montis Maioris, XXVII. Emmannel Pachecus Lusitanus. XXVIII. Petrus Fontaureus Lusitanus. XXIX. Andreas Gonsaluius Lusitanus Vianius.

Ribadé. in vita P. Borg. li. 3. c. 10.

Quadraginta Martyrū nomina.

nius. XXX. Iacobus Perez Lusitanus Miseus. XXXI. Ioannes Baëza Hispanus. XXXII.. Marcus Caldera Lusitanus. XXXIII. Antonius Correa Lusitanus Portuensis. XXXIV. Ferdinandus Sanchez Castellanus. XXXV. Franciscus Perez Godoy Castellanus Torrichius. XXXVI. Ioannes à S. Martino Castellanus ab Illascas. XXXVII. Ioãnes Zaureus Toletanus. XXXVIII. Ioannes Suarez Castellanus. XXXIX. Stephanus Zuzairius Cantaber: qui simplicitate morum & candore singulari cum esset, Placentia Hispaniæ, vbi commorabatur, digressus, Iosepho Acostæ Sacerdoti nostro, Læto, inquit, proficiscor animo in Brasiliam, certus de Martyrio. interrogatusque, vnde tam constanter id assereret, à DEO qui ipsa veritas est, reuelatum sibi respondit. Quadragesimus porro sit adolescens ille S. Ioannes vulgò nuncupatus, qui tametsi Societati ascriptus non esset, ascribi summopere desiderabat. Hæc sunt quæ de XL. Martyrum haud procul à Palma iugulatorum certamine comperta habui. iam ad illos quos in Madera reliquimus reuertatur oratio, plurimum namque illorum eamdem palmam nacti sunt.



CAP.

CAPVT XXVI.

Duodecim rurſum Socij in itinere Braſilienſi à Ioanne Capdeuilio alijſque hæreticis pro fide Catholica necantur.

IGNATIVS Azeuedus collectis iam in vnum vndeſeptuaginta Socijs, vt ſuperiori dictum eſt capite, in tres illos naues diſtribuerat, ſecum quadraginta, reliquis in Madera vnà cum claſſe relictis, aſſumens: hi vno poſt ſtragem ſuperiorem menſe Braſiliam petiuêre. Sed quòd fœda vehementiorq; procell a naues huc illucque diſiecerit, hinc varios ad portus delatæ ſunt. Quæ Petrum Diazium cum ſuis vehebat, varijs iactata tempeſtatibus Cubam inſulam appulit, portumque D. Iacobo ſacrum ſubijt. Sed adeo lacera quaſſataque, vt vectores eamdem deſerere coacti ſint; cùm alia tamen non ſuppeteret, Abanæ portum magis ad Orientem vergentem, pedes adire decreuerunt. Triduano ergo itinere nudis pedibus & tempore pluuioſiſſimo, non ſine magno labore & ærumna confecto, quòd & cœnoſa eſſet via, & regio ſterilis atque incommoda, ad alium peruenere portum. ſtabat hic cymba pluuiæ & vento peruia; quam omnibus cæli expoſiti iniurijs conſcenderunt, vnde non commeatus modò, ſed ipſæ etiam veſtes indutæ putreſcebant. Septuaginta quatuor leucarum iter hac ſcapha confectum, tandemque Abanam peruentum; hinc petita naue ad Terceras inſulas delati, Menſe Auguſto anno M. D. LXXI. hic Ludouicum Vaſconzellum ſimul & Franciſcum Caſtrium cum quinque alijs Socijs, qui præcurrerant, repererunt. Vaſconzellus viſo ſuorum numerum nimium quantum imminutum eſſe (in ſola quippe prætoria,

Nauigatio Petri Diaz.

Terceras ſubit.

ria, difficili quindecim mensium nauigatione sexaginta exstincti erant, multi etiam in Antilijs Insulis fracti subsitterant, plurimi quoque diuturnæ nauigationis tædio Lusitaniam repetierant) vt numeratis nauiculariјs & vectoribus, etiam pueri puellæque Brasiliam dein matrimonio inito noua propagine repleturi, ac quinque & viginti quæ his præerant matronæ comprehendebantur, vix satis essent ad vnam onerariam replēdam. Ceteras itaque naues exarmatas & rimosas relinquens, vnam instruere, & illa reliquum iter perficere coactus est. Erant hos inter quatuordecim Socij. Reliquis tempestate iactatis quid acciderit, hactenus incognitum est. Duo dumtaxat inter hos erant Sacerdotio insigniti, Petrus Diazius, & Franciscus Castrius. Postridie igitur Nonas Septembris anno M.D.LXXI. vnà cum Prætore, Tercerâ soluerunt. Octiduum fere ventis ex voto spirantibus, longius prouectis, apparent vela Myoparonum quinque. Ex his vna Anglorum erat, reliquias quatuor ducebat Ioannes Capdeuillius Bearnius, quem Lusitani Cadouilium vulgò dicebant, hæretica perfidia & animo in pios & piratica, Iacobo Soria nihilo inferior. præerat hic eidem rostratæ, cum Soria D. Iacobo sacram nauem inuaderet. Erat hæc (vt à Rupellanis quibusdam deinde cognoui) nauis trecentorum vasorum, vt nautica phrasi vtamur, capax, cui Principis nomen impositum; cuius adminiculo Soria haud multo antè, in freti Herculei angustijs Venetam quamdam nauem, quam magnam onerariam appellabant, mille ducentorum vasorum, Orientalibus mercibus onustam, & aliam extra fretum, paulo minorem, vuis Corinthiacis & vino onustam Cretico, diripuerat. Hæc deinde Iacobo Capdeuilio cessit, qui dignum se faci-

Hinc cum 13. Socijs & Vasconzello soluit.

Incidunt in Capdeuiliū hæreticum.

facinus editurus, iussa exequendo quibus omnes, qui Missæ sacrificium assererent, neci dare iubebatur, vnam de fortunatis Insulis Gomeram nuncupatam depopulatur, atque inde digressus in Vaconzelli nauem incidit qui vt erat nauigandi peritus, cognito id quod erat periclitari omnes, & hostes hæreticos imminere, milites collectos ad pugnam hortatur, pro Catholica fide, ineundam, cuius quibuscum confligendum erat, hostes erant iuratissimi. Arma dein cuique distribuit, culcitras locis oportunis prætendi iubet, saxorum vim coaceruat, & pulueris tormentarij cados foras educit. Vnicuique deinde suam stationem assignat. Socij quoque blandis verbis suadere, si feliciter cum hoste pugnare vellent, cum Deo prius in gratiam rite confessi redirent, in præsentissimo quippe singulos versari periculo.

Primus Ludouicus paruit, mox Nauarchus, ceteriq; ordine milites, quibus ætas erat. Nox enim & tenebræ quòd conflictũ impedirent, tempus cõfitentibus non defuit. Postridie eius diei, vix dũ illuxerat, accedere hæretici & impari congressu: sola quippe Capdeuilij nauis Lusitanica erat munitior; rostra enim forinsecus ad proram prominebant, & altitudine superabat. binis tormentorum explosionibus vela pro more contrahi iubebant hæretici; sed frustra. Quocirca tertio in nauem Lusitanam irruunt, quinque prostratis, septemdecim in tibia vulneratis, qui manu vna rudente comprehenso, altera pugnabant, in pedes consistere cùm non possent. Magna hic piratarum edita strages, quamuis de loco feliciori pugnantium. Ipso enim conflictus initio viginti ipsorum occubuēre, sauciati vndecim. Trina dein bombardarum explosione rostratam

Conflictus naualis inter Lusitanos & hæreticos.

Capde-

Capdeuilij adeo exarmarunt Lusitani, vt prima malus deiectus, altera latera carinæ perforata aquam accepere, decem postrema milites interfecti. Tum vere de salute quodammodo desperantes Galli, sumpto præ mortis formidine animo, tanta violentia Lusitanam nauem inuasere, vt sexaginta simul milites via facta intrarint, quinque Lusitanis in prora conflegentibus cæsis, quinque duntaxat tum reliquis. Ipse Vasconzellus fortissimi ducis functus officio, qua hortando, qua animosissimè pugnando, binis plumbeis glādibus fuit ictus, vna in ventre, in femore altera. Sed non propterea locum deseruit, sed manu vna clypeum, alteram ensem vibrans, vulneribus confectus tandem concidit, & in mare spoliatus & incognitus deiectus est. Cuius occasu ceteri se mox dedidere, & hostis plurimus in nauem violenter irrupit, obuium quemque obtruncans. *Vascōzelli obitus.*

Excipiebat tum infernè Franciscus Castrius Nauarchi saucij & animam agentis confessionem; quem hinc Sacerdotem esse cognoscentes, rabie quadam diabolica in ipsum irruunt, & multis ferri ictibus confodiunt. Eandem in Petrum Diazium feritatem exercuêre, qui hactenus confessionibus eorum qui sub tecto nauis remanserant, excipiendis aures dederat: sed hostium irruptione audita, ad Castrij locum aduolarat vna cum Gaspare Goezio admodum adolescente, quem à latere suô discedere nolebat. Sed egressos hæretici immaniter iugulant, dispoliatosque simul tres in mare deturbant. Vndecim qui restiterant Socij, dum hostis aduentum frustra opperiuntur, & impetum nonnihil deferbuisse vident, inter se hortati ad fortiter pro CHRISTI nomine *Frācīscus Castrius iugulatur. Item Petrus Diaz & Gaspar Goez.*

mine & orthodoxa fide occumbendum, sponte cella egressi, vnum omnes in locum se collegêre, vt trium priorum Socios ac collegas & ad eamdem mortem subeundam paratissimos sese ostéderent. Contumelijs igitur eo die affecti innumeris, pugnisque, vt ceteras iniurias prætercam, summo cum silentio, nisi dum fidei negotium ageretur, contusi sunt. Circa vesperam manus post terga vincti, cubiculo Vasconzelli, addita etiam militum custodia, includuntur. Hic Michaëlem Aragonium, quòd, accepto secundum brachium vulnere, dum vincula nectuntur arctius, ingemuisset; nequidquam miserati hæretici, contumelijs insuper illusum vnà cum Francisco Paulo, qui latus claudebat, in altum deturbant. Ambo haud diu superstites vitam temporalem cum sempiterna, submersi, commutarunt. Nouem reliqui noctem & partem diei sequentis in vinculis agunt, sine vllo cibo potuve. Accedebant per interualla hæretici ad carceris ianuam, modò vinculis eximendos spondentes, modò mortem comminantes: alij nescio qua barbarie nudatos ad terrorem vibrabant enses, necemque intentabant dicentes, Scelesti Papistæ, omnes mox neci dabimini. Illi ne verbum quidem hiscere ad hæc, sed futura præsagientes, se mutuò ad suppliciorum paratorum pro Christi nomine tolerantiam adhortari. Illucescebat iam dies, & carcere omnes ad mortem rapiendi & antennis suspendendi, eximuntur: pòst auaritia ductus Capdeuilius quòd magnam auri vim portari templis & domibus in Brasilia ædificandis putaret, cunctandū ratus, & expiscaturus, sententiam differt. Vbi Sociorum paupertate, & spe concepta delusus est, duos in nau asseruari iubet, Petrum Diazium, non illum Sacerdotem, (quem iam ocubuisse diximus) sed alium

lium cognominem, & Iacobum Carnalium. Septem reliquos suam in nauem duci imperauit. Hic iterum immani & plusquam barbara crudelitate innoxios pulsare, & vndique circumcinctos iniurijs & contumelijs diuexare, canes adhæc, latrones, seductores impostoresque appellare. Per vos solos stat, ne totus fruatur pace orbis, & eamdem vbique religionem profiteatur; scelesta doctrina vestra non Germania modò & Gallia, sed Brasilia etiam & totus qua patet orbis, infectus est. Socij verò, sicut oues ad laniena̅ ducti ne verbum quidem contrà hiscere. Illi deinde iniuriarum ac contumeliarum plaustra in Summum Pontificem, blasphema in Sanctos Sacramentaq; omnia & imprimis Eucharisticum, verba euomere. Hic linguam soluere Socij, impietatemque execrandã non ferentes, blasphemis respondere. Non ferebant hanc libertatem & blasphemiarum depulsionem hæretici, sed pugnos & colaphos capitibus illorum irritati impingebant, ac præsertim ijs qui vertice essent raso & ordinibus sacris initiati; hos enim, velut in incude ferrum, contundebant. Erat inter nouitios Petrus Fernandius faber lignarius, quem statim, vt nauem conscenderant, tunica exuerant; hic thorace solo indutus, veritus ne veste fallente pro sæculari haberetur, & optatam martyrij coronam amitteret, alijs semper se comitem addebat, & oculis & capite in terram deiecto modestiam quãdam religiosam præferebat; vt sola exteriori significatione aliorum se socium proderet. Hanc simplicitatem perosi hæretici, duabus sublimem manibus capite apprehenso subrigere, colaphos infringere, & oculos vi aperire, ac palpebras distendere & paxillis quibusdam mento subiectis caput attollere, & his illum contumelijs incesse-

Colaphis cæduntur & affliguntur.

Modestia & patiẽtia Petri Fernandij nouitij.

cessere, Sustolle caput vilissime canis, frontem exporrige.

Illius zelus & tolerantia. Sed has ille tanta modestia & animi gaudio pertulit, vt nuptijs eum quis interesse dixisset; vt non parum etiam hæretici mirarentur; quanti opprobria cruciatusque faceret, verbis ipsoque vultu facilè ostendens. oculos enim in cælum sustollens, coram hæreticis etiam Deo gratias singulares agebat dicens: Quonam mihi meritò hoc tribuis Domine, aliquid vt pro nomine tuo patiar. Destitêre tandem insultantes hæretici, & ad sua rediêre. interim Socij sibi relicti, animos alter alteri addere, & ad mortem pro Christi nomine subeundam excitare. Eluxit hic potissimum feruor & Zelus Petri Fernandij, de quo iam sermo factus; quamuis enim omnium postremò Societati adscriptus esset, tantum tamen in tolerandis iniurijs, cruciatibus, & morte zelum exhibuit, vt & ceteros inflammaret; insignem tum vultu ipso, tum verbis lætitiam præferens, vt & sibi & alijs animos adderet, nullum hoc in mundo dari posse bonum Christiano homine dignius asserens.

Hæretici cum iis disputant. Hæc dum inter se loquerentur, repente magna militum manus adfuit, qui de nonnullis fidei côtrouersijs disceptaturi venerant Vt genus videatur, vnum attigisse sat fuerit. Preces igitur & orationes, quas Sanctis offerimus, quibusque illorum suffragia ex antiqua Ecclesiæ consuetudine deposcimus, oppugnatum venerant. Vnus qui ceteris videbatur & doctior & acrior, hunc in modum argumentari cœpit: Annon videtis, inquit, Papistæ, à nobis vos captos detineri, & nostra in potestate versari? cur igitur Deiparæ & Sanctorum opem exposcitis, vt nostris

vos

vos eripiant manibus? Imo verò, respondebant Socij, si diutius nos viuere expediret, ipsa hauddubiè Deipara, & cælites vitam nobis & libertatem darent. At quoniam satius est, pro fidei iam defensione vitam impendere, idcirco non eripiunt. His alijsque responsis scitè depromptis, illi magis magisque offendebantur; cumque præ rabie non ferrent, faciem Sociorum fœdissimis ructibus consputarunt, & varias iniurias ignominiosè intulerunt. *Apta responsio.*

Vnus inprimis ob liberum ALPHONSI FERNANDII responsum, ob hoc inquit, verbum dumtaxat, moueris scelestè. Cui ille; Non ipse modo, sed & Socij omnes, cùm DEO visum fuerit mori parati sumus. Quod non suo tantum, sed omnium est nomine elocutus; erat enim (alijs duobus iam interemtis) reliquorum caput designatus. Atqui exspectate, inquit, putidi canes; ipse vobis ceruices præcidam & in mare (meam fidem testor) præcipites dabo. Sic ad cænam vsque calumniantibus hæreticis; interim libertatem nacti Socij, iterum se inuicem ad constantiam & tolerantiam, CHRISTI cruciatuum nostri causâ in cruce toleratorum recordatione excitare, DEO denique pro tam præclara sibi oblatâ benè moriendi occasione, gratias agere. Interea expleto ventre, piratæ crudelitatem quoque suam explere voluerunt; hinc captiuos adeunt & circumcingunt, nec mora, singulos octoni vel noueni apprehendunt, vestibusque exutos magna vi quam possunt longissimè in mare, nullâ commiseratione, seu veriùs conscientiâ intrinsecùs tacti, deturbant. *Alphonsi Fernandii constantia*

Petrus Fernandius & Ioannes Aluarus ſubmerguntur. Iac. Fernandius euadit.

Petrus Fernandius & Ioannes Aluarus natandi minimè periti ilicò merguntur; quinque natandi peritiores, in vnum mox locum collecti, aliquamdiu ſeſe ſuſtentarunt, inuicem adhortantes ad mortem pro Chriſti nomine animosè ſubeundam. Sed tribus horum vires tandem & brachia defecerunt, qui exhauſti & fatiſcentes, cùm ſibi animũ deficere ſentirent, ſupremũ Socijs valedixerunt, cõmiſſorum veniâ priùs poſtulatâ. Quòd verò piratæ nonnulli circa veſperã Iacobum Fermandiũ & Sebaſtianũ Lopeziũ cibo dato refeciſſent; hinc Fernandius factus robuſtior, claſſem & æſtũ maris, (qui, quòd venti ob ingruentẽ pluuiam detumuiſſent, placidior erat) ſecutus tandem in nauigium admiſſus fuit (ſingulari Dei prouidentia, vt omnium prꝑteritorum oculatus teſtis & relator foret.) Ceteri interim cum fluctibus luctabantur, qui tametſi natando defatigati, Deo ſe aſſiduè commendabant, vtque aduerſus dæmonis inſultus, qui in ſupremo vitæ articulo inſidiari vt plurimùm ſolet, communirentur, Symbolum Apoſtolicum ſimul, & alias orationes, quas memoria tenebant, & inprimis Pſalmum quinquageſimum, Præeunte Alphonſo Fernandez, pariter recitabant.

Alphonſus Fernandius, Andreas Paiz & Fernandus Aluarus mergũtur.

Ille ad mediam vſque noctem natando verba illa Pſalmi eiuſdem, *Tibi ſoli peccaui* ſæpius cùm iteraſſet, fatiſcentibus viribus aquarum vi obrutus non amplius comparuit, ſpectata probitate & pietate vir; qui in refutandis hæreticorum argumentis non animi modò robur, ſed doctrinam quoque ſuam paulò antè patefecerat. Valebat enim ingenio, eratque Philoſophica ſcientia clarus; quam vt doceret, in Braſiliam illum Azeuedus duxerat. Deinde Alphonſus Andreas Paizius ſanctiſſimum IESV

SV nomen ſupremum cuius amore occumbebat, proferens fundum petijt. Omnium poſtremus mergitur Fernandus Aluarus. Sebaſtianus Lopezius ſolum ſe ſupereſſe dum videt, in denſiſſimis noctis tenebris, cæloque pluuioſo euadere vix ſperabat; elatum tamen eminus è nauigio, quod media inde diſtabat leuca, lumen intuens, ſumpto animo eôdem adnatat. Sed dum claſſianos rogat, ſui vt miſerti in naues admitterent, contumelioſis verbis exceptus fuit, & in malam abire rem iuſſus, ni ſclopeti glande traijci velit.

Acceſſit ergo ad ſcapham, quam ſecum trahebant, ad quam applicans, ab hæretico humaniore ac mitiore ceteris, admiſſus fuit. Hic vel viri caſum miſeratus, vel conſcientiæ forſitan ſtimulis ob deſertam fidem exagitatus, in nauigio acceptum, penula furtim in angulo texit, ac fouit, naui deinde alteri clanculò impoſuit, ſpargens de captiuorum Luſitanorum eſſe numero. atque hoc pacto ipſe & Iacobus Fernandius, Deo iuuante, hæreticorum manus euaſere; vt rei totius nuntij forent, quam ex illorum relatione hic inſeruimus. Retulerunt inſuper, hæreticos, naue occupata & iugulatis propugnatoribus, in Reliquias & imagines Sanctorum, quarum hic vti & in naue Azeuedi, ingens erat copia, rabiem ac furorem conuertiſſe; Catholicorumque manibus extortas per tabulatum traxiſſe, pedibus conculcaſſe, & per ludibrium ac contumeliam, additis horrendis in Sanctos, quorum erant reliquiæ, blaſphemijs, ad quarum commemorationem Catholicæ aures exhorreſcant, quas idcirco ſilentio præteribimus, in ignem deieciſſe.

Sebaſtianus Lopez naue receptus hæretica euadit.

Quin etiam viginti pòst diebus inuentas duas in eadem naue imagines Deiparæ vnam, Archangeli GABRIELIS alteram, sacrilegis manibus diffregisse, Archangeli caput per contemptum per nauem circumtulisse. Denique tot tantaque in Sancta sacraque, sacrilegia exexcuisse, quot vel impia mens concipere vel Satanas nequitiæ auctor suggerere potuit. Vnde sanè mirum non est, DEVM, qui iam olim tot tamque graues filio vnigenito, cùm in cruce nostri causa penderet iniurias irrogari permisit; tot iam Sanctis suis, non in imaginibus modò, sed & ossibus, sine vllo sacrilegis inflicto supplicio fieri permittere. Docere nos vult non esse de iniurijs irrogatis præproperam vltionem sumendam, sed eam, ad futurum tempus, aut commodiore, etiam oblata occasione differendam.

Cur Deus sacrilegos non puniret.

Deut. 32. Rom. 12. At quoniam iam olim per Prophetam ait, *Mihi vindicta, & ego retribuam*; dubitandum non est, quin supremo iudicij die, æquissimum se iniquitatum, ac præsertim in se & Sanctos factarum iniuriarum iudicem ac vindicem ostensurus sit; quòd enim hi illius sint membra, iniurias etiam velut sibi factas existimat. Et sanè vbi peccantem clementia & benignitate oblata vti nolle videt, in hac etiam vita sæpenumerò, in huiusmodi sacrilegia grauissimè animaduertit: vt in nonnullos horum piratarum ac præsertim archipiratam animaduertisse constat.

Capdeuilii mors violenta.

Certissimo quippe compertum habeo testimonio, hunc in Salies Bearniæ opido, vnde oriundus erat, securi mactatum esse ab eo,

quem verbis offenderat. Atque hic plerumque huiusmodi sacrilegorum finis. Quin & Rupellanorum quorundam depositione constat, vnum de numero nautarum, qui vulgò CRASSVS PETRVS de Brouage cognominabatur, & aliquot superiorum Religiosorum in mare deturbarat; in mare item prolapsum non amplius comparuisse. Sed exorsum narrationis filum prosequamur.

Piratæ ergo rebus hisce peractis cùm viginti & tribus diebus deinde mare pererrassent (naui interim Algarbiensi expilata) tandem ad Oraianum sinum, qui in ora Galliæciæ, appulerunt, atque hic prædam partam inter se diuiserunt; simul & Socios superstites & captiuos Lusitanos, quibus vitam condonarant, in terram exposuere, qui deinde in patriam se contulerunt. Ex horum itaque simul & aliorum testimonio tota rei series, vt hic retulimus, accepta est, nosque è litteris P. Francisci Henriquez Domui Professæ Olyssiponensi Præpositi Romam IX. Decembris anno Christi Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo, missis, mutuati sumus.

Iacobo Carnalio simul ac Fernando Aluaro in naue relictis, quid interea factum sit, nihil prorsus abhinc accepimus, vt cum alijs, eandem ob causam, iugilatos & miserandum in modum trucidatos fuisse, præsumendum sit. Hos itaque ceteris si annumeremus, duodecimum complebunt numerum; atque hi tum decima tertia Septembris, tum etiam postridie pro fidei Catholicæ & Apostolicæ confessione sunt interfecti.

Duodecim sociorum interfectorum nomina.

Quorum hæc sunt nomina. I. Petrus Diazius. II. Franciscus Castrius Sacerdotes. III. Gaspar Goezius, IV. Michaël Aragonius Taracenensis. V. Franciscus Paulus. VI. Ioannes Aluarus. VII. Petrus Fernandez. VIII. Alphonsus Fernandez. IX. Andreas Paizius. X. Alius Petrus Diaz. XI. Iacobus Carnalius. XII. Fernandus Aluarus, Lusitani omnes vno excepto. quos si quadraginta prioribus adnumeremus, duo & quinquaginta in vniuersum erunt Martyres.

Hic lætus profectionis Ignatij Azebedi Sociorumque Brasiliam adeuntium exitus. quod enim operarij requirerentur, hi fidem Christianam disseminaturi eôdem petebant. at quamuis Brasiliæ fines non attigerint, sed in beatorum potius regionem vitamque sempiternam, euolarint, suo Brasiliensibus suffragio & apud DEVM intercessione magis profuisse credendum est, quàm suo forsan labore industriaque, profuissent; maximus enim à morte illorum secutus est fructus, vt sequentibus referemus capitibus.



CAP.

CAPVT XXVII.

Aliquot Societatis in Brasilia fundantur collegia & domus; quantus in Brasiliensium conuersione fructus editus.

HOc spectabat Ignatius Azeuedus imprimis, dum tantum Sociorum numerum in Brasilicam profectionem colligit, vt nouitiorum domus & quoddam studiosorum seminarium in Brasilia excitaretur. Amplissimæ enim messi deerant operarij, nec tot suppeditare Lusitania poterat, quot opus erant. E sola namque Lusitania & Indiæ Orientali & Brasiliæ operarij peti non poterant; accedebat & nouorum in Lusitania collegiorum excitatio, quibus deesse socios non oportebat. Quo circa in Brasilia in Societatẽ conscribendi adolescentes videbantur, qui primò virtutum exercitio & mortificandis sensibus assuescerent, ac deinde litteris & facultatibus requisitis excolerentur. *Ignatii Azeuedi proposi tum.*

Idem & Ignatij successoribus videbatur; hinc quod ipse conceperat, ad exitum perducere, Regum Lusitaniæ adiuti munificentia, nitebantur. Pro eo enim, quo hactenus fidei propagationem in vniuerso imperio promouere conati sunt, studio, operam dederunt, vt in Brasilia aliquot Societatis Collegia excitarentur; nullum enim ad barbarorum conuersionem medium videri efficacius aut conuenientius; Hinc Sebastianus rex tria quæ in Prouincia Brasiliæ modò sunt collegia, suismet opibus dotauit ac fundauit, Bayense scilicet, quod in vrbe Saluatoris; quæ quod in sinu omnium Sanctorum nuncupato sita, Baya modò nuncupatur. Alterum fluminis Ianuarij; tertium Pemambucense. Plurimi idcirco hisce in *Regum Lusitaniæ liberalitas.* *Rex Sebastianus tria in Brasilia fundat collegia.*

Collegiis educari adolescentes voluere Societati adscripti, qui deinde Brasiliensium conuersioni gnauiter incumberent. In Bayensi namque septuaginta aut amplius, vt plurimum commorantur tum Patres, Scholastici, tum Fratres, & tyrones. In fluminis Ianuarij, quadraginta, aut quinquaginta; in Pernambucensi verò viginti quinque vel triginta.

Residentiarum Brasiliensiũ causa.

Aliquot etiam priuatim Lusitani, Patres apud se commorari, dum volunt, varias hinc inde domus, quas Residentias dicimus, fundarunt: nec detrectarunt Patres, vt sic commodior & Lusitanos iuuandi, & conuertendi barbaros, qui apud illos habitabant, foret occasio; vt hos ad Christianismũ perducant; illos officij Christiani commonefaciant.

Domicilia Patrũ inter Brasilios.

Residentiæ primariæ hæ sunt; Portus Securi, Vincentiana, Paratiningana, S. Spiritus. Instituti hinc aliquando Missiones in regionem interiorem, ad incolas fidei aggregendos, solent. Sunt & aliæ domus, quæ à Collegiis, Residentiisque dependent, in Brasiliensium Christianorum pagis ac cœtibus; in quibus Sacerdos cum socio, maxima anni parte commoratur, vt Neophytos verbi diuini, & Sacramentorum pabulo reficiat. Ad Collegia tamen Residentiasque, à quibus dependent, interdum hi concedere solent, tum vt spiritualibus animum exercitiis excolant, tum verò vt labori se nonnihil subducentes, vires amissas recuperent, vegetique ad intermissum opus redeant. Interim in illorum locum alius sufficitur, vt ordinatim ac vicissim procedere videantur. At quoniam à prima Brasiliæ conuersione, quæ anno superioris seculi vndequinquagesimo cœpta est, primis Sociis eò tum appellentibus, nulli alij Religiosi in Brasiliam triginta pòst annis commigrarunt;

runt; & Socij vineam hanc Domini indefeſſo labore hactenus excoluere, per vniuerſas illius regiones ſparſi; omnis Braſilienſium conuerſio vni propemodum Societati videtur adſcribenda: in Parayla tamen Prouincia abhinc annis aliquot Franciſcanorum, alibi quoque Benedictinorum Monachorum exſtrui cœpêre cœnobia. Grauiſſimi porro in barbaris illis Chriſto lucrandis labores ſubeundi ſunt, idque plurimis de cauſis. Inprimis ob ſermonis Braſilij varietatem, vt ſexaginta & amplius illius iam notata ſint idiomata. Tametſi enim omnes maris accolæ, vna eademque iam olim vterentur lingua, in intima tamen regione, tanta reperitur ſermonis diſcrepantia, omnes illorum dialecti nondum vt notæ ſint. Quod autem mediterranei nõnulli, fugatis maris accolis prioribus, oram illam maritimam incolere cœperint; vt poſtea referemus, hinc & in regione maritima eadem linguæ differentia haberi cœpta. Altera cauſa eſt ipſa Prouinciæ vaſtitas, & loci vnius ab altero diſtantia: hinc magnæ, dum profectionem aliquò inſtituunt, ſubeundæ ſunt difficultates, quòd domus & diuerſoria nulla occurrant intermedia.

Franciſcani & Benedictini in Braſilia.

Cur labores Sociorum hic magni ſint.

Braſilii enim incertis vagantur ſedibus, hinc centum ac ſæpe ducentarum leucarum iter inter montana, aſpera, deſertaque loca conficiendum, nullo inuento tugurio: vt interim pericula à Tigribus, ſerpentibus, barbariſque ipſis hominum cædi inhiantibus, immunentia taceam. Tertia, quòd è remotiſſimis locis adducendi quodammodo ſint illi; quos fidei volunt adiungete; quodque etiam grauius, verbis inducendi, vt Luſitanorum opida adeant, quò iuuentur facilius. fugiunt quippe Luſitanos, dum metuunt, ne ab eiſdem in mancipia deuendantur,

Vt

Brasilii Lusitanos cur metuant. Vt verò quæ formidinis huius causa sit intelligatur; sciendum, primis viginti annis, quibus in Brasiliam ingressi sunt Lusitani, tantam barbarorum multitudinem fuisse, ac præsertim in ora maritima, vix vt deleri posse vmquam videretur. Quod verò comes se & benignos ostenderent Lusitani, illorum consuetudinem ambire barbari, & iuxta opida illorum tuguria figere; quo loco fidem ab illis Christianam edocebantur. Adeo vt plerique ad fidem traducti, templa vero Deo in pagis suis exstruerent, & Lusitanorum familiari commercio ad humaniorem cultum sensim transirent. Sed quòd Lusitanorum coloniæ crescerent indies, saccaroque parando molæ variæ hinc inde erigerentur, terraque excoleretur, ad quæ operis permultis indigerent; Brasilios inuadere & ergastulis mancipare cœperunt, *Fugiunt illos.* vt & ferreis compedibus grauarent ac velut mancipia sibi inuicem distraherent; à parentibus filios, filias à matribus, à sororibus alijsque consanguineis fratres diuellentes, in varias regionis plagas abriperent. Hinc factum, vt barbari, naturâ subtristi, nouo dolore & melancholia accedente sensim emorerentur; alij in intima regionis, centum ac ducentis à Lusitanis, leucis fugerent. Tum deseri omnis ora cæpit maritima, non fine ingenti Lusitanorum detrimento. Nam omni *Quid hinc secutum incommodi.* mox destituti sunt auxilio; nulli qui molas saccari agitarent, nulli qui terram elaborarent, nulli qui in inimicis propulsandis opem ferrent, reperiebantur, vt iusto Dei iudicio longè secus quàm putarent acciderit. Fieri quippe sæpenumerò videmus, vt qui vetitis ditescere volunt modis, non emolumentum, sed detrimentum ferant. Accedebat, quòd omnis illa barbarorum turba, quorum plerique Baptismo initiati erant, & proinde Chri-

Christiani, ad priorem barbariem, eiurata fide, transiret; nullos enim qui officij commonerent, apud se Sacerdotes habebant. Fugerant enim procul à Lusitanorum opidis, in quibus Patres Societatis, quorum operâ Christo nomina dederant, commorabantur. Quocirca Patres sæpe ad eos profectionem instituere coacti sunt, vt ad priores sedes, fidemque pristinam redirent. Non erat iter nisi per montana ac deserta, idque pedibus conficiendum, quod sex mensibus, aut anno interdum vix fieri poterat, idque in summa rerum inopia ac miseria. Hinc factum, vt plerique fugitiuorum ad pristinas sedes & caulam Christi paulatim redierint, nec sine fœnore: alios enim eâdem opera lucrifecerunt. quos sæpiùs etiam è remotissimis regionibus ad sua opida conduxêre, quo commodiùs in fide instruerentur, atque in eadem perseuerarent. Tanta quippe Patrum est apud barbaros auctoritas, tantoque in honore ac veneratione sunt, vt nudis illorum verbis fidem habeant: adeò vt cùm à Lusitanorum se iniuria illos vindicaturos promisissent, vt pastorem oues secuti sint. Sed tanta interdum Lusitanorum fuit pertinacia, vt in via illos interceptos violenter abripuerint, nullisque Sacerdotum verbis coerceri, retinerique potuerint, quò minus inter se captos distribuerent, & aliis deuenderent, procul inde abducentibus. Quin & Patrum interdum sunt vestem & habitum exteriorem mentiti, & rasa barba, & vertice, quo miseros melius circumuenirent, Patrumque nomen assumentes ad illos profecti sunt, atque hac arte versutiaque plurimos secum ad oram vsque maris, vbi opida sunt Lusitana, abduxêre. Cumque iam in potestate haberent, vincula misellis iniecêre, & ad ergasteria, villasque violenta manu abripuêre.

Quid Brasiliorum conuersionem impediat.

Lusitanorum nonnullorum nequitia.

Quòd

Quòd verò Socij aduersus iustitiam hanc debacchentur, & Brasiliorum causam agant, huiusmodi nefas impedire conati; Lusitanorum odium vt plurimum incurrunt. Ac tametsi Regum Lusitaniæ, atque Hispanorum, ad quos iam Lusitanum imperium deuolutum est, auctoritate vetitum sit, nequis præter Societatis Patres, Brasilienses quò ad fidem illos perducant, indaget & conquirat; nulla tamen ratione insatiabilis nonnullorum refrænari potuit auaritia insolentiaq;: cùm & illi, quibus, regij edicti obseruationem inducere, ex officio incumbit, quòd eodem iacturam aliquam pati videantur, ipsum violent & pessumdent. Hoc igitur maximum Brasiliensium conuersionis est impedimentum; vti innatus barbarorum stupor: tam plumbei quippe sunt, vt vix vlla nostra tempestate detecta sit natio, quæ minorem mentis ingenijque capacitatem præferat & minus ciuilis sit. Sed quòd, teste Horatio:

Impedimenta conuersionis Brasiliorum.

Lib. I. Epist. I.

Nemo adeo ferus est, qui non mansuescere possit,
Si modo doctori patientem commodet aurem.

Hinc Patres nulli labori pepercerunt, quò illos ad virtutem traducerent; Diuina ergo collaborante gratia; adeò mites & cicures redditi sunt, magnam vt sui spem dederint. In plerisque enim pagis suis non templa modò exstruxere, sed & Sodalitates Ven. Sacramenti aliasq; instituêre, in quibus solennes ac pias supplicationes aliaque pietatis exercitia, peragunt. Liberi illorum sacrificantibus ministrant, & Musico concentu instrumentisque sacra exornant; doctrinam etiam Christianam & litteras scitè satis percipiunt. Quòd verò Brasilij Socios tum in rebus ad salutem, tum in ad vitam humanam spectantibus,

Cur Brasilij erga

tibus,

tibus, vt Patres officiosissimos suspiciant,(illi quippe non fidem modò Christi annuntiant, officij Christiani partes tradunt, Sacramentaque & verbum Dei administrant, denique in omni necessitate spiritus, etiam ad vsque extremum vitæ articulum auxiliantur; verum etiam ad ciuilem cultum perducũt, terram colere, seminare, metere, aliasque artes edocent, vt honesto labore vitam tolerent, ægrotisque quibus possunt remedijs succurrunt.) hinc summo illos honore & amore prosequuntur, vt illis monentibus quiduis non faciant. Brasiliæ item Prætores si à barbaris quid fieri velint, Patres vt Patronos & incessores adhibent; quod permultis demonstrare possem exemplis. Sed illis omissis de fructu in genere nonnulla dicemus, qui in horum conuersione emicuit. quem priusquam aggrediamur, de tribus hominum generibus quorum in Brasilia saluti vacandum, nonnulla permittenda sunt.

Socios officiantur.

Primi sunt Lusitani, quorũ saluti gnàuiter vacant, verbũ Dei è superiore loco docẽdo, Pœnitẽtiæ & Eucharistię Sacramẽta administrãdo, in aduersitatibus consolãdo, morietibus succurrendo, doctrinæ Christianæ & bonarũ litterarũ rudimẽta filijs illorũ pręlegẽdo, deniq; omnia pręstando; quæ ad proximi salutẽ quouis modo fiunt. secuta hinc, Dei gratiâ, magna morũ in melius mutatio prauorũ sublatio, plurimorũ ab improbæ & nefariæ vitæ cõsuetudine ad Christianã, veramq; delictorum pœnitentiã cõuersio. Permultæ dissensiones & inueterata odia exstincta; cædes plurimæ sublatæ, malè partorũ, à multis facta restitutio, aliæque piæ è contra consuetudines inductæ. quas hic referre superuacaneum putamus, quod omni loco, in quo Societatis homines commorantur, sunt communia.

Tria hominum genera in Brasilia, quorum saluti Patres incumbunt.

Quæ bona Lusitanis dederit Patrũ instructio.

Alte-

Angolani & Guineenses in Brasilia. Alterum genus sunt Nigri Aethiopesque ex Angola aut Guinea à Lusitanis in Brasiliam aduecti; quos vel ad saccarum excoquendum, (magno suo emolumento) vel ad terram excolendam pretiò coëmunt. Permagna horũ in Brasilia copia est, quorum potissima pars adeò vecors & stupida, vix vt micam salis habere videatur. At quoniàm huc & illuc per villas & ergasteria dominorũ dispersi sunt, & ad opida, Patrumque domicilia excurrere nequeunt, perpetuæ in ignorantiæ infidelitatisque tenebris errarent; ni ipsa ergasteria Patres vltrò adirent. Hinc decreti nonnulli, qui villas & saccari molendina pagatim obeunt, miserisque viam salutis ostendant, Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Matrimonij Sacramenta, Parochorum ritu, administrent; præter ipsos enim alius non est, qui hoc officio fungatur. Quis hinc secutus sit fructus, dici vix potest. Absque hoc enim esset, paucissimi Nigri ad Christum hic accederent. *Illorum conuersio.* Tertium verò genus ipsi sunt Brasilij indigenæ, quod verò, præter illorum qui Lusitanorum opida accolunt conuersionem, maximus in Missionibus, [illegible] intimam regionem institui solitis, vt ad oram maritimam commigrent mediterranei, fructus consistat; difficiles & molestas sæpe hac de causa Patres profectiones instituunt. Ex quo enim omnes maris accolæ, qui vicatim & pagatim haud procul à Lusitanorum opidis commorantur, iam Christo nomina dederunt; vt in officio duntaxat continendi sint; quo alij ad fidem perducantur, vel lapsi ad agnitionem redeant, ad illos in densissimas syluas, altissimos montes, & valles profundissimas commeandum est. Quibus in itineribus permagnæ subeundæ difficultates. Per desertam enim regionem eundum, in qua hominum nullus occurrit; nisi hinc inde barbari, qui

quo Lusitani, vel inimicorum cædibus inhiant, cęsosque deuorent. Occurrunt & sæpè tigres, pantheræ, aliæque feræ, à quibus periculum imminet. Vt taceam interim famem, cum qua luctandum est, vt sæpe aliud in cibum non suppetat, quam frondes & herbarum radices; mures quoque, lacertæ & serpentes, similiaque animalia sæpe in cibum cesserint. At sitis, quam patiuntur etiam multo vehementior: Interior siquidem regio Brasiliæ arida est, vt ad multos sæpe dies nullæ occurrant aquæ; hinc lagenæ aqua repleta per viam ferendæ; quæ vbi defecerit, & aliam haurire non licuerit, herbarum radicibus, arborumq; frondibus succidis sitis restinguenda est, aliæque adhibendæ artes, quas dira edocet necessitas. & hæc quidem libentissimè perferunt recordatione vehementis illius sitis, quam in Crucis arbore Christus ob animarum nostrarum salutem, quam ardentissimè desiderabat, pertulit; quam laboribus hisce & ærumnis ob eandem omnino causam restinguere conantur. Non desunt autem laborantibus diuinæ consolationes, & omnibus periculis eripit Dominus eos, qui suo nomine vltro iisdem se obiiciunt, seipsum esse demonstrans, qui iam olim discipulis promisit, *si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*. Vt accidere his vt plurimū solet, qui hæc itinera suscipiunt, vt suo videbitur loco. Hæc sunt quæ de Brasiliensium conuersione in genere dicenda occurrunt. Iam singula percurramus Collegia & Residentias; in quo Missiones locis, vnde Missi profecti sunt, assignabimus.

Serpentes in cibum sunt peregrinantib.

Restinguendæ sitis ratio.

Mar. 16.

gittis instructa ad locum destinatũ properat; hostem à littore depulsura. Et sanè animantibus Patribus tam strenuè rem gessêre, vt Angli sæpiùs exscensione tentata, semper à Brasiliis repulsi, tandem re infecta recesserint. Ex hoc Collegio anno superioris sæculi LXXXI. duo Socij ad Raris Montis centum aut amplius à Baia, interiorem regionem versus distantis leucis, incolas profecti sunt.

Mons Raris.

Mons porro hic à meridie in septemtrionem viginti leucas patet. Hæc porro profectionis fuit occasio. Miserant montis accolę, qui numero plurimi, Baiam nonnullos suorum, qui quo arderent erga fidem Christianam desiderio coram exponerent; sed quod hostilis exercitus itinera obsideret, in viam se dare non posse; orare se proinde vt ab inimicis transitum impetrarent. Patres piis illorum postulatis auditis, duos illos Socios ad hostilia castra destinarunt.

Rarienses Christi fidem amplecti volunt.

Via porro adeò difficilis & aspera est, vix vt finẽ inuenire quis valeat. Vasta siquidem & horrenda solitudo transeunda, amnes & fluuij latissimi tranandi, per loca cõfragosa & præcipitia, aduerso pectore obnitendum. Quod verò summa commeatus accedat penuria, intolerabili haberi iter solet, serpentibus quippe aliisque animantibus noxiis victitet necesse est, qui iter suscepit, vt suprà dixisse memini. Hinc Sacerdotis nostri socius, inualetudinẽ contraxit, vt in barbarorũ quorundã vico commorari fuerit coactus, qui lingua prorsus ab aliis discrepant, vt signis vltrò citroq; agi oportuerit. Tantà tamẽ Deo iuuante barbarorũ erga ægrũ exstitit beneuolẽtia, vt dux adolescẽtes quosdam emiserit, qui aues, aliasq; feras syluestres in alimentũ recreationemq; ægri captarẽt: nec spes ducẽ fefellit; breui. n. sanitati redditus, ad Rarim mõtẽ peruenit, in quo Patrem reperit, qui Rariensibus iter iam impetrarat;

Duo soc[illegible] ordine [illegible] eosdem profic[illegible] tur.

Persua[illegible] vt [illegible] adeant.

vt omnes se ad iter iam accingerent Patrem secuturi, & iuxta vrbem Bayensem sedes constituturi. Sed ecce dum in procinctu sunt, humani generis omnisque boni aduersarius Satan, sanctam illam demigrationem impediuit. idque opera Mammelucorum, qui hybridæ Lusitano & Brasilia geniti; hi inter Rarienses sparsi, quod fallacijs & imposturis misellos hactenus fascinassent, viderentque si vrbem populus accoleret, omni se auctoritate priuandos, (nequitia namque & astu insignes sunt) popello persuadent, Patri ne crederent, qui ad vrbem Lusitanam illos abductos in seruitutem abreptum venerat. Rarienses ergo nimirum creduli ac deceptu faciles, calamitatem quam Mammeluci depingebant, metuentes, à bona voluntate resilierunt, & omnem de fide Christi amplectenda cogitationem sepofuere. Ducenti dumtaxat in voluntate sincera perstitêre, & à Patre in Brasiliensium vicos, non procul ab vrbe deducti sunt, ad quos Mense Iulio, magno ceterorum gaudio peruenêre. Ceteri verò qui in monte permanserant, non propterea omne de fide suscipienda consilium abiecêre. Non enim multò post murtium ad P. Prouincialem legarunt, rogantem aliquos vt suorum ad Rarim montem destinaret, qui fidem incolas edoceret & Baptismo lustraret. Quorum petitionibus obsecutus, tres ad illos Socios emisit, anno sæculi elapsi nonagesimo, quorũ duo Sacerdotio insigniti erant. His in mandatis datum, vt monticolis persuaderent, vt ad Lusitanorum opida, quò facilius imbuerentur, accederent propius. Nullum alioquin in barbaris fructum, nisi exiguum forsitan, fieri compertum est: facilè enim à virtutis semita declinantes ad pristinam feritatem dilabuntur; nisi pastores ad manum habeant, à quibus

Quales sint Mammeluci.

Rarienses à bono proposito resiliunt.

Sed idem deinde resumpsere.

bus sacro pabulo assiduè reficiantur. Cum verò procul à Lusitanorum vrbibus commorantur, verbi Dei & Sacramentorum panem frangendi rarior datur occasio. Quamobrem in hanc commigrationem persuadendam toto pectore incumbitur. Appulerant iam Rarim magno cum labore Patres, ac omni ratione persuadere loci primoribus conabantur, vt sedes mutarent, si Christiana vellent sacra suscipere. Centum quinquaginta piè monentibus auscultantes ad Brasiliensium vicos haud procul à Baia commigrarunt: hic fidei rudiméta edocti, magno tum suo tum aliorũ Christianorum gaudio Baptismum suscepêre.

Visa tandem feruenti monticolarum desiderio, quamuis aliò commigrare nollent, visum est Socijs ad eosdem potiùs commigrare, & suis in sedibus illos edocere. Anno enim M.D.XCIV. Brasiliæ Prætore postulante quatuor Socij eò contenderunt; assumptis secum centum Brasilijs, qui ciuili apud Lusitanos cultui iam assueuerant, tum vt itinere solatio essent, tum vt suo Rarienses, fidem suscipere volentes, exemplo edocerent, quæ vitæ foret seruanda ratio. Quos vt eminus Rarienses, præter patriæ morem veste tectos viderunt, dum Lusitanos credunt, à quibus in seruitutem abripi verebantur, igne tugurijs iniecto huc illucque fugiendo dispersi sunt: alij ad munitiora montis loca sese proripere, alij in profundas se valles abdere, alij vicinas adire siluas. Patres repentinam hanc fugam percipientes, panicum hunc pauorem demere conati, nonnullis è fuga retractis, suum ad eos aduentum aperuere, se non corpora sed animas quæsitum venisse. Hoc nuntio ceteri mox speluncis egressi, Patres simul & indegenas socios amplexi sunt, magnoq; beneuolentiæ signo excepere. Aedicula ante omnia

Suo in monte docentur.

Fugiunt dum seruitutem timent.

exſtructa, in qua ſacra peragerentur; tum inſtrui cœpti illi qui ad Baptiſmū adſpirabant, quibus rite edoctis is tandē collatus. Oſtenſa dein Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ percipiendorum ratio, vt breui quadringēti illorū facti ſint participes. Parochorū hic fungi vice Socios opus erat; deerat enim alius. ſi qua inter barbaros fouerentur odia, ſopire conabātur. Rarienſes enim dociles ſunt & ingenio ductili, ſingularique Socios honore proſequuntur. Magnus ergo hic fructus editus, ſed non ſine ingenti labore: per montes enim & valles diſcurrendum fuit, vt errantes ouiculas congregarēt. Quod enim viç ſalebroſæ ſint & difficiles, præter cetera deſertæ & incultæ regionis incōmoda, magnas ſubire moleſtias Socios oportuit. Sed incredibili gaudio omnis ille labos temperabatur, vt vix vllum in functionibus ſuis ſentirent guſtum, niſi amaritudinis condimēto cōditæ forēt. Ne verò forſitan prauo Luſitanorū vicinorū exemplo Neophyti Rariēſes offenderētur, (multi namq; apud eos ſedē iā fixerant) mutare domiciliū à Prætore coacti sūt, & alias ſedes quærere, ne ſua forsā cupiditate, lubricitate, ac vitæ diſſolutioris exemplo, ſcandalum forent. Hæc ſunt quæ hactenus de Monticolis comperta ſunt. Ceteras iam eiuſdem Collegij Miſſiones proſequamur.

Ad fidem conuertuntur.

Patre igitur familias bonū verbi diuini ſemē in gentilitatis agro indies ſeminãte, ſuū ſuperſeminare Zizaniū inimicus homo nō eſt oblitus. Anno enim octogeſimo tertio nouam in Braſilia ſparſit hæreſim, quæ nō ad gētiles modò, ſed & Neophytos Baptiſmo tinctos ſerpit; eo perniciorem, quo veræ fidei videbatur congruentior. Satan quippe omnis impietatis & nequitiç auctor, ſimplici popello perſuadere conabatur, inter gentilē ſuperſtitio-

Superſtitio inter Braſilios à Satana ſparſa.

ſtitionem & Chriſtianorum religionẽ exiguũ aut nullum eſſe diſcrimen: vt, dum ſincerã defœcatamque fidem edocerentur, ſibi aliam aut nouam non eſſe doctrinam perſuaderent, aut ſi qua forſan differentia intercederet, ſuam noſtræ religioni fidem eſſe præferendam. A Mamelucis aut Hybridis hanc ſectam inuentam mihi fit veriſimile: cùm enim inter Chriſtianos multa fidei noſtræ myſteria didiciſſent, aliã excogitarunt ſuperſtitionẽ quæ cum fide noſtra aliquatenus videretur coincidere, quã deinde multis cerebello ſuo procuſis delicijs ritibuſq; interpolarunt, vt illorũ dogmata inductæq; ſuperſtitioſæ cõſuetudines redderent manifeſtius. Ex vniuerſo corpore vnum eligebant, qui omnibus velut vniuerſalis paſtor pręeſſet, quẽ ritu noſtro Papã appellabant. Habebãt inſuper alios præſules, quos dicebant Epiſcopos; Sacerdotes quoque, quos illi Pſeudoepiſcopi ſuo conſecrabant ritu. Auricularis confeſſio apud illos in vſu erat, quã Sacerdotibus ſuis peragebant qui & abſolutionem dabant & ſacrũ celebrare ritu noſtro videbantur. Geſtabant è cingulo globulos filo inſertos, roſariorum noſtrorum inſtar, quos orando decurrebant. Populum ad orationẽ vel concionem conuocaturi. Ingentes cucurbitas excauatas pulſabant, vt nos campanas. Habebant etiam ad iuuentutis efformationem, collegia, in quibus quotquot volebant gratis edocebãtur, vt in Collegijs noſtris mos obtinet. Libros ex arborũ parabant cortibus, quos tenuibus lignis conueſtiebant, quib. multi ſuperſtitioſi & incogniti characteres, dæmonũ, vt dicũt, arte traditi, deſcripti cõtinebãtur. Ad perfectionis pertingẽdi apicẽ callere ſe modũ iactabãt, ad quã ſe tũ perueniſſe credebant, cũ lymphatici ac velut furibũdi ad terrã pro laberẽtur, epoto ſcil. ſucco Petinæ (herba eſt

Ad Chriſtianam religionem illam efformant.

In quã perfectionem ſummam ſitam crederent.

quæ eadem fortasse quæ Petrum, apud Brasilios, omnesque Americos notissimum:) cuius tantam esse vim tradunt ac vehementiam, vt illius succo imbibito, membris omnibus tremiscentes, ad terram magno impetu prociderent, vultúmque indecora quædam linguæ protensione in diuersa torquerent; voluebant se in terra velut epileptici, membra huc & illuc agitantes: Audiebatur interim foris incondita quædam vox velut loquentis internè, sine vllo tamen labiorum motu aut oris apertione. Denique tam horrendos exoticosq; edebant gestus, vt à solo spiritu tartareo, à quo internè possidebantur, illos elici manifestè cõstaret. Hoc in statu cum aliquamdiu iacuissent, ad mentem redibant, atque aliquantum defatigati, totum abluebantur corpus; atque hoc se modo sanctificatos credebant, & ad summum perfectæ dementiæ fastigium peruenisse; inter quos qui gestus ediderat tetriores fœdioresque, alijs sanctior habebatur. Iactabant vulgò, maiores suos ante aliquot annorum defunctos centurias, naue rursus in Brasiliam appulsuros, & nepotes à Lusitanorum seruitute erepturos: Lusitanos ad vnum omnes ab ijsdem mox vt appulissent iugulandos; si quis autem fuga subductus euaderet, in piscem eum, suem, aliudque huiusmodi pecus conuertendum. Demum neminem illorum qui hæcce crederet, cœlo excludendum; incredulos verò ab auibus rapacibus, alijsque feris dilaniandos.

Quas credant fabulas.

Lymphatica hæc superstitio, in mediterranea enata Brasilia (vbi scelestus ipse commorabatur Pontifex) per legatos, quos huc & illuc ad Brasilios interiores, etiam ad illos qui mare iuxta Lusitanos accolebant, miserant, per vniuersam mox regionem spargi cœpit: multi namque dementati

mentati cateruatim ad Pseudo Pontificem, relictis domibus & suppellectile confluebant; suos quoque interdum iugulabant liberos, aut viuos terræ infodiebant, ne vel fugientibus impedimento, vel in causa forent, ne in itinere forsitan interciperentur. Antequam verò se inde proriperent, damnum si quod poterant, aut iniuriam Lusitanis irrogabant. Villas siquidem illorum, molas saccareas & ergastula incendebant, agros consitos, arbusta, hortosque destruebant, & nefariè, quos clanculo nancisci quouis modo poterant, mactabant. Hanc Brasiliensium insolentiam compressuri Patres, pagos illorum adeunt, sed non sine præsentissimo vitæ periculo; hic omni ratione illusionem hanc diabolicam mentibus illorum exuere, & illos qui nondum fugam capessiuerāt, in officio continere. Et respondit conatibus euentus. Magnis siquidem quæ decepti moliebantur mala, hac ratione obuiam itum est, adeo vt plerique Lusitanorum, cognito quod per Patres accepêre beneficio, lacrymabundi gratias egerint, hi vitam sibi conseruatam, illi sartas tectas villas, alij damna instantia illorum studio auersa commemorantes; alij item, quorum res nondum in tuto versabantur, Sociis supplicarunt, damna vt auerterent, barbaros delinirent, & nefarium illorum molimen impedirent. Nec defuerunt etiam Patres; multos siquidem peruersa opinione ad saniorem mentem traduxêre.

Patres plurimos ab hac superstitione conuerterunt.

Hæc itaque pestis cùm vicum, qui curæ Sociorum concreditus erat inuasisset, idque absente Pastore (in absentia quippe Pastoris oues inuadere tartareus lupus solet) ille re cognita, suos adit, lapsos erigit, nutantes confirmat. Sed hinc in fide, post lapsum, fuêre constantiores, venenumque

Etiam in pago suæ curæ concredito.

que propinatum, remedium præsentissimum; vt qui nutarant, maiorem ceteris posthac in omnibus pietatem feruoremque ostenderint. Cuius rei præclarum tum testimonium dedere, cùm superiorum permissu meritas de impostore à quo seducti fuerant, pœnas sumpsere. Reuersum quippe à montibus, ad quos, alios seducturus, concesserat, cùm à propria domo parum distaret, decepti sed resipientes, inuasere, pugnisque & fustibus exceptum interfecissent, ni impedimento fuisset Pater. Sed prætori stiterunt, vt sua in illum auctoritate animaduerteret. Annuit postulatis Prætor, impostoremque morti adiudicatum in illorum manus tradidit. Cui illi primò scelestam, qua seducti fuerant, præcidemus linguam, dein ex arbore suspensum interfecere: tale de illo sumpsere supplicium, qui tanto prius apud omnes in honore fuerat. Hæc vt plurimum insolentium castigatio, eò vt deijciantur profundiùs, quo se extollere conati sunt sublimius.

Castigatio vnius è seductoribus.

Verum hæc hactenus, iam nonnulla quæ Deo ad fidei suæ stabilimentum patrare placuit, referamus miracula. Brasiliensis quædam morti proxima baptismum postulat: auditæ preces, & decumbenti Baptismus collatus, quòd iam iam moritura videretur: quo recepto sanitati mox est restituta. Efficaciam & vim baptismi ostendere voluisse DEVS videtur. Sed iam aliud de Ven. Eucharistia referamus. Brasilius in brachio telo vulneratus in præsentissimo vitæ versabatur periculo: telum quippe venam ita penetrarat, vt sæpe præ doloris vehementia, & sanguinis effluentis copia exanimis caderet; sanguinem enim nulla medicorum ars sistere poterat.

Miracula quæ apud Brasilios contigere circa baptisma

Circa Eucharistiã.

rat. Itaque cum omnis humana deficeret industria, ad Confessionem peragendam, & Eucharistiam percipiendam (Christianus enim erat) illum adstantes excitarunt. Et ecce, vt Sacrosancti viatici compos factus est, stetit sanguis, & sanitatem pristinam breui recuperauit. Multi quoque epota aqua benedicta à grauissimis sunt morbis liberati. Quo factum vt Christiana fides non modò ad plures dimanaret, sed alij quoque in eadem magis magisq; corroborarentur. Adducam & alia etiam his maiora, vbi de locis in quibus contigerunt, sermo inciderit. Antequam verò procedam vlteriùs de Missione alia è Bayensi Collegio ad intima regionis anno LXXXVII. instituta nonnulla præmittam; quamuis optato res caruerit successu.

Cùm enim Socij decem pagorum incolis, qui ad Christiana sacra aspirabant, iam persuasissent, vt ad vrbem quo docerentur commodius, sedē figerent, viso quod inde sibi imminebat damno, Satan nonnullos illorum excitauit, qui nefarium inter Socios rumorem spargerent, non ad salutem sed seruitutem se abripi, ac falsa religionis prætextu in Lusitanorum manus deuenturos. Creditum initio, adeò vt nemo Patrem sequi voluerit, vnico excepto sene cum filiâ duobusque ex illa nepotibus; quorum hic masculus gibbo grauatus erat, atque ideo gestandus, illa verò puella, cæca, quam duci opus erat. Verum vt dixisse Redemptorem in Euangelio, pateat, nolentibus intrare ad nuptias inuitatis, cæcos ac debiles in illorum locum substitutos. Luc. 14.

Hæc

Hæc ſunt quæ de Collegio Bayenſi comperta ſunt: at quoniam duæ ab illa dependent Reſidentiæ, Illeenſis ſcilicet & Portus Securi, de iiſdem hocce capite agere viſum eſt.

In Præfectura Illeenſi Reſidentia eſt Soc. Ieſu.

Illeos ergo Luſitanorum præfectura, triginta ad Meridiem diſtat leucis, in ora maris ſita; è piorum eleemoſynis Socijs hic domus fundata, qua vt plurimum ſex ſeptemve commorantur: præter ſolita exercitia ludum hic aperuêre, in quo & legere & ſcribere docetur iuuentus, cuius tãta pietas & feruor, vt ſiquod in Deũ aut ſanctos contumelioſum blaſphemumve verbum audiat, mox corã iurante in genua procumbẽs, vt à praua hac conſuetudine deſiſtat, roget. Et non ſine emolumento, vbi enim ſe maiores à pueris ad pietatem à prauis moribus traductos animari vident, ſæpe à iurando deſiſtunt. Incumbunt adhæc gnauiter Braſilienſium vicinorum conuerſioni inſtructioniq́ue: adeò vt non mediocris numerus ad fidem iam acceſſerit. Atque inter ceteros vnus qui mordicus infidelitatem tuebatur, quem magum eſſe omnes opinabantur: tanta huius erat apud barbaros incantationibus parta auctoritas, vt ad eum velut ad oraculum, plurimi confluerent; itaq́ue impedimento erat, quo minus permulti fidei manus darent. Sæpius eum ad veritatem pertrahere conati erant Patres, ſed ſalutaria conſilia riſu ludibrioq́ue excipiebat. At morbus intellectum dedit. Decumbentem enim aliquis Sociorum inuiſens, quæ ad ſalutem ſpectabant paulatim proponebat. Agnouit mox verum Deum, & quem ad mundi redemptionem miſerat Ieſum Chriſtum filium vnigenitum, antè quidem grauatè hæc audiebat, ſed benignas tum dans aures, ac diuinæ vocationi diutiùs reſiſtere

Quem inter Braſilios edunt fructum.

non

non valens, ad Patrem conuersus, Christianum esse velle, ait, & Baptismo ablui. Ne verò me nugari existimes aut verba tua eludere, à Deo sanitatem mihi redditam scias velim. hoc dicto lectulo sanus & integer se proripuit, templumque petens vnà cum vxore baptizatus est; nec sua vnius salute contentus, quam prius eluserat fidem, inter suos, apud quos auctoritate tanta valebat, disseminare cœpit, tanto zelo & studio, vt non Brasilij modò, sed & Lusitani, hac repentina visa commutatione, obstupescerent. Hoc quidem anno M. D. LXXXV. contigit, at quod iam referemus duobus aut tribus pòst annis, sed non minùs est admirabile. Eodem in pago vetula quædam adeò à fide Christiana abhorrebat, vt quicquid ad salutem suggereretur negligeret & exploderet, & (quod longè deterius) alios quoque à fide suscipienda deterreret. Interim maritus tot ei verbera infligit, vt à morte parum distare videretur; exanimis enim humi decumbebat. sed aquâ conspersa sibi reddita, vnum è Patribus ad se euocat, à quo Baptismum postulat. Inopinatæ mutationis causam ille dum petit, ait, ductam se ad loca quædam obscuriora, in quibus, qui baptismum non recepere, horrendo torquentur igne: inter quos vidi & filiam flammis circumdatam; quòd opinioni nefariæ, quam & ego tueor, mordicus adhæreret, atque ita hinc decesserit. Meum illa dorsum anhelitu suo flammiuomo adussit. nec mentita: vstulationis enim signa in tergo illius reperta sunt. Biennio aut triennio etiam pòst alius item è barbarorum coryphæis, immissa cælitus calamitate, ad mentem redijt: adeo enim peruicax & morosus erat, nullis vt ad Domini iugum verbis pertrahi potuerit. Sed sagitta vna cum filio vulneratus se gessit modestius. Inuiserunt

Conuersio & sanitas magi Brasilii.

Item alterius mulieris Brasiliæ.

Hæc sunt quæ de Collegio Bayensi comperta sunt: at quoniam duæ ab illa dependent Residentiæ, Illeensis scilicet & Portus Securi, de ijsdem hocce capite agere visum est.

In Præfectura Illeensi Residentia est Soc. Iesu.

Illeos ergo Lusitanorum præfectura, triginta ad Meridiem distat leucis, in ora maris sita; è piorum eleemosynis Socijs hic domus fundata, qua vt plurimum sex septemve commorantur: præter solita exercitia ludum hic aperuêre, in quo & legere & scribere docetur iuuentus, cuius tāta pietas & feruor, vt si quod in Deū aut sanctos contumeliosum blasphemumve verbum audiat, mox corā iurante in genua procumbēs, vt à praua hac consuetudine desistat, roget. Et non sine emolumento, vbi enim se maiores à pueris ad pietatem à prauis moribus traductos animari vident, sæpe à iurando desistunt. Incumbunt adhæc gnauiter Brasiliensium vicinorum conuersioni instructionique; adeò vt non mediocris numerus ad fidem iam accesserit. Atque inter ceteros vnus qui mordicus infidelitatem tuebatur, quem magum esse omnes opinabantur: tanta huius erat apud barbaros incantationibus parta auctoritas, vt ad eum velut ad oraculum, plurimi confluerent; itaque impedimento erat, quo minus permulti fidei manus darent. Sæpius eum ad veritatem pertrahere conati erant Patres, sed salutaria consilia risu ludibrioque excipiebat. At morbus intellectum dedit. Decumbentem enim aliquis Sociorum inuisens, quæ ad salutem spectabant paulatim proponebat. Agnouit mox verum Deum, & quem ad mundi redemptionem miserat Iesum Christum filium vnigenitum. antè quidem grauatè hæc audiebat, sed benignas tum dans aures, ac diuinæ vocationi diutiùs resistere

Quem inter Brasilios edunt fructum.

non

non valens, ad Patrem conuersus, Christianum esse velle, ait, & Baptismo ablui. Ne vero me nugari existimes aut verba tua eludere, à Deo sanitatem mihi redditam scias velim. hoc dicto lectulo sanus & integer se proripuit, templumque petens vnà cum vxore baptizatus est; nec sua vnius salute contentus, quam prius eluserat fidem, inter suos, apud quos auctoritate tanta valebat, disseminare cœpit, tanto zelo & studio, vt non Brasilij modò, sed & Lusitani, hac repentina visa commutatione, obstupescerent. Hoc quidem anno M.D.LXXXV. contigit, at quod iam referemus duobus aut tribus pòst annis, sed nòn minùs est admirabile. Eodem in pago vetula quædam adeò à fide Christiana abhorrebat, vt quicquid ad salutem suggereretur negligeret & exploderet, & (quod longè deterius) alios quoque à fide suscipienda deterreret. Interim maritus tot ei verbera infligit, vt à morte parum distare videretur; exanimis enim humi decumbebat. sed aquâ conspersa sibi reddita, vnum è Patribus ad se euocat, à quo Baptismum postulat. Inopinatæ mutationis causam ille dum petit, ait, ductam se ad loca quædam obscuriora, in quibus, qui baptismum non recepere, horrendo torquentur igne: inter quos vidi & filiam flammis circumdatam; quòd opinioni nefariæ, quam & ego tueor, mordicus adhæreret, atque ita hinc decesserit. Meum illa dorsum anhelitu suo flammiuomo adussit. nec mentita: vstulationis enim signa in tergo illius reperta sunt. Biennio aut triennio etiam pòst alius item è barbarorum coryphæis, immissa cælitus calamitate, ad mentem redijt: adeo enim peruicax & morosus erat, nulls vt ad Domini iugum verbis pertrahi potuerit. Sed sagitta vna cum filio vulneratus se gessit modestius. Inuisefunt

Conuersio & sanitas magi Brasilii.

Item alterius mulieris Brasiliæ.

tunt illum Patres lecto defixum, à quibus ille Baptiſmum petiit. Præuia igitur ſufficienti inſtitutione eiuſdem compos redditus eſt. Cùm verò vulnus incrudeſceret, mortiq; fieret proximus, ſeruos, quemdã è Patribus reuocare præcepit. Sed nullus ſeruorũ voluntati illius morẽ geſſit, quod in errore ſuo eſsẽt obdurati. Quorũ ille viſa pertinacia crucem arripit, quam velut Christianus, licet neophyſtus, ſingulari honore proſequebatur; hanc magna animi pietate, lachrymabundus amplectens, animam Deo reddidit. Sed de conuerſionibus ſatis hactenus.

Aimuri & Gaimuri. Vt verò pòſt dicenda pateant manifeſtius, ſcire oportet, haud procul ab Illeenſi præfectura Aimuros aut Gaimuros commorari, quibus nullos in vniuerſa Braſilia immaniores eſſe tradunt. Proprios enim manducare membratim dicuntur liberos, (quod Saturnum feciſſe canunt Poetæ) & aperto prægnantium vtero fœtus educere, ac coram deuorare. *Illorum crudelitas.* Homines, vt nos feras, venando captant, quos deinde mactatos deuorant. ſæpe quoque inopinatò in Luſitanorum irruũt ergaſteria ac villas, & quaſcunque abducere operas poſſunt, ad ſuas lanienas abripiunt, ſaginataſque aliquamdiu obtruncant, & eſui parant. Quiſque vti placuerit agit; nullis coercentur legibus; ſuperiorem non agnoſcunt, cuius præceptis obſequantur. is tamen omnium habetur generoſiſſimus & impigerrimus, plures qui inimicorum mactarit ac deuorarit. idcirco non ideo tamen vllum in alios ius auctoritatemque habet, nec inſontes animaduertere poteſt. Aduigilant imprimis, ne quis ſuorum vllum cum hoſte habeat commercium, & ſi quem cum hoſte vel locutum compererint, iugulant ac deuorant.

Turmatim aut conglobatim non egrediuntur, licet etiam in hostes proficiscantur; sed ex insidijs proditioneve omnia sua agunt, post arbusta, dumos collesque in via latitantes, & inopinantem sagittis viatorem confodiunt; Arte quippe sagittandi valent: siquod ab hoste immineat periculum, intima siluarum fugâ petunt, tanta quidem pernicitate vt ceruos dicas. Bello proinde impeti nequeunt, certo enim non subsistunt loco. Si quam hominum turbam eminus conspiciant, fuga sibi consulunt: aperto enim confligere non audent campo vel velitari.

Haud procul à flumine cui à Sancto FRANCISCO nomen, ad vsque promontorium frigidum sedes habent, quod centum ferme leucarum est interuallum; non tamen in ora maritima. Hinc enim à Tupinambaldis & Tupinaquinis, de quibus pòst loquemur, iam olim pulsi sunt. Frequentes etiam hic Lusitanorum sunt coloni, quæ impedimento sunt quo minus ad hanc oram barbari pertingant. Sed interiora regionis occupantes, in proxima Lusitanorum opida & Brasiliensium pagos inde irruptionem faciunt, variaque inferunt detrimenta. Adeo vt plerique Lusitanorum qui sua hic ergasteria habebant, eadem sint deserere coacti, quamuis triginta aut amplius aureorum annuè valerent millibus. quotidiana enim barbarorum erat incursio, pericula quotidiana.

Metuentes siquidem ne tandem etiam à barbaris deuorarentur, qui iam seruos omnes & operas

operas domesticas deuorarant; S. Aimari opidum deserere compulsi sunt, simul & quinas molas saccaro parando constructas, è quibus non exiguum trahebant compendium. Ipsa quoque præfectura Illeēsis, in solo cōstructa fertilissimo, penitus propemodum euersa fuit; quin & alij agri feracissimi frugibusq; ferēdis maximè accōmodi, deserti, quòd qui eosdem colerent, præ Aimurorum m etu, nullus superesset. At Portus Securi opidum impetum ac violētiam illorum in primis expertum est; ita enim destruxerunt, viceni vt vix hodie incolæ numerentur qui quòd quotidiano barbarorum infestentur incursu, vix se sustentare queūt: vt sæpe herbis radicibusq; viuere, præ commeatus inopia, & agrorum solitudine, cogantur. Bayenses quoq; non parum molestiæ ab ijsdē perpessi sunt, donec tandem abhinc paucis annis, inita cum ijs pace, quotidianam vexationem redemerunt, vt suo loco Deo dante, in historiæ huius supplemento dicemus: pòst annum enim sæcularem millesimum sexcentesimum id contigit.

Opidum S. Aimari desertum, & arces destructæ.

Sed ad Illeenses reuertatur narratio. Litteris anni M.D.LXXXI. traditum est, illos, ex quo S. Georgij reliquias Româ ante sexenium à R.P. Generali Soc. IESV accepere, Aimurijs hanc coloniam semper infestantibus, in conflictibus præualuisse: nulli vt Lusitani in posterum desiderarentur, & Brasilij Socij quàm paucissimi, quòd meritis suffragijsque Gloriosi athletæ Georgij ascriptum est, cuius hic festa dies magna omnium celebritate ac lætitia peragitur, quam plurima sæpe Catechumenorum quæ ad baptismum admittitur, turba, condecorat ac lætiorem reddit. Anno siquidem M.D.LXXXI. quingenti Christo accessere. Sed satis superque de Illeensi præfectura locuti; ad Portum Securum transeamus.

Illeenses Aimurios profligant, ex quo S. Gregorij habuere reliquias

Hoc

Hoc loco nomen inditum, quòd primus portus foret, ad quem post varias maris iactationes & errores Aluarus Capralis, regionis huius explorator, appulit; ideoque Portum Securum vt suprà dictum est, nuncupauit: cui deinde Lusitani vrbem inædificatam, eodem dixerunt nomine. Quinquaginta ad Austrum à Baya, & viginti ab Illeo distat leucis, in ora maritima sita. Hic item Sociorum domus est, in qua sex ad summum commorantur. Pueri hic scribere ac legere docentur, & gnauiter, (vt & alijs in locis) in Lusitanorum ac Brasiliensium saluté incumbitur. vndecim circũcirca barbarorũ hic sunt pagi, quos Socij, Dei verbũ disseminaturi, oberrant, vt miseros ad Dei cognitionem perducant: qui sæpe miraculis & prodigijs ad eamdé cælitus vocantur, vt quã iam referam historia reddet manifestius. Brasilius auctoritate inter omnes suos maximè præstans, lepra cùm scateret, nulla ratione sanitati restitui poterat. At qui illum inuisebat Sacerdos, recuperandæ valetudinis spem iniecit, modo in Deum fidem conijceret; qui non lepram modò pellere, & salutem corporis, sed & animæ dare poterat. Aperuit quoque, Ecclesiæ illum suæ, non animarum solummodò sanandarum, sed & corporum interdum, potestatem reliquisse; declarataque prius aquæ benedictæ vi & energia, eadem leprosum abluit. Et ecce, mox vt ablutus, Naamanis Syri Iordanis vnda immersi instar, omnis lepræ Deo auxiliante, abijt contagio. Sed non minor hinc ad animam illius fructus dimanauit: hic siquidem cum vniuersa familia & omnibus pagi incolis ad Christum transijt: quin & exemplo huius alij duo proximi pagi, atque ita paulatim ceteri Christiana Sacra suscepere. Sed non euidenti Sociorum doctorumque periculo & ma-

Vnde nomen Portus Securi.

Leprosus aqua benedicta sanatus & conuersus.

Pericula Sociorum hic commorantium.

us occasione historiam, quæ anno M. D. X C V. in Bayensi portu contigit, subnectam. Rupellani piratæ Bayam deprædaturi cùm soluissent, priusquam in Brasiliam tenderent, arcem quandam Lusitanorum in Africæ ora ad promontorium Candidum, quod 21. gradibus est latitudinis septemtrionalis, sitam inuaserunt. Quòd enim negligentius excubarent vigiles, sine vllo obstaculo subiere, iugulatoque cum aliquot militibus præfecto, mœnia ad terram deiecere. Quòd verò hæretica labe conspersi essent, templum quoque euertere, altaria demoliri, imagines confringere, & quidquid in eo sacrum & religiosum erat, destruere cœpere, seruata dumtaxat ad ludibrium D. Antonij Paduani (quamuis patriâ Olyssiponensis) statua. Huic in naues acceptæ gladium accingunt, ac contumeliarum in eamdem plaustra exonerant, Antonium Lusitanum per contemtum nuncupant, & rogant, suam vt nauem ad portum Bayensem perducat, vtque secum conflictum ineat, inuitant. Sed breui vltrix Dei manus adfuit; fæda siquidem tempestas vniuersam classem huc illucve distraxit, perque nauicularios dirissima peste grassante, tantam calamitatem subijt, vt binæ dumtaxat naues oram Bayensem attigerint. Quarum vectores, aquandi gratia exscensione facta, capti à Lusitanis, in vincula coniecti sunt: ceteri qui in nauibus permanserant, quòd exhausti essent morbis, vita integra, se suasque naues Lusitanis dedidêre. Quarũ altera, quod exhauriendæ sentinæ vectores non sufficerent (omnibus contagio exstinctis) fundum præ aquæ subintrantis pondere petijt: altera verò, qua D. Antonij imago vehebatur, vt ridendo postularant piratæ, Bayam perducta est.

Historia nobilis de piratis Rupellanis.

Hæretici imaginem D. Antonii Paduani insultant.

Veriti verò, sua ne pateret nequitia, imaginem

diffidia diffenfionefque in fide eamdem breui deferere coacti funt: omnes enim heretici erant,aut in hærefin animo propendebant. Fieri enim non poteft,vt qui à Chrifti Ecclefia femoti funt, incognitas detegendo regiones profperos lætofque fucceffus habeant. Aliam enim ob caufam (vt initio operis huius notare memini) non videtur Deus incognitas nobis regiones detegere voluiffe,quàm vt fplendido fidei lumine illuftrarentur. Falfitatem ergo prius eôdem inferri prohibet, quàm detecta,edocta,& propagata fit veritas.

Cur hæretici nouas detegendo regiones profpero non gaudeant fucceffu?

In hoc igitur fluminis Ianuarij opido (hoc enim ipfum donabimus nomine impofterum) collegium Societati IESV fundauit Sebaftianus rex, vt & cetera, quæ in Brafilia funt. Quinquaginta hic vt plurimum Socij agunt, fi annumeres qui in Refidentijs hinc dependentibus commorantur. Theologia moralis,& Latina lingua hic de fuperiore loco docentur, paruuli verò litteras & legere & formare. Præter ea quæ Lufitanis impenduntur obfequia, duo magni Brafilienfium pagi, haud procul ab opido, in quibus duo & amplius hominum millia commorantur, Sociorum curæ concrediti funt; omnes fiquidem illorum induftria ad fidem tranfierunt, & facro fonte abluti funt. Si quando verò Brafilij interioris regionis ad Chriftianam commigrare religionem volunt, pagos hos adeunt, in quibus edoceantur & Baptizentur.Duo Socij in fingulis pagis agunt, vt & de alijs fuprà diximus locis. Sunt & alij qui ergafteria & faccari molas obeunt, vt mancipia, quæ in infidelitatis adhuc tenebris verfantur, ad fidem conuertantur,aut conuerfis Pœnitentiæ, Euchariftiæ ac Matrimonij Sacramenta adminiftrentur; Socij quippe parochorum hic vices agunt, & fingulari Pontificis indulto barbaros, ad Eccle-

Collegium Sociorum in opido fluminis Ianuarii.

Mancipia Nigra cõuertuntur & confolantur.

ſiæ præſcriptum legitimo iungunt matrimonio. Inprimis verò miſellos in calamitate ſua conſolantur: ſæpe quippe heros nanciſcuntur: qui plus æquo ad rem attenti, noctu diuque, aſinorum iumentorumque inſtar in ergaſterijs detinent; alij quoque indignis habentur modis, grauiſſimaque patiuntur incommoda. nullum vt maius habeant gaudium, quàm ſiquis Sociorum ad eos commigret, in laboribus ſoletur, & apud immites Dominos cauſam illorum agat, & laborem minui poſtulet. Quorũ preces ſæpe pondus habent. hinc miſelli ſingulari Socios honore & amore proſequuntur. Hæc ſunt, quæ in genere de hoc Collegio dicenda videbantur, iã ad ſingularia deſcẽdamus.

Hiſtoria notabilis. Anno ſalutis M. D. LXXXI. cùm præfectus vrbis cum vniuerſo propemodum præſidio aduerſus barbaros quoſdam mediterraneos, à quibus grauiſſima patiebantur incommoda, profectus, vrbem vacuam deſeruiſſet; tres hæreticorum Gallorum naues armatæ & inſigni claſſiariorum numero inſtructæ, eôdem appulerunt. *Zoeni, Margageatæ, Tapinambaldi, Tupinequini Braſiliæ populi.* Qui cum Ianuarij fluminis oſtium ſubirent, Zoënis amicis ſocijſque, tormentorum exploſione ſignum dederunt. Quos eoſdem eſſe credo cum Tupinambaldis, mortalibus Margageatarum & Tupinaquinorum (qui cum Luſitanis Societate iuncti ſunt) hoſtibus. Galli, Socijs etiam non prodeuntibus, aduerſo flumine ad vrbem nauigarunt. Terruit hæc inopinata claſſis ciues omnes; quod nullum in vrbe reliquum præſidium foret. Acceſſit adhæc ſparſus quidam illis diebus incerto auctore rumor, ducem vnà cum Socijs, qui ad bellum profecti erant, hoſtili ferro cecidiſſe. Ciues cum ſibi ad hoſti reſiſtendum deeſſe viderent vires, nec ſuppetere qui vigilias obirent, feminas armatas in muro collocarunt,

quæ

quæ prædonibus terrori forent. Præfecti vxor agmen ducebant, hasta armabat manus; quam mox reliquæ secutæ mœnia compleuerunt. Ipse quoque vrbis Episcopus, qui in præfecti absentia, loci regimen habebat, adeo strenuum se præbuit, vt non minus ducis quàm pastoris partes ageret. Nec Sociorum etiã hic cessauit industria; pars enim domi orationi vacare, pars Præsuli in rebus necessarijs subministrandis adesse; terram, lapides, aliaque suis ipsi humeris ad locum debitum deferre; quin & omnem domus supellectilem, quæ ad vrbis defensionem vsui foret, vt lectos, ceruicalia, puluinaria, aliaq; impendere, verbo & exemplo alijs animos subdere, ne, Deo confisi, locum desererent. Appellunt interim piratæ, qui tormenti explosione velum contrahere iussi, paruere; & pacis signo ostenso duos suorum ad vrbem emiserunt. Sed intra vrbem minimè admissi. Quo viso, re infecta sublatis ancoris, abierunt. Diuinæ hoc fuit prouidẽtiæ argumentum. Si enim sumptis animis accessissent propiùs, vrbemque oppugnassent, ad primũ hauddubiè impetum cessisset. Sed mentem eripuit Deus; post quorum discessum singulares Deo gratiæ persolutæ. Quòd verò Sociorum adhortationibus locum non deseruissent, vitam ijs & fortunas debere se, publicè confessi sunt. Sed vrbe egressi, videamus quid in agris tum quò ad pacem ac bonum publicum, tum verò incolarum salutem contigerit.

Stratagema bellicum.

Diuina prouidentia erga opidum fluminis Ianuarij.

Anno M.D.LXXXV. Brasilij Mediterranei ob mutuas hinc inde irrogatas iniurias à Lusitanis, occulta dissensione diffidebãt, vt grauissimũ hinc exoriturum omnes bellum crederent. Ciues viso quod imminebat damno, non mediocriter cõturbati sunt. Vt igitur res componerentur, Rectorem collegij adiere primores vrbis, vt vnum è

cus ac sedes domicilij mutanda Brasilijs quodam tempore cum esset, quò ad commodiorem locum commigrarent, Pater qui eisdem præerat, primò vt tuguria sua exstruerent præcepit, templum Deo postea per otium ædificaturi. Absit, inquiebant omnes, prius vt nobis quàm Deo donum paremus: cum bona P. Rectoris venia, Deo prius, dein nobis ædes construemus. Piæ illorum voluntati refragari Pater Rector cum non auderet, gnauiter manum operi admouentes, templum Deo spatio quàm breuissimo erexere. Sed audi; erat inter ceteras operas quidam ætate grandior & maturus, & auctoritate reliquis præstans; filium hic trimulum operi insudare pro tenella ætate volebat, & manibus aliquot terræ glebas ad templi fabricam deferre; Eia agedũ fili mi, inquit, hanc terræ portiunculam parieti inde; tibi enim locus hic paratur. cùm Dei gratia, in hæc natus sis tempora, quibus prima maiorum nostrorum barbaries consenuit & exoleuit. Sed ecce rem aliam penitus prodigiosam.

Pietas Brasilienfium neophytorũ.

Lusitani ancilla Christiana triduanis partûs doloribus iã exagitata, ab omnibus deserta erat, ab ipso etiã Domino, qui omnẽ vitæ spem abiecerat. In maximis ergo doloribus constitutæ apparuit Deipara misericordiæ mater, quæ magna morum grauitate ac modestia, pręmissa salutatione, partũ vt ederet edixit. Nec vana fuere verba. fœtum enim sine dolore cùm esset enixa, euanuit Deipara. Alia interim prætereo, quæ, quamuis non sine miraculo cõtingant, hic quotidiana sunt, & paria his quę superius suo narrauimus loco, qualia sunt per baptismũ, aquam benedictã, aliasq; res sacras reddita sanitas: quæ tamẽ ad fidei incrementũ maximo sunt adiumento. Sed hæc quo ad hoc collegium locaque vicina, dicta sufficiant: iam ad Resi-

Partus intercessione Deiparæ prodigiosus.

dentias quæ hinc dependent, transeat narratio.

Præfectura S. Vincentii. Prima est Vincētiana, vbi Lusitanorū præfectura, in exiguo maris sinu, 24. gradibus latitudinis australis, in ora maritima sita; quadraginta ab opido fluminis Ianuarij leucis remota, austrū versus. Sex septemve Socij hic commorantur, qui sedulò & impigrè Lusitanorum simul & Brasilienſiū saluti inuigilant; hi in varios dispertiti sunt pagos circumsecus opidum; ad quos quotidie noui hinc inde incolæ Sociorum operâ confluunt. sæpe quippe interiorem adeūt regionem, ac præsertim Carigios, qui in ora maritima, octoginta circiter leucis à Vincentiano ad Austrum distant opido, & ad ducentas propemodum leucas in eadem se ora extendunt. nam ad vsque fluuium Argenteum pertingunt. Gens est omnium Brasilienſium politissima, cultissimaque, vt præter aliorum consuetudinem ferarum exuuiis cooperiantur. Si quando ad eos commercij gratia Lusitani proficiscuntur, sine vllo metu nauigia subeunt, ac vicissim Lusitani per eorum pagos securi discurrunt, quasi in propriis agerent domibus. Forma sunt insigni, & nonnulli candore cū Europæis certant. In pagis erectas cruces singulari honore prosequuntur: quod ab Episcopo & Religiosis nonnullis, ab hinc aliquot annis illac transeuntibus, sibi ostensum aiunt, à quo & plurimi baptizati sunt, cuius rei etiamnum apud nonnullos recens est memoria. Hos esse crediderim, qui Petrum Corream & Ioannem Sosam necarunt, vt suo diximus loco.

Carigii dociles.

Lusitani Carigios astu secum trahunt. Hanc cum Lusitani prouinciam detexissent, quā primum commercia cum iis inire cœpêre, etiam opidi Vincentiani ciues, & iam Societatem cum iisdem contraxerant. Fuêre tamen nonnulli Lusitani, qui venditis mercibus septuaginta circiter Carigios vi vel arte abduxerunt; in nauem namq;

dedu-

deductos sublatis velis, nihil minus cogitantes auexerunt. atque inter eos vnum, qui ex optimatibus erat, Caiobigum nomine, Farancahæ, auctoritate item apud suos pollentis, fratrem. Ad opidum Vincentianum cum venissent, nonnulli militum, angi intimè cœpêre (rarum in milite) quod præter ius & fas hosce captiuos abduxissent, quibuscum fœdus ac pacem inierant, & à quibus nullam passi prius erant iniuriam, præfectum vrbis adiêre, hic rem exactè discuti coram iudicibus iussit; condemnatique sunt nauarchus, ac cæteri eosdem captiuos ad sua reducere, & suis interim alere expensis. Ceterum quòd reliquorum odium vererentur, quos grauiter offenderant, aliquot secum Socios, qui causam suam apud Carigios agerent, & consanguineos abductorum pacarent, à Superiore Collegij petierunt. Annuit Rector, deditque duos causæ patronos, Augustinum de Matos scilicet, & P. Custodem Pirezium, qui anno M. C. XCVI. quarto Decembris, opido Vincentiano soluentes tandem ad Portum Caioios, quem Lusitani Patos nuncupant, id est, Anserum (quod non procul inde lacus sit, qui ab Anseribus, quorum magna hic copia, nomen inuenit) appulerunt. Quòd verò hunc circum lacum sedes Carigij habeant, Lusitani vulgò eos Patos, id est, anseres etiam nominant. Exscensione facta, Patres ingentem inprimis crucem fixêre, dein duos Carigiorum reductorum vnà cùm Brasilio, qui in pagis opidi Vincentiani commorabatur, ad Farancaham Caiobigi fratrem miserunt, qui sui & Lusitanorum aduentus causam declararent. Cuius habito responso, in littore è ramis & virgultis ædiculam ad sacra peragenda erexerunt.

Eosdem educere compelluntur.

Portus Patensis.

Farãcaba vnus è principalibus Carigiis.

Trepidabant interim Lusitani, ignari quo tandem

dem

dem modo ſuam Carigij grauiter læſi legationem admitterent. Sed omni metu breui ſoluti ſunt: legati namque ad Farancaham deſtinati, cum aliquot alijs Carigijs in comitatum additis, qui Patribus & Luſitanis aduentum gratularentur, rediere, & Farancaham quàm celerrimè ad eos excurſurum. Nec fefellit: poſt aliquot ſiquidem dies ingenti ſtipatus multitudine appulit. Cæruleam geſtabat togam, quam rubra in pectore exornabat crux, qualem S. Iacobi equites pro more geſtare ſolent: decorè à latere pendebat enſis. Huic obuiam cum honore proceſſere Patres, & ad ædiculam venientem deduxere: à quo viciſſim illi benignè humaniterq́; recepti. In quorum medio cum conſediſſet, vbertim lacrymari cœpit, & arctè vtrumque ſtringere: nam ſingularis hoc apud illos beneuolētiæ & affectus ſignū eſt. Quotieſcumque enim aliquem amicorum aut affinium peregrè venientem excipiunt, in lachrymas prorumpunt; vel quod præteritas viæ difficultates commiſerentur, vel quòd gaudij hoc & exultationis apud eos ſit argumentum. Præ gaudio enim hominem plorare ſæpe contigit. Lacrymandi finem cùm feciſſet, quas à Luſitanis ipſe ac ſui nullo ſuo immerito paſſi eſſent iniurias referre; ſed harum omnium in Patrum gratiam obliuiſci ſe velle, ac nouam cum Luſitanis Societatem inire; quin etiam cum vniuerſa familia ac ſuis Chriſtiana ſacra ſuſcipere. Luſitani, qui hactenus præ timore trepidantes naui ſe continuerant; vbi nullum ſubeſſe vident periculum, in terram exſcenderunt, Carobigum Farancahæ fratrem & reliquos Carigios ſecum ducentes. Amborum cum conſenſu mox inita pax; quam vt Farancaha confirmaret, nepotem, quem vnicè complectabatur, Patribus ad opidum Vincentianum

Patres benignè excipit.

Fletus gaudii index.

Pax inter Luſitanos & Carigios inita.

num deducendum, ac fide bonisque moribus instruendum dedit. quod autem diutiùs hic eos commorari vetitum esset, propediem vt redirent enixissimè postulauit, vt se & vniuersam familiam ac consanguineos omnes fidem edoctos sacro Baptismate ablueret. Christiana enim sacra illos recipere velle aiebant, ad quorum reditum parata Deo templa fore spopondit. Vale dicto ad sua mox rediit. Nuntiatum interim quatuor aut quinque eiusdem gētis primores, magno stipatos comitatu in procinctu esse, & ad Socios properare. Hinc ad aliquot dies abitum suum distulerunt. Venerant hi Patrum videndorum causa, rogaturi vt in viam salutis errantes deducerent. Patres cum longiorem trahere moram, & sanctam illorum petitionem reiicere non possent, binas aut ternas ad illos habuere conciones, in quibus aliquam pro temporis angustia Dei cognitionem animis illorum instillarunt. Quod quo gaudio ac mentis consolatione alij audirent, gestus exterior & corporis forma satis indicabat, ita vt omnes ad pietatem emoueret. Horum primus audito Farancaham suum illis nepotem, in amoris arrham ac celerioris reditus testimonium & obsidem dedisse, primogenitum quoque filium tradidit, quem Christiana fide imbuerent, & propediem cum illo reuerterentur, ac tum vniuersos baptizarent. Cum iam discessus tempus aduenisset, tantum abitu illorum mœrorem ostendebāt, ac si toto vitæ tempore simul habitassent. Haud multo post tres ad Carigios commercij causa profecti sunt Lusitani. Quos dum è Sociorum esse putant numero, magno eos plausu & gratulatione excepere, at vbi se frustratos esse & mercatores non pastores intellexere, non parum doluere; ac præsertim vnus à primoribus, qui Pa-

4 Vel quinque primores Carigii ad Patres veniunt.

Horum primus filium primogenitum Patribus dat, vt ab illis instruetur.

trum

trum desiderabat aduentum, deque eorum fide expostulabat. grauiter enim ægrotabat. quibus, si sine Baptismo discedere contingeret, perditionem atque animæ iacturam, ascribere se dixit. Orauit ob sacra Lusitanos, Baptismum vt conferrent. Sed nemo id ausus fuit. Illorum tamen industria conualuit, sed recrudescente dein inualitudine, sine Baptismo diem clausit. bonam voluntatem ratam habuisse crediderim Dominum ac pro Baptismo aquæ, quem summopere desiderabat, ignem Spiritus sancti elargitum. Quod subnectam euidenter demonstrat, quo salutis ardeant desiderio. Horum vnus cum ad opidum Vincentianum profectus, & templum Sociorum Apostolo Paulo dedicatum ingressus, nonnullos sacro fonte ablui vidisset, intellexisset q; rudi quadā ratione, Baptismi Sacramentum conferri, ad suos reuersus, quæ vidisset, enarrauit. Hinc plurimi ad eum baptizandi confluxere; sed cum nonnisi aqua vertices illorum, sine solennium verborū prolatione (ignorabat enim) conspergeret, nullius ablutio hæc erat meriti. Socij viso Carigiorum in fidem Christianam desiderio ac zelo, Sebastianum Gomezium ad eosdem destinarunt: de cuius aduentu, certiores redditi indigenæ ad mediam ei leucam obuiam processere, magnoq; gaudio & plausu illū excepere. Plurimos illorum Christo lucrifecit, atq; inter ceteros puellā trimulam, quæ Baptismo recepto exultans cantillare cœpit, suamq; sortem deprędicare, quòd in Dei filiā esset adoptata. Tanto porro Carigij fidei ardent zelo, vt Patrum aduentum non præstolantes, ipsi vltro ad S. Vincentij coloniam, Baptismi desiderio, confluant. Integra etiam venit familia sacro latice abluenda, & cum illa tres è primoribus pagi, quos breui ad suos reuerti opor-

Quo in fidem ardeant zelo.

Sociorum vnus plurimos Carigios Baptizat.

oportebat: venit & alius magnæ auctoritatis, qui Baptismo recepto ad suos etiam reuerti volebat. Is habere se fratrē dicebat, qui maxima inter suos auctoritate polleret, ab hoc se missum vt Socios ad ipsum perduceret, quod ipse & omnes subditi Christiana sacra suscipere, & ad Christianorum opida commigrare, maximopere desiderarent. sed priusquam sedem mutaret, missurum seruos qui terram excolerent & sementem facerent, ne illo veniente ad vitam necessaria deessent.

Multi quoq; è primatibus Carigiorum ad Vincentianam à suis missi venêre, Patres rogaturi vt suos ad opida Christiana deducerent; sine illis enim venire se non audere, ne forte à Lusitanis in seruitutem abriperentur, atq; ideo pagos Piratiningenses penitus desertos esse. Si enim, inquiūt, cum amicis & Socijs Lusitani ita se gerant, id est cum ijs qui moribus illorum assueuerant, & simul commorabantur; quid nobis fiet, qui nonnisi recenter pacem ac fœdus cum ijsdem inijmus? est sanè iusta metuendi causa: tanta namque Lusitanorum in barbaris captandis hic insolētia & auiditas, quo illorum opera in ergasterijs vtantur, nullo vt regiorum edictorum metu, vel Dei honore coërceri posse videatur; magna huic proinde iniuria irrogatur, quòd plurimos qui Christi fidem amplecterētur, & ad opida accederent, deterreant; dum enim irrogatam socijs iniuriam sibi proponunt, ne sibi eadem fiat verentur. Nonnullorum igitur insolens cupiditas animarū multarum salutem impedit. Sed iusto Dei iudicio longè secus accidit: Vincentiana enim colonia & omnes quæ in Indigenas inhumaniores sūt, in dies decrescunt; aliæ verò quæ ijsdem bene volūt, & humanas se exhibēt quotidie magis magisque efflorescunt. Sed iā ad alia transeamus opida.

Cur Carigii Lusitanos metuant.

Auaritia multum boni impedit.

CAPVT

CAPVT XXX.

Ex fructu in Piratiningensi colonia, & omnium Sanctorum, & S. Spiritus, & Brasiliensium pagis inde dependentibus, edito.

PIratiningensis colonia decem duodecimve à Vincentiano opido distat leucis, non quidem in ora maritima, sed in interiori regione. Residētiam hic habent Socij, in qua sex septemve commorantur; qui saluti Brasiliensium circumsecus habitantium, qui octo sunt millia in vniuersum, potissimum inuigilant. Multa quidem quæ ad exemplum aliorum sunt, dicenda forent, sed breuitatis causa vnum duntaxat referemus. Brasilius in pago quodam laudabiliter vixerat; hic cum ad vitæ extremum peruenisset, duæ vicinæ Brasiliæ, quæ Christianæ erant, & ægrotanti adfuerant, testatæ sunt, vidisse se animam mortui à multis adolescentibus candidatis ad cælum deferri. quo viso petiēre, se quoque vt hinc ad beatas sedes educerent. quarum vni, quæ sanctam vitam agebat responderunt, propediem illā in cœlum subleuandam; alteram verò quæ parum probam vitam instituebat, nisi vitam corrigeret, secum non venturam. Ita probos remuneratur Deus, beatissima illos morte beans; alios verò minus cautos, vitam vt emendent, commonefacit.

Beata Brasilii mors.

Anno M. D. X C. Piratiningæ discessit P. Emmanuel Chaues Societ. Iesu, senio & laboribus exhaustus. octogesimum hic agebat annum, sed caritate erat infracta & indefatigabili: nam ætate quamuis grauis, omni quo poterat studio ac labore animas Christo lucrifacere contendebat, vt pedes, & sæpe nudipes Brasiliensium pagos obiret: Et sanè oportuno hinc ablatus est tempore, ne forte

Item P. Emmanuelis Chaues.

ne fortè instantem patriæ ruinam coràm intueretur. Barbari quippe interiores magno impetu opidum aggressi omnia circumquaque destruxerunt; villas euerterunt, pecorum greges abduxerunt. Quod verò magna hostium esset multitudo, varijsq; belli machinis vrbem oppugnarent; se resistere posse diffisi sunt Lusitani. Interim Socij qui vrbe continebantur, precibus & orationi vacabant, ciues adhortantes, locum ne desererent; sed opem exspectarent, quam nihil minus exspectantibus Deus interim parabat. Præfectus enim opidi, quod ab omnibus Sanctis nomen habet, & paruo à Piratininga distat interuallo, periculi imminentis per literas factus certior, omnes quos poterat Lusitanos collectos armari iubet, & rectà ad obsessos contendit, assumpto secum vno è Socijs, qui in vrbe Sanctorum cum aliquot suorum commorabatur. Irruperant iam in suburbia Pagani, vbi Deiparæ imaginem luteam sacrilegis confregerunt manibus. Sed mox vt Lusitanicum aduenit auxilium, & neophyti Brasilij socias copias iunxerunt, hostis magno suo damno, multis suorum desideratis, in fugam se dedit. Interim verò dum certamen iniretur, Socij, dum confessionibus excipiendis vacant, & alios ad fortiter certandum exstimulant, ac proinde sæpe in prima acie inter media barbarorum tela versaretur; multiq; circumquaq; occumberent; illæsi perstitere quod singulari Dei protectioni ascribendũ; cum præsertim in apertissimo vitæ versarentur discrimine. Hostium fuga bello confecto, in manus deuenit sacrilegus, qui Deiparæ violarat imaginem: qui caudæ alligatus equinæ, vicatim raptatus tandem animam efflauit.

Piratininga euertitur.

Sacrilegiũ punitũ

Haud procul à Piratininga gens est interiorem regionem versus, quam Miramoninos vocant, qui finimorum

Miramonini quinã sint.

morum barbarie & linguæ discrimine à ceteris dissident Brasilijs. Turmatim quippe hinc inde oberrant, eo pene modo quo arioli in Europas quos Bohemos aut Aegyptios dicimus, qui venturas hominum sortes prædicere se posse iactant. Lusitanis Piratiningensibus plurima hi inferre solebant damna, dum derepente in eorum villas ac suburbana irruunt, & obuia quæq; destruunt. Quòd verò nemo illorum calleret linguam, hinc ad eos fidei propagandæ causa itum non est, donec anno M. D. LXXXVII. quidam Sociorum ad eos profectus, signis potius quàm verbis eosdem instruere conatus est. Quid vellet, nemo intelligebat, sed linguæ illius penitus ignari erant.

Multi eorum conuertuntur. Cùm verò breui linguã illorum percepisset, ita illos erudiuit, vt plurima, barbarie exuta ad humaniorem cultum & fidem Christianam transierint; qui exstructo Deo templo, sua circumsecus pararunt tuguria; iam verò nullum prorsus Lusitanis inferunt damnum, sed in illorum ergasterijs sedulò laborant, ijsque qua possunt solertia succurrunt, quotidieque magis magisque ad mores cultiores transeunt.

Residentia Sanctorum. Tertia Sociorum Residentia quæ à Collegio fluminis Ianuarij dependet; est in opido Sanctorum omnium, quod paruo ab alijs duobus distat interuallo. adeò vt Patres, qui hic commorantur alijs, qui in Vincentiana aut Piratiningensi colonia habitant, cum opus fuerit, & illi vicissim his suppetias ferant. Quinque aut sex hic habitant, qui eadem omnino obeunt munia quæ aliarum duarum Patres. quod verò nihil hic compererim; quin &

alijs

alijs etiam domibus commune sit, silentio inuoluam.

Quarta verò in opido est sancti Spiritus, quod in vicesimo latitudinis australis situm est gradu, in ora maritima, vt Aequatori sit propius, quàm opidum fluminis Ianuarij, à quo septuaginta, dissidet leucis. Septem aut octo hic vt plurimum agunt Socij, interdum plures. Sex Brasiliensium pagis circumquaque sitis hi præsunt, in quibus decem Christianorum numerantur millia; quorum pietas eximia est, ac sæpè insignibus à Deo compensatur miraculis; quorum hic nonnulla paucis perstringam. Brasiliensi matri filius erat membrorum omnium ac pedum præsertim vsu destitutus, ad templum delatum mater aqua benedicta abluit; ablutus pedum vsum recuperat; & sine vllo hominum adminiculo domum contendit. Alij etiam duo cum in mortis versarentur articulo, eodem sunt remedio valetudini restituti. Puella quinquennis Maria nomine, ægra coram Deiparæ postrata imagine hunc in modum orauit, Mater misericordiæ, cuius nomen indigna gero, obsecranti sanitatem redde. Ostendit sanitas reddita simplicis puellæ preces Deo eiusque matri gratas fuisse. In templo Sociorum pars est reliquiarum S. Mauritij, Thebæorum legionis ducis; has Brasilij magno honore prosequuntur, earumque opem sæpe suis in necessitatibus experiuntur, nunquam enim illæ in supplicatione ad pluuiam obtinendam deferuntur (deferuntur autem sæpiùs) quin copiosa cælo descendat pluuia. Nec communi modo Martyr necessitati subuenit, sed & priuatæ, vt ex eo quod sequitur apparebit.

Item S. Spiritus.

Reliquiæ S. Mauritii in templo Sociorum.

Erat in Brasiliensium pagis quidam ex optimatibus; hic æger ad templum se deferri postulat, illius nomini dedicatum: cuius cùm reliquias magna animi pietate exosculatus esset; sanus & restituta valetudine domum rediit.

Anno M.D. vndenonagesimo, cũm magno populi concursu ac frequentia festum Martyris ageretur, puer qui in sublimem quemdam locum celebritatem spectaturus ascenderat, derepentè in lapidum aceruum corruit, omnes eum colliso putabant corpore, sospes & integer apparuit. Idque non sine singulari Sancti Martyris auxilio; decidens enim illius opem auxiliumq; inuocarat. Sed in accepti beneficij signum, lineam quamdam rubicundam, cinguli instar, corpori circumquaque inhærentem, Deo sic permittente retinuit.

P. Prouincialis huc cum visitatum venisset, magna illi populi multitudo obuiam processit, magnoque illum gaudio & plausu domum Societatis perduxit: quin & alij qui nondum Baptismũ receperant obuiam prodiere orantes, aliquot vt suorum mitteret, qui viam salutis errantibus ostenderent, suosque ad Christum aggregarent; erant hi è loci primoribus, & Christianam religionem recipere desiderabãt. Erat inter hos, cui nomen Tuiupalucus, qui ingenij subtilitate, & iudicij cæremonia Lusitanis non cedebat. Hic à Prouinciali permotus, magnam suorum copiam conducit, vt à Patribus instituerentur; adeò vt trecenti hoc anno baptizati fuerint.

Tuiupalucus multorum dominus.

Vt verò Christianorum neophytorum zelus, & quanti receptæ fidei cognitionem, ac desiderium parentes ac notos infideles ad Christũ perducendi, vt eadem secum sorte gaudeant, faciant, appareat, referã hic ipsorũ profectiones aliquot, quas magno vitæ periculo suscepêre, interiorẽ regionem

gionem versus, quo ad Christianorum illos perducerent opida.

Huc cùm Prouincialis, vt dixi, appulisset, nonnulli è primoribus pagi, qui à tribus Magis nomen habet, qui haud procul inde dissidet, rogarunt neophyti, permitteret, se ad interiora terrarum proficisci, suos vt affines & consanguineos vocatos, ad Christi fidem adducerent. Haud abnuit Prouincialis, sed vni Sociorum Dominico Garciæ, Superiori, negotiũ dedit, vt quæ agenda forent, exactè iis præscriberet. Cùm igitur omnia ad iter necessaria comparassent, partem itineris cum iisdem confecit, & nauem pariter conscendit (aduerso enim flumine nauigandum erat,) Patri itaque decessum paranti, confessionem peccatorũ facere, & sacram ab eodem Synaxin percipere volebant. Quorum piæ ille voluntati morem gessit, simul exhortatus, vt tam sanctam profectionẽ animosè susciperent. Septem nauigiis, quas Canoas patria lingua vocant, vecti iter cœptum prosequuntur; vix dierum duorum processerant itinere, cum in Tapuias, gentem barbaram & sanguinariam, inciderunt, quibuscum confligere oportuit. Hoc in certamine Christianorum vnus ad mortem saucius, animam efflauit, in hæc verba, Iesu miserere mei. Ceteri Tapuiarum insultum nihil veriti, præternauigarunt, & tandem mense elapso ad destinatum peruenêre locum. Ad primum pagum cum peruentum, magno gaudio beneuolentiæque ab amicis, consanguineis, locique primoribus excepti sunt. *Tapuiæ barbari.*

Hic audiunt, sex illorum paulò antè trium Magorum pagum adiisse, vt fide imbuerentur, inter quos erat Iaguabara, magnæ apud omnes auctoritatis, qui reuersus, tanto verborum pondere apud suos vsus est, plurimis vt mentem inieceirt, *Iaguabara vir eximius inter Brasilios.*

ſedes mutandi, Patrum opida adeundi, vt fidem Chriſtianam edocerentur. Adeo vt omnes pagi incolas ſecum duxerit. Sed cùm in Apiapetangas, iuratos hoſtes, incidiſſent, vlterius progredi prohibiti ſunt; adeo vt ferro via paranda fuerit. Apiapetangis verò præualentibus, plurimi illorũ & interfecti & in ſeruitutẽ abrepti, ipſe etiã Iaguabara grauiter ſaucius cũ reliquis ad ſuos reuerſus eſt, meliorem itineris oportunitatem exſpectans.

Suos ad Eccleſiam aggregare cupiens vulneratur.

Hæc narrabantur ijs qui iam recenter à Trium Magorum pago venerant: quorum vnus, cui nomen Emmanuel Maſcarenias Apiapetangas aditurum ſe ſpondet, pacemque cum ijs initurum, ne impedimento forent inpoſterum ijs, qui ſecum per illorum regionem iter haberent. Multi eum comitabantur, ac præſertim illi qui iam nuperrimè à Trium Magorum pago ſecum venerant. Vix leucam confecerant, cùm in Apiapetangas incidunt, quos longa oratione ad pacem ineundam ſunt adhortati. At quod ſuperiori victoria inſoleſcerent, & ſuorum numerum ingenti ſeruorum fugitiuorum (occiſis iam nuper Dominis) copia auctum cernerent; bellum ſe paci præferre dixerunt: & violentas mox in Maſcareniam comiteſque manus iniecerunt. Hi diuinis potiùs quàm humanis confiſi viribus (hoſtis enim numero & viribus ſuperabat) vim propulſabant: adeò vt acriter certatum ſit. Hic Maſcarenias telo in pectore ſecundum cor transfixus, breui animam reddidit, Socios adhortatus, vt in fide Chriſtiana perſtarent, ſummaque, contentione annitezentur, conſanguineos & notos & quotcumque Chriſtianam religionem amplecti vellent, ad Patres adducere: Equidem, inquit, hanc ob cauſam mortem libens oppeto, ac neminem, imo ne liberos quidem morte mea velim ingemiſcere,

Emmanuel Maſcarenias Braſilius piè moritur.

quos apud Patres deposui; ideoq; lætus hinc decedo, sciens illos ab ijs non deserendos. Petita ergo delictorum venia, & inuocato SS. Iesu nomine animam reddidit; quem Socij in secreto quodam loco terræ mandarunt, ne fortè ab hostibus repertus, in cibũ cederet. Ceteri ad Iaguabaræ pagum reuersi sunt; qui haud multò post in morbum grauissimum cùm incidisset, ex hac ærumnosa ad sempiternam vitam transiit: nam priusquam exspiraret, ab Antonio Diazio, qui cum alijs à pago Trium Magorum eo venerat, baptizatus est; docuerant namque eum Patres, quo se modo in hoc negotio gereret. Iaguabara itaque Christianus hinc decessit, vti desiderarat. Antonius interim Diaz cum Socijs ad alium pagum profectus plurimis persuasit, vt secum ad Trium Magorum pagum proficiscerentur; atque inter ceteros vni è præcipuis, cui nomen Piragasu, qui cum vniuersa familia secutus est, ceteros qui ad iter interim se comparabant, præuertens. Itineri se accingentes tandem non sine molestia, ducenti numero, ad Iaguabaræ pagum peruenere; pueros enim senes, & ægros secum traxerant; sed, non sine singulari numinis auxilio, nemo penitus in via extinctus est.

Iaguabara Baptizatus moritur.

Piraguasu Brasilium.

Hinc cum iter ad Trium Magorum pagũ repeterent, denuo in Apiapetãgas incederũt, iter impedire conantes; sed Christiani vnà cũ iis quos secum trahebant tãto impetu illos aggressi sunt, vt permultis occisis superiores euaserint. Multa quoque cepêre mancipia, ac plurimos Iaguabaræ comites qui ab Apiapetangis in seruitutem abrepti erãt, in libertatem vindicarũt. Christiani quinq; dũtaxat desiderati, & è Socijs quatuor. Maximũ, quod hac victoria cõsecutũ est bonũ, fuit iter tutũ ac peruiũ, vt sine vllo maleficio & ipsi & qui postea

Apiapetangas profligat.

 eôdem

eodem acceſſere, tranſierint. Bimeſtre ſpatium huic itineri impenderunt, & tandem ad Trium Magorum pagum peruenerunt. Piraguaſu, de quo paulo antè locuti ſumus, quatuor filijs iam natu grandibus comitatus, pro more gentis, orationem habens, qua de aduẽtu hoc ſuo ſe gauiſum oſtendebat, pagum ſubit. Oratione finita cum filijs tẽplũ adit, ac deinde Patres viſitat; quos amplexatus hac ratione compellauit: Iam tandem votorum compos factus ſum, cùm haud procul à vobis, Patres, & Eccleſia me conſpicio. Diutiùs aduentum meum differre nolui, ſed omnium primus eſſe. Frater Inabaquaſu cum ſuis propediem, me ſecutus, etiam aderit. Interim ipſe terræ ſementem concredam, ne ipſi cum ſuis neceſſaria ad vitam vllo modo deſint.

Ad Trium Magorum pagum venit.

Haud multò pòſt appulit & Iaguabarę vidua, illius inquam qui in primo occubuit conflictu. Honeſtiſſima erat matrona, iam ætate grandior, & omnes ſecum proles & generos, vniuerſamq́; domum trahebat. Appulit hæc multis comitata, pendente de collo roſario, & eo quo diximus modo perorans; & in hac verba: Nemo miretur veſtrum, ſi mulier cum ſim, perorare coner: mortui ſiquidem coniugis in locum me ſuccedere par eſt, & ad Eccleſiam vnà cum meis accedere, quod tanto deſideraui tempore, in qua ille & viuere & mori ſummopere exoptabat; ſed iter noſtrũ prædones remorati ſunt. Modò huc ſine ipſo veni, vt templi ſimul & Patrum neceſſitatibus proſpiciam, quibus nihil omnino, quo ad vixero, defuturum eſt. Hæc cùm peroraſſet, & domum conceſſiſſet, omnes loci incolæ ploratum venere: hîc enim peregre venientes excipiendi mos eſt, vt ſuo diximus loco. Finita nænia, mulieres varia ad eam misêre munuſcula; nec defuere officio ſuo

Vidua Iaguabara cum vniuerſo familia eodem venit. Illius oratio.

Patres: quos ille postridie cum vniuersa familia salutatum abijt. Qui non mediocriter gauisi sunt, viso ad gregem Domini indies accessioné ingenté fieri. Quarto ex quo aduenit die in morbū incidit, quod vero Baptismo nōdū tincta esset, quo adusq; fidei mysteria edoceretur, ipsa diem obitus instare præsagiens, Baptismū auidissimè desiderabat. Domi num Baptisma suscipere velit, rogabant Patres, quòd præ corporis imbecillitate templū vix adire posse videretur. Nequaquam, inquit, tantū enim iter suscepi vt in templo coram Deo Baptismum susciperem. In templo ergo Baptizari velim. Omni loco adesse Deum respondit Pater: fateor inquit illa, sed illius in domo non hominum, Baptismo ablui volo. Piæ petitioni mos geritur, & ægra ad templū defertur, vbi magna animi pietate & gaudio tum suo, tū Patrū aliorumq; Christianorum, illorum quoq; qui illam secuti erant, sacro fonte tingitur. Baptizata imo ingemuit pectore dicens: Iam secura & læta moriar, nec mortem perhorresco: quod enim tātopere ambiui iā consecuta sum, & Dei filia constituta. Duobus deinde superuixit mensibus; cumq; morborum vim ingrauescere sentiret, sacro petijt inungi oleo. Illius vt fidem tentaret Pater, necesse id esse negauit, cùm haud multò antè Baptismo esset mundata: sed satisfacere illius desiderio non potuit, donec extremā illi vnctionē conferret, præmissa peccatorū confessione & Eucharistiæ accepto viatico. Deniq; vniuersā familiā breui est oratione exhortata, vt in fide Christiana persisterent, neu morte illius contristarentur, quòd rectā ad æterna cæli gaudia emigraret. Vix elapsa erat post Extremam vnctionem hora, cum inuocato sanctissimo Iesu nomine, animam efflauit.

In morbum incedit.

Baptizatur.

Moritur.

CAPVT XXXI.

De Collegio Pernambucensi, & Missionibus ad Paraibas & Petigaras institutis.

PErnambucus, aut vt pronuntiant nonnulli, Feurambucus vrbs est Lusitanorum in Brasilia, in ora maris sita in octauo latitudinis australis gradu, adeo vt cæteris vrbibus, quas iam descripsimus, Aequatori sit vicinior. Hic item Collegium Sociorum est à Rege Sebastiano vti & alia, fundatum. Viginti aut viginti quinque hic Socij commorantur. Moralis hic Theologia vel Casus conscientiæ docentur, Latina item lingua, & pueri legere & scribere litteras.

Ceteræ functiones eædem sunt omnino, ex ordinis præscripto, quæ & in alijs locis, sed mercatorum hic dubia soluere quotidianum est, quod mercimonijs vrbs & negotiationibus scateat, qui verò Deum & animæ salutem magis spectant, quàm mundi huius diuitias malis artibus partas, in omnibus rebus Patres consultores adhibent. Obuiam hoc modo itũ est monopolijs plurimorum contractibus vsurarijs, abijsque qui in mercatura obuij sunt defectibus. Sed hæc, simul & alia Lusitanis impensa obsequia tacitus prætermitto, quòd quæ in infidelium conuersione contigere, referre potissimum decreuerim.

Quod verò hic plurimæ saccaro parando exstructæ sint molæ, in quibus tam Brasilij quàm Africani Aethiopes desudant, statuit anno M.D. LXXXV. P. Visitator, vt sæpius misera hæc mancipia à Patribus visitarentur: quod non sine singulari animarum fructu tum hic tum alibi contigit.

A Col-

A Collegio hoc dependet pagus quidam Brasiliensium,qui in vrbis territorio situs est, nongentorum aut amplius incolarum & quidem Christianorum,capax : quò quotidie alij Christo aggregandi confluunt, quos Socij ad interiora regionis interdum excurrentes, eòdem pelliciunt; hinc sæpe Baptismi solemnes instituuntur, ac præsertim ipso Archangeli Michaëlis festo, cui pagus dedicatus est,quibus interdum centum, aut centum quadraginta, ducentique aliquando Baptismi Sacramento mundantur.

Institutæ ab hoc collegio missiones sunt ad animarum salutem procurandam, ac præsertim Paraibas & Petigaros. Paraiba regio est, octodecim aut amplius à Pernambuco ad Aequatorem in ora maritima, leucis dissita. Huc Galli à flumine Ganabara vel Ianuario pulsi se collegerunt: initaque cum incolis amicitia, sua stabilierunt commercia, maximè in ligno Brasilio, quod hic abundat. Hinc nonnullorum opinio est, Gallos Brasiliæ nomen vniuersæ regioni imposuisse, oram hanc primos detexisse, cumque barbaris qui flumen S. Francisci accolunt, in Portu regio commercia instituisse.

Quod verò Galli omnes, qui huc appellerent Rupellani essent & hæretici, & Lusitanis grauia inferrent mala, visum est Lusitanis non abs re fore, si Gallos, vti antè flumine Ianuario, loco pellerẽt. Hinc bellum Paraibanis illorum fœderatis intulerunt. Anno itaque M.D.LXXXV. expeditionem aduersus Gallos iniêre, sumptis secum duobus Societatis Sacerdotibus qui & militum confessiones exciperent, & pugnantibus animos adderent, Christi è cruce prudentis imaginem pro more præferentes.

Non

Non parum itaque profuero, tum in rebus ad salutem spectantibus, tum in militibus in officio & disciplina continendo. Hinc crescere eorum auctoritas, & verba habere apud omnes pondus; cessare passim iurandi consuetudo, dissensio & odia mutua sensim intermori, vt bene morata resp. non militaria castra videretur; quotidie item ad Deum preces fundi. Atque hisce tandem obsequijs delinito Deo, victoriam de inimicis lucutentissimam consecuti sunt. Biennio pòst idem omnino negotium egerunt, ac semel per pagos Gentilium transeundo Socij, nonnullos incolarum Christianæ fidei adiunxere. At quòd diutius ibidem cõmorari non liceret, crucis insignia in tribus pagis erexere, eôdem propediem redituri, ac tum per otium incolas fidei mysteria erudituri, templaque erecturi.

Lusitani Gallos hæreticos bello vincunt.

Porro belli Paraibanis illati is exitus fuit. Post varia inita certamina, victoria tandem penes Lusitanos stetit, ducemque Paraibanorum cum triginta alijs Pernambucũ adductum, morti adiudicarunt. Priùs tamen quàm mortis sententia executioni mandaretur, Lusitanorum præfectum rogarunt Socij, damnatos vt sibi conuenire liceret, si fortè animas aliquorum Deo lucrifacere possent, corporibus morti adiudicatis. Nec defuit conatui euentus. omnes enim fidei suscipiendæ desiderio æstuantes, baptizati sunt, pro temporis breuitate mysterijs Christianis imbuti. Omnes ergo in fide mortui sunt Christiana, Deo immensas ob singularem, & quidem hoc tempore collatam gratiam, gratias agentes.

31. Paraibani baptizati antequam

At quòd reliquiæ Paraibanorum in loco munitissimo & captu difficillimo denuo se communijssent, magnam rursus præfectus Lusitanorum, duce Martino Leitano, copiam aduersus eosdem emisit

emisit, assumptis aliquot Societatis Patribus, horum vnus, visa Paraibanorum peruicacia, quòd illorum linguam calleret, solus, vallum hostile transiliens, hostem adijt, audax profectò facinus & periculi plenum. Sed diuino fretus auxilio, audacter ingreditur, apertisque brachijs ad pacem illos est exhortatus, Pax, pax, amici simus. quibus alijsque verbis ad lenitatem compositis permoti barbari, arma exuerunt, reiectisque arcubus & sagittis, complicatis brachijs, se & vniuersam regionem Lusitanis dediderunt, in qua plurimæ mox saccari molæ exstructæ. atque ita pulsis hæreticis, liberum penes Lusitanos Brasilij ligni mansit commercium, quòd profectò singulare afferre compendium solet. His ita constitutis pagatim Paraibani disperguntur, quibus Socij annuntiare Euangelium cœpere: & tanto cum fructu, vt anno M.D.XCI. mille ac centum illorum Christo per Baptismum pepererint, qui quam imbiberant pietatem & doctrinam multis quidem testimonijs patefecerunt, quæ hic referre queam, sed vnum quod sequitur erit instar omnium. Lusitanus acceptam ab inimico iniuriam vlturus, eumdem per Christianum neophytum interficere conabatur: cui cum nefarium consilium detegeret à neophyto repulsam passus est, quod à Patre nefas hoc esse inaudisset, illiusque se monitorum obliuisci nequaquam posse diceret. Ipse quoque Lusitanorum hac in ora præfectus, viso qui à Socijs hic fiebat fructu, Collegium vt hoc loco erigeretur, ad barbarorum liberos erudiendos, summopere desiderabat: quod dum Regi Hispaniæ iã per litteras significaturus esset, alius in locum illius Præfectus successit. Qui quæ regno Socij obsequia, hosce illi populos subijciendo, impenderant, oblitus, non modò digna non

neci darentur.

Lusitanis se dedunt.

1100. baptizati ex illis.

non est mercede remuneratus, sed ipsos etiam loco pepulit, aliosque in illorum locum Religiosos constituit, quod Paraibanos Socij aduersus iniurias, quas ab ipso alijsque patiebantur, tuerentur. Hinc factum, vt longo tempore instructore & pastore destituti vixerint, quòd qui in Sociorum locum successerant, linguæ patriæ imperiti essent: itaque nonnullorum arrogantia & auaritia diuinus sæpe cultus impeditur. Hæc sunt quæ hactenus de Paraibanis comperi.

Ad Petiguaros, Paraibanis conterminos, & sedecim distinctos pagis, & quindecim sedecimve in vniuersum complectuntur hominum millia, Pernambucenses Socij sæpe etiam excurrerunt; & quidem sub ipsa rerum initia, dum cum Lusitanis bello decertarent. at quòd alij Religiosi vineam illam iam excolant, eò se iam cõferre nolunt. Viso tamen, miseram illam gentem in infidelitatis caligine errare, quòd nemo eamdem sit qui discutiat, & triennio iam pastore caruerit, à quo doctrinæ panis pauperculis frangatur, & Baptismus, cuius maximo omnes tenebantur desiderio, conferatur, qui enim ijsdem succenturiati erant, idioma patrium non callebant. non obstantibus rationibus præpositis, ad eosdem excurrere Socij non sunt veriti, & prima excursione sexaginta moribundos Baptismo lustrarunt. Ceteros, quòd diutius hic subsistere ad fidem confirmandam non possent, baptizare non placuit. Hinc colligere est, quot toto illo triennio animæ, dum pastore caruere, perierint.

Quòd verò pacem illos inter & Lusitanos Socij conciliassent, & ad templa extruenda animassent, spondentes propediem se ad illos edocendos excursuros; cum illis expostulabant, quòd rariùs iam excurrerent, fidem datam objicientes.

Vers-

Veniſtis quidem, addebant, dum bello à Luſitanis diſſidebamus, ſine vllo mortis metu: iam verò cū pace fruimur, & templa, vobis ſuaſoribus, ereximus, deſeruiſſe nos atque obliuiſci videmini. Alius quoque è primoribus loci hoc illos pacto eſt allocutus: Induxiſtis, inquit me, vt deſerto patrio ſolo, huc inſtruendus commigrarem. Morem ipſe geſſi & nemo veſtrum memor fuit mei. Omnes nihil dubitans reliqui poſſeſſiones & agros, quo huc templum erecturus concederem: meis ipſe id manibus erexi, nullo præeunte; dum exſpecto Patres, qui mihi & filijs viam doctrinamq; ſalutarem oſtēdant. Bono ergo oſtenſo ęquū eſt, ad eiuſdē nos fruitionē à vobis etiā deduci. Hæc quidem ille. Eadē quoq; & alij tam è plebe quàm optimatibus obijciebant. Ceterum quo illos exciperēt modo, dum aliquò ſe conferrent, dignum eſt referre. Pręcedebant illos loci adoleſcētes, qui turmatim, velut ex inſidijs, è ſiluarum latibulis prorumpebant, fiſtulis & tympanis ſcitè modulantes. Prodibant deinde obuiam viri coniugati, procul admodum à pago: propiùs locum accedentibus occurrebant ſeniores & primores, magno beneuolentiæ ſigno illorum aduentum gratulantes Pagū cùm iam ſubijſſent; egrediebantur domo mulieres, ſolitoq; illos more & plauſu ſalutabant; æra campana dein feſto ſtrepitu ſonabant, & omnis mox populus ad templum confluebat. Tametſi enim nondum Baptizati eſſent, templa, campanas, & apparatum altarium imagineſque habebant. Tantum ſcilicet fidei ſuſcipiendæ erat deſiderium, vt etiam priuſquam illâ initiati eſſent, eiuſdem tamen ſigna haberent & in ritibus à veris Chriſtianis non differrent; imò & eoſdem ſuperare viderentur.

Cùm

Cùm enim ad campanas remque sacram coëmendam pecunia carerent, suam Lusitanis in ergasterijs operam locabant, à quibus acceptum è sudore pretium rebus sacris impendebant. Sociorum testimonio constat, nullam hac ex omnibus Brasilijs gentem, salutis suæ esse auidiorem; & magis in pietatem propendere. Sed ad lineam. Patres cùm aliquem in pagum venissent, rectà templum petere, quò omnis mox populus confluebat; cumque nonnihil temporis precibus impendissent, breui oratione, illorum in templo construendo studium commendare, desideriumque fidei amplectendæ maximoperè dilaudare; quin & huc eiusdem se promulgandæ causa dumtaxat venisse addere. Egressus templo populus, domum, donarium allaturus suum, properabat, ac nemo inops erat, quin aliquod saltem munusculum, Patri daret.

Horum pagorum vnus, in quo tria hominum millia commorabantur, ad quendam è primoribus Petiguarensibus, cui à ligno arido nomen, spectabat: hic cùm incredibili fidei nostræ arderet desiderio, facultatem primus omnium petijt templum exstruendi, qua impetrata, ceterorum mox pagorum Domini ac rectores exemplum secuti sunt. templa itaque omnibus in locis reperernnt Patres, dum visitando pagos obirent. At Dominus à lignoarido, qui primus templum erexerat, boni quod sperabat, compos reddi non potuit. paulò enim antè quàm Patres appellerent decessit, & quidem Baptismo nondum tinctus, quòd qui illum tingeret, ad manum esset nemo. filij porro eius audito Socios breui appulsuros, in via illos vnà cum patruo opperiebantur: qui post fratris obitum pagi illius dominium obtinuit, semperque Patres à primo pago, in quo illos exci-
piebat,

piebat, ad vſque tertium, omni beneuolentiæ officijque ſigno exhibito deducebat: gaudebat ſiquidem illos ſuos inter commorari, vt ipſe cum ſuis legem Chriſti edoceretur. Sed quod hoc, vt diximus, fieri non poſſet; ſpem ijs dabant, vel per ſe vel per alios breui illos votorum futuros compotes. Pueros interim, parentum permiſſu, & ægros de quorum vita ſpes nulla erat, Baptiſmo tingebant, adeo vt illorum plurimi recepto Baptiſmo breui in cælum euolarint, & Patres excitato ſui apud Petignaros deſiderio Pernambucum redierint.

Petrus Rodericius Sociorum Prouincialis eòdem cum aliquot Socijs contendere voluit, quos barbari incredibili applauſu exceperunt. atque inprimis vnus ex optimatibus, Metarouba cognomento, obuiam proceſſit. hic à Socijs rogatus, cur tantum itineris illorum cauſa ſubijſſet, ſcitè reſpondit; cùm, inquit, vos tantum mei meorumque cauſa laborem impenderetis, æquiſſimum videtur tantumdem & amplius nos veſtri cauſa ſubire. Rogauit hic Prouincialem vt aliquot Sociorum hic relinqueret, qui filios erudiret ac deinde baptiſmate tingeret: equidem, inquit, aliud non exopto, quam in pace vitam ducere, inque Eccleſiæ caula mori; ideoq; patrio ſolo egreſſus ſum. Non in alium vſum iacula & tela, ſpiculave geram, quam in feris conſectandis. Huc veni omnibus cedens poſſeſſionibus, vt Patribus huc me euocantibus morem gererem. Et ad vnũ ex ijs conuerſo ſermone, Memini, inquit, ac probè recordor, in patrio mihi ſolo te locutum, verbaque tua auribus excepta, ab eo tum tempore cordi infixi, vt eorum aſſiduè recordarer; in lingua aſſeruaui, vt de ijſdem loquerer; manibus ac digitis, denique membris omnibus ac

Barbari cum P. Prouinciali colloquium.

ſenſibus inſcripſi, vt executioni mandarem. Iam velim Patrem illum fidem ſuam liberare, & promiſſa implere quæ à tanto mihi eſt tempore pollicitus, daturum ſe ſcilicet qui me ac filios Chriſtiana myſteria edoceret. Idem à Patre Prouinciali ceteri optimates poſtularunt. Quod illis tamen concedere conſultum minimè videbatur, ne ceterorum religioſorum offenſionem incurrerent. In hac tamen excurſione quatuor & ſexaginta ſacro Baptiſmate luſtrarunt, ſed pueros omnes aut ægros. Ceteros enim baptizare viſum non fuit, quòd inter eos commorari non poſſent, vt in ſuſcepta fide confirmarentur. Recreabat tamen barbaros ſimplices Sacramenti huius ſolemnitas, adeò vt ſinguli pueros ad Patres baptizandos adduceret. Hæc ſunt, quæ de fructu in Braſilienſium conuerſione ab eo primum tempore quo fidei lumine illuſtrari cœpere, ad vſquè annum Milleſimum vndeſexcenteſimum, comperta ſunt. Aliaquin ſint & quidem ſingularia, non dubito, ſed plura ad manus noſtras non peruenere. Siquæ amplius nanciſci poſſimus ad maiorem Dei gloriam, & illorũ ſolatium qui tanta apud barbaros hoſce morum mutatione, ex quo legis gratiæ aquis irrigari cœpere, exultant, in publicum proferre non grauabimur. In quo completum vaticinium Prophetæ comperimur dicentis; *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit; vitulus, & leo & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos*: quia vt ſubnectit pòſt paulo, *terra repleta eſt ſcientia Domini*; præſagiens homines antè feros & barbaros, ac luporum, pardorum, & leonum inſtar immites, agni inſtar manſuetos, dulces ac mites futuros: idque per legem Euangelicam, illis annuntiandam; vt cum ceteris Doctoribus Diuus exponit Hieronymus, & ipſa nos hoc in populo docet

Baptiſma ſexaginta quatuor recepère.

Iſai. 11.

docet experientia: qui ante legis promulgationem adeò barbarus & immanis erat, vt humanas vorare carnes in summis poneret delicijs. Qui vero ad Christiana sacra transierunt, adeo dociles & humani facti sunt, vt paruulus quodammodo eos, quò vellet deduceret. Hæc scilicet Euangelij Christi virtus est, qui assiduò rogandus, vt pium hoc opus, cuius ipse & auctor ac director primarius est, promouere & indies augere dignetur.




LIBER SECVNDVS,

RERVM NOTABILIVM, QVÆ TAM IN INDIA ORIENTALI, QVAM ALIIS PROVINCIIS, QVAS LVSITANI detexêre, in fundatione, & progressu fidei Christianæ contigerunt.

Ac præsertim eorum, quæ Societatis IESV *Religiosi eo nomine ibidem & egerunt & passi sunt.*

PROOEMIVM.



NON immeritò tres præstantissimi Philosophi veterum, Phytagoras, Plato, Aristoteles, credidere, dextram mundi partem esse Orientem, sinistram vero Occidentem. Quamuis enim, si rei veritatem spectemus nulla cæli dextra vel sinistra sit facies, vllumve situs discrimen; cum rotunda figura sit, vniformis, & vbique sui similis. tamen quemadmodum in perfectis

Plut. de placitis cap. 2.
Arist. lib. 2. de cælo ca. 2.

animalibus, ac præsertim homine, dextra ea pars dicitur, vnde mouere se animal incipit; quæ vt plurimum est ad quam hepar vergit, tum ob eiusdem calorem, tum ob musculorum soliditatem & robur, quod hac in parte, (teste Aristotele & Galeno) maius est quàm in altera: ita orientem cæli Philosophi dextrum dixêre latus; tum quòd primum mobile, quod orbes inferiores ceteros secum trahit, ab Oriente moueri incipiat, & in Occidente desinat; tum vero quòd cælestes influxus in regionibus orientalibus maiori vi & vigore ad nobiliora producenda quàm in Occiduis polleant, vti quotidiana compertum est experientia, & hoc in libro apparebit manifestius. In quo de regno Armuziensi, Mogor, & Chinensi, quæ omnia in Oriente sunt, & ob opulentiam sunt notissima, tractabimus. Primo quidem tomo de alijs Orientis regionibus locuti simus, sed quia illæ generali Indiæ Orientalis nomine comprehendebantur. At regnum Armuziense partim Perside, partim Arabia felice continetur. China trans Indiam est. Regnum verò Mogor quamuis in ipsa India contineatur, duobus fluminibus Indo & Gange inclusum; tamen, quòd iam ab hominum memoria rex illud inuaserit: (non enim agnatum est, aut auita successione deuolutum: à Tartaris enim & Magno Tamberlano origi nē trahit, suo vt loco dicetur) nihil pene de imperio illius hactenus dictum est, neue ex professo, vti Deo volente, hocce in libro dicturi sumus. Sed ab Armuziensi regno, quod Europæ proximum, ducatur exordium.

Quæ cæli dextra quæ sinistra sit pars.

Libri materia & argumentum.



CAP.

CAPVT I.

De vrbe & regno Armuzia: quomodo ipsum Lusitani inuaserint.

ORMVZIA, vel vt antiquo dicitur nomine Armuzia, omnium totius Orientis emporiorum celeberrima ac notissima est. In exigua sita est Insula, quam hi Gerum, illi Armuziam dicunt. Hanc Ogyrim veterum esse credidere nonnulli, nec sine ratione. In sinus Persici freto sita, ab ora Arabiæ Felicis decem, à Persica tribus tantum leucis dissidens, in circuitu quatuor non totas leucas complectitur. Ipsa Armuzia ciuitas in vigesimo septimo altitudinis septentrionalis sita gradu, nomen trahit ab Armuza antiqua Carmaniæ ciuitate, vt nonnullorum opinio est, cuius hodie nomen obliteratum cum memoria antiqui splendoris euanuit. Atque hæc, quæ nonnisi alterius colonia erat, nomen nonnihil immutatum retinuit. Mundi quippe labilis res cùm tempore semper mutantur & noua nomina & formas assumunt. Hæc hodie regni, quod etiam Armuzia nuncupatur, sedes & caput; ac non modò maximæ Arabiæ felicis parti, sed & maximis sinus Persici insulis dominatur; adhæc complectitur hanc Persidis partem, quam Tabus, Tissindus & Drutus flumina irrigant. Insulæ solum adeò aridum ac sterile est, vt nihil omnino ad vsum vitæ proferat, imo ne auium quidem aut animaliũ. nullus in vniuersa insula fons aut flumen aquę dulcis: tres tantùm hic putei procul à ciuitate; è quibus aqua hauritur potui commoda. hac simul & cisternis vtuntur incolæ. Multi quoque è

Gerum Insula.

Armuzia vrbs.

Armuzia regnum.

Ariditas soli.

continente & insulis proximis aquam & reliqua victui idonea petunt. Auiditatem hanc & sterilitatem soli causatur intensus calor & iã tẽpore astiuo: tantus porro est, vt nisi artibus varijs incolæ calorẽ mitigarent, viuere non possent: quarum vnam hic dũtaxat referã. Sub noctes æstiuas tantus grassatur æstus, vt nisi arte aliqua calorem eluderent, intolerabilis foret in domorum tectis, quæ plana sunt, vasa quædam lintrium instar excauata habent; tantæ capacitatis; vt duo commodè in ijsdem decumbant, tantæque longitudinis, vt velut in lectulis iaceant extensi. Decubituri ergo vas recenti complent aqua, cui collo tenus se immergunt, atque ita nocte tota sub dio frigido manent, quietem capturi. Vehementem hunc ardorem soli ariditati ascribunt; præterquam enim quòd arenosum sit, mons vrbi imminet, è cuius vno latere magna sulphuris vis, ex altero sal in lapides concretus eruuntur. Ferunt septem ipsis diebus insulam arsisse; cuius incendij etiamnum hodie supersunt vestigia: terra quippe montium velut vstulata rubricat. Ipsum vero conuallium solum spongiæ in morem porosum est, cinerem aut calcem viuam diceres: superfusam enim aquam mox imbibit. Accedunt his continui ac vehementes terræ motus. Ceterum Armuziana ciuitas adeo frequens est, itaque rebus ad vitam necessarijs instructa, nihil vt desit non modò eorum quæ humana necessitati deseruiunt, sed & eorum quæ voluptatibus ac delicijs. Nullæ enim cupediæ sunt, in Perside, Arabia & India, alijsque regionibus, è quibus Armuziam nauibus datur appellere, quin huc inferantur. Et sanè ciues Sibaritarum luxum & voluptates imitantur. Vrbs est adeo splendida & eximia, vt ciues eam si orbis annulus foret, palam futuram dicant.

Calor extremus.

Armuzia frequens.

Et

Et profectò pulchra & magnifica eſt: vicos habet latos & rectos, domos ſuperbas, & cænaculis ſublatas, & ſymmetria præclara diſtinctas. Et videtur nihil elegantius haberi poſſe. Hinc tanta illius frequentia, & incolarum, in tantis tamen loci incommodis, varietas. Sunt qui hanc auri, quod olim eruebatur fodinis aſcribant, quam ob auri copiam Ormuziam dictam putant: veriſimilius crediderim, nomen hoc ab antiqua Armuza, vt dictum eſt, deriuatum. Quòd verò ab externis mercatoribus frequentetur, portus commoditati & nauium vndiquaque confluentium copiæ aſcribendum eſt, tum quòd fidam illis præbeat ſtationem, tum quod gemino inſignita ſit portu: alter ad Orientem, ad Occidentem alter, qui ambo promontorio quodam in mare procurrente longius à ſe inuicem ſeparantur, & ſinum paruum efficere videantur. *Cur frequentia tanta.*

Quod verò in ſinus Perſici faucibus ſita ſit, Indicæ, Perſicæ, Arabicæ & Aethiopicæ, aliæque naues facilè eòdem appellunt; vt Orientalium ipſa mercium ſit receptaculum & quodammodo ſedes. Huc enim Indi gemmas, adamantes, Rubinos, Smaragdos aliaſque gemmas, piper quoque cynnamomum, caryophyllon, aliaque aromata & condimenta, ſimpliciaque medicamenta, quæ Oriens ſuppeditat, deferunt: quocirca Europæi merces varias empturi huc confluunt, exceptis illis qui à Luſitanis, ex quo Indiam non ſine magno tum vitæ, tum etiam fortunarum periculo, frequentare cœperunt, eaſdem coemunt. Adeo vt ipſam Armuziam non Perſæ modò, Arabes,

Aethiopes, Armeni, Tartari, Turcæ, Mauri alijq; Mahometani incolant;sed & Itali permulti,Galli, Germani,Angli,Poloni & alij Europæi,qui per Mediterraneum mare, vt dicturi iamiam sumus eòdem penetrant, Lusitani verò hic arcem habēt, vrbi imperitantem, Regemq; ipsum vectigalem. Hispani pauci admodum hic sunt; vetant enim Lusitani, ne per Oceanum huc nauigationem instituant, Turcæ verò per mare Mediterraneū terrā inter ipsum & sinum Persicum interiectā illos eòdem peruenire prohibent: sunt tamen nonnulli,alterius gentis & nomen & habitum mentientes. Quod vero celebris sit Armuziana nauigatio, ipsam paucis, maioris lucis gratia, describā. Mercatores Veneti,Galli,Angli & alij, mari Mediterraneo emenso Tripolim Syriæ appellunt, atq; inde triduano terrā itinere Aleppum petunt; quò confluūt omnes,qui iter hoc,bis in anno, in Aprili & Septembri suscepturi sunt. Omnis hæc mercatorum turma, quæ sæpe quinque sexve constat millibus quàm vulgò Carauanam aut Caffilam dicunt,Turcam ductorē habet,& Ganizaros conductores. nam præter mercatores & milites præsidiarios, multi annonarij & Camelorum, droucedariorum & equorum curatores sequūtur, tum vt commeatum tum vt homines deferant. camelus vt plurimum duos in clitellis vtrimq; dependentibus gestat. Causa cur tantum secum commeatus assumant,hæc est, quòd per Syriæ deserta transeundum sit, in quibus diuersorium nullum; domus nulla: idcirco de victu sibi prospiciunt, ne forte in medio itinere fame sitiq; emoriantur. Explicata semper acie procedunt, & singulis diebus sub vesperam quiescunt de nocte excubantes. Arabes enim, qui nonnisi rapto & & latrocinijs viuunt, mercatores, nisi diligenter ad-

Iter Armuzianum celebre quomodo instituatur.

ter abuigilarent despoliarent. Quadraginta diebus deserta hæc egrediuntur, atque ibi puteos esse norunt, ad Camelos aliaque animalia adaquanda, & aquam recentem secum sumendam per interualla dierum resistunt. Atque ita procedentes primo Bagdadam, aut Bagadadam perueniunt, quam nonnulli veterem illam Babylonem Syriæ, tanti apud hagiographos & veteres historicos nominis credunt. Bagadad à Bafforam Arabiæ felicis opidum, in Tigris & Euphratis ripa situm, proficiscuntur. Hic Ganizari subsistunt, aut Aleppum redeunt. Mercatores verò per sinum Persicum inde Armuziam nauigio petunt. Rebus Armuziæ compositis ad præscriptum diem Bafforam redeunt, vt hic cum Carauana ac comitatu præfixo & certo etiam hinc tempore decedēte iter suum Aleppum versus instituant. Atque hinc vnusquisque ad propria redit. Atque hoc pacto Europæi omnes de mercibus Orientalibus sibi olim prospiciebant; sed ex quo Lusitani Indiam petiuere ex parte iter hoc intercidit. nonnulli tamen, quod Lusitanorum iter sit & longius ac difficilius, hinc sua repetunt. Vnde patet Armuziam omnium orbis emporium esse & celeberrimum & frequentissimum. Quòd verò vrbes frequentes & populosas, luxus etiam & morum dissolutio subire soleat, Armuzia ab hac sanè peste exempta non est. Nam, vt nonnihil de ciuium moribus loquamur, luxu ac delicijs, diffluit. Musicen sectantur, vestibusque splendidis ciues vtuntur: historiarum lectione delectantur; viros doctrina præstantes magni æstimant, horum doctrinam æquis auribus admittunt, summumque decus ducunt, in horum disciplina versari. Facie liberali sunt plerique. Mulieres faciem velatæ

incedunt, ne à viris lasciuis conspiciantur. Obtrectatione maximè laborant. Respublica insignibus fulget legibus. Omnia quæ veneunt pondere væneunt. summum apud illos flagitium est, fallacibus vti ponderibus. eum enim qui per libram atque lancem fallit, omnem generis humani Societatem euertere censent, & vt ciuilis iuris hostem teterrimum execrantur. Monarchicum hic viget imperium, Reges Armuziæ vt plurimum commorantur, regiam hic habent non habitationi modò commodam, sed aduersus inimicorum impetum etiam communitam. Proles regiæ paternum imperium adeunt: at qui regnum occupat, fratribus & reliquis stirpis regiæ oculos exuit, ne forte regno inhiens, (cæci enim regno excluduntur) atque arctè custoditos vna cum vxoribus ac liberis lautè habent. Magna olim Regum Armuziensium fuit potentia; nam è portorijs ingentes sibi opes pepererant, atque ita imperium longè lateque propagarunt, vt insulis & vrbibus non paucis imperarint, quas iam præ inertia ac socordia amiserunt. Omnia namque pacis bellique negotia ducibus suis comittentes, otio diffluentes, domi luxui & voluptatibus indulgebāt. Ministri verò cùm reges nonnisi delicias & otium sectari viderent, magnis opibus & potentia paulatim comparata, regiam auctoritatem vsurpantes, regi nudum sine re nomen reliquerunt. Omnibus hi negotijs quin & ærario præerant; denique suo cuncta nutu dirigentes, compendio proprio studebant. Hinc illorum imminuta potentia, vt deficientibus sensim viribus quibus hostem more solito propulsarent Regibus Persarum ac deinde Lusitanis vectigales facti sint, vt iamiam referemus.

Regum Armuziensium potentia.

Lusita-

Lusitani dum Indiam nauigatione sua frequentare inciperent, Armuziæ regnabat Zeifadinus hoc nomine secundus, admodum puer; eratque in tutela paterni mancipij Ataris, vel Cogeataris, eximia sagacitate viri, at pupillo ac regi iniurij: cuius omnia consilia eò spectare videbantur, vt, quo ad viueret, penes pupillum diadema ac regium nomen; penes vnum se arbitrium ac potestas rerum omnium esset. iamque per eam tutelam cunctis inuisus ad intolerandam superbiam opesque peruenerat. Hoc tam impotenti dominatu Alphonsus Albuquercius, Magnus cognomento, Emmanueli regi vel imprimis Armuziæ inhianti, vt sinu Persico Turcas aliosque Mahometanos, per hunc in Indiam cum mercibus nauigantes, quo in Lusitaniam omne id commercium transferret, & Christiani nominis hostibus hac saltem via opes accideret, excluderet; omni ratione vrbem subiicere, aut saltem arce exstructa vectigalem reddere decreuit. Quamobrem relictis sibi sex onerarijs, & quadringentis ac septuaginta præsidiarijs Lusitanis, vt vniuerso mari, quod Arabiam Felicem ab vsque Socotora insula ad sinum Persicum alluit, imperaret; dum infame futurum putat, si piratæ instar oram illam infestam redderet, aliud longè animo concepit, & Armuziæ regnum Lusitaniæ regi subiicere studuit. Hinc vigesima Augusti die anno à Christo nato M.D.VII. ad ostia Persici sinus iter capessit, ac prosperè circũuectus Siagrũ promõtoriũ quod Rosalgatũ hodie vocant, ad Calaiatum nobilem, & primam hac in ora Armuzianæ ditionis vrbem applicat naues, commeatus parandi gratia. Ciues ad colloquium euocati, repentino metu perculsi (iam

Zeifandinus II. Armuziæ rex puer.

Alphonsi Albuquercii consiliũ.

(iam enim inclytum erat apud eas nationes Lusitanum nomen) ne quid acerbius paterentur, cõscriptis pacis & amicitiæ conditionibus, quas Alphonsus offerebat, abeuntem largo commeatu & omni officij genere prosecuti sunt. Tum Curiatū nauigauit aliud Armuzianæ ditionis opidum. Lõgè dissimiles animorum habitus hic offendit; ciues enim armis hostem propulsare, quam oblatam pacem admittere maluerunt. sed pessimo successu. Nam ad eam ferociam reprimendam Albuquercius, ne quidquam prohibentibus oppidanis, ad littus cum robore copiarum exscendit, ac valida impressione facta, proruto vallo euulsisq́ue cancellis, vrbem à præsidiariis fugientibus, desertam ingressus est. ad terrorem vrbe direpta & incensa, nauibus quæ in ancoris stabant, ignem quoque iniecit. Eodem item modo Mascatam & Orfazanum Armuziæ regibus parentes, quamuis & vallo fortissimo, & præsidiariis plurimis instructas, expugnauit. Ex eo loco ad caput belli Armuziam est ventum, tum Albuquercius Zeifadino puero tutoribusq́ue palam nuntiari iubet, Emmanueli Regi Lusitaniæ, contra nominis Christiani hostes, ac Mahometanos in primis (quales rex cum tutoribus erant) funestum ac perpetuum hæreditario penè iure bellum susceptum; id non nisi alterius partis deditione posse finire. Si in fidem eius ac potestatem venire animum inducant, & vectigal annuum pendere, multorum Africæ, Asiæq́ue Regum exemplo; se inde cum bona pace abiturum: sin iugum recusent, pro certo habeant, secum ad internecionem vsque certandum. Rex felici rerum Albuquercij successu territus ac deteriora veritus, in pacem blandis verbis, & callida tergiuersatione propendere se finxit: tutorum tamen consilio rem extraxit, & Albuquercio responde-

Zeifadinum regi Lusitaniæ vectigalē reddere conatur.

ſpōdere diſtulit, dum expectatæ in ſingulas horas nouæ Sociorum cohortes è Perſide adeſſent. Iis in vrbem admiſſis omiſſis ambagibus, Albuquercio reſpondit, Armuzianos reges non pendere aduenis vectigal; ſed ab iis exigere conſueſſe. Si pari cum ceteris negotiatoribus iure Luſitani eſſe velint, fore illis agendi contrahendique in eo portu poteſtatem ac copiam. Sin vim & iniuriam moliantur: ſenſuros quantum armati Arabes Perſæque ſeminudis Cafribus & inconditis Aethiopibus antecellant. Plus viginti hominum millia ſub ſignis habebat Eunuchus; quorum partem per onerarias diſperſerat, quas littore toto prætenderat; cum actuariis ipſe altum petiit: vt ſi fortè claſſem littori proximam Albuquercius aggrederetur, ipſe à tergo adnauigans, Luſitanos velut retibus includeret. Albuquercius tamen, Deo protegente, diro conflictu inito, in quo plurimi barbarorum, Luſitanorum decem tantummodo deſiderati, naues omnes hoſtiles nactus, ignem pleriſque iniecit aut merſit. Viſa rex clade, & inſulam ſine nauibus defendi non poſſe compertum cum haberet, oratores pacis veniæque petendæ confeſtim ad Albuquercium miſit. Quos ille qua erat clementia audiuit, ignem qui ceteras naues corripuerat extingui iuſſit; poſterò die de conditionibus agi cæptum. Pax ita conuenit: vti Zeifadinus, & omnes inpoſterum Armuziæ reges in Luſitaniæ regum clientelam ac dictionē quam optimo iure concederent, eiſdemque Serafinûm (is nummus 40. pendens ſolidos, aureus eſt) millia quindecim tributi nomine penderēt in ſingulos annos. Præterea locum Albuquercio ad arcem ædificandam, ipſius Albuquercii arbitratu aſſignaret, ædificationemq; adiuuaret præſenti pecunia omnibusq; neceſſariis. Extruebatur interim

Zeifadini reſponſum

arx

arx quam Albuquertius perfici maximoperè cupiebat, quòd ab hac expeditionis summa penderet, Lusitana verò pubes atque nobilitas indignari ac fremere, se tot iam dies in seruili opere detineri, cum interim Turcicæ naues toto ferrentur oceano, quarum opibus ditari nullo negotio possint. Inualuit ea paulatim seditio, donec tres cum suis nauarchi, insalutato duce nec eius permissu Indiam repeterent. Dolebat sane dux tam præclaram expeditionem, ac pene confectam, inuito sibi eripi; sed tempori seruire coactus ceteros secutus est; tantilla enim manu vniuersum frenare se regnum minimè posse videbat. Sed aliquod post annis Indiæ vniuersæ Prorex constitutus, rē hanc, Goa & Malaca, vti priori dictum est tam debellatis, ad exitum perduxit. Hunc igitur in modum res contigit.

Altera in Armuziam expeditio.

Anno salutis humanæ M. D.XV. Albuquercius viginti ac duas parari onerarias iubet, & actuarias permultas; hac nauium classe Adenum se petere Goæ spargit (vrbs est in faucibus sinus Arabici) ne quid de illius consilio Armuziani subolfacerent. Mascatam cùm appulisset, iter relegit, & rectà Armuziam contendit: cuius inopinus aduentus regem & incolas non parum perculit; quòd ingens rerum perturbatio Armuziæ foret. Cogeatar enim eunuchus iam decesserat, Nordinus vero vrbis præfectus Zeifadinum veneno sustulerat, eiusque liberos regno exuerat, in quorum locum suffecerat Zeifadini fratrem nomine Torum, vel Terunxam, vt à nonnullis appellatur. Hunc multis antè officijs, ac tum recenti beneficio sibi deuinctum cū haberet, regnum ac regem ex arbitrio dirigebat; quo insuper magis haberet in potestate, fidis priuatim sibi ministris ac satellitibus

[illegible]bus cinxerat: Ex ijs tres Germani fratres, quòd Nordinum arcto affinitatis gradu contingerent, præcipuum dignitatis ac gratiæ locum obtinebant. Sed ante omnes longè eminebat Hamedes, triginta quinq; annorum, vir & manu promptus, & libidine dominandi, & solertia in rebus agendis Cogeatari eunucho persimilis. Is conciliando sibi omnium animos, & grauissima quæque in se vnum trahendo, munia, paulatim eò potentiæ viriumque venerat, regnum vt omne suo arbitratu ageret versaretque, vix vt respirare iniussu Hamedis rex posse videretur. Quin & Nordinus, à quo euectus erat, iacere ac præ illo sordere videbatur. Torus hanc cum captiuitatem ferret grauius, mouere tamen lacertos & eadem se eripere aduersatus Hamedi, non audebat, ne forte & oculis priuaretur & vita. Fœdus quidem cum Lusitaniæ regibus initum inuiolatum seruabatur, Lusitanisque ducibus illac iter habentibus patebat hospitium, & Emmanueli annuum stipendium ex Albuquercij formula pendebatur. Verumtamen ea erat conditio rerum, vt Hamedes nullo frænatus præsidio, vbi vellet, ab Lusitano regem regnumq; posset abducere, & Emmanuel precariam quodammodo eius insulæ ditionem habere videretur: receperat enim iam Torus coactus Hamedis imperio, pileum sibi ab Ismaele Sophi transmissum; simul & preces & articulos Hali (quem vt suum Prophetam Persæ suspiciunt) quo Regis Persæ clientem se profitebatur. Hisce rebus probè compertis Albuquercius, Torū teterrimo seruitio domesticorum eximere, & in fide ac patrocinio Emmanuelis omninò stabilire decreuit.

Albuquercius iterum Armuzi- am inuadit.

Armu-

Armuziam vt eſt ventum, nauigijs confeſti circumdat Inſulam, nè quid aliunde ſubſidij ve commeatus eò ſubuehi poſſet. Dein regi nuntiat veniſſe ſe vt nouas amicitiæ leges inter Armuzia & Luſitaniæ reges iniret. Nuntium confeſtim Torus ad Albuquercium deſtinat ingenti hac claſſe conſternatus, quid velit poſtulantem. Summa poſtulatorum Albuquercij hæc erat, præter ſtipendium Luſitaniæ regibus bona fide ſoluendum, vt arx ac diuerſorium Luſitanis ad vrbem daretur, negotiandi cauſa. Neque Torus abnuebat: fædusque ſollemni iuramento inter eos vtrimque percuſſum. Interim verò dum arx eodem, quo ante ſeptennium cœperat, loco ædificatur, Hamedes, dum auctoritate ſe exeundum veretur, dominantibus vrbi Luſitanis, omnem lapidem mouet, cœptum vt opus impediretur. His compertis, ſimul & miſerrimo regis iugo, Hamedem incenſum cupiditate, moliẽtem inſuper inſidias, Albuquercius immiſſis per occaſionem percuſſoribus anteuertit è medio tollere. Hamede interempto cetera expedita fuere; & in arcem abſoluendam cùm Albuquercius diligenter incubuit, tum ipſe quoque Torus materiam & alia neceſſaria largè ſubminiſtrauit: Dein tormenta omnia, quæ ad rebellandum animos facere poſſent, Armuzianis ādempta. Viri fermè triginta è ſtirpe regia, qui ob regni æmulationem, à tyrannis candenti ferro occæcati, in vrbe regio ſumptu alebantur, nè quis eorum cauſa tumultus exiſteret, Goam amandati, dato quæſtoribus & præfectis negotio, vt cuncta eis ad victum cultumque, Emmanuelis impenſa præberentur. Torus ergo cum ſuis Albuquercio fidelitatem, Luſitanorum regum nomine, iurauit: Albuquercius porro rebus Armuzianis ex animi ſententia confectis Goam reuertit.

Arcem perficit.

Regiæ ſtirpis viros Geam mittit.

Sed

Sed vix vrbem subijt, quin animam Deo reddiderit. Hoc itaque modo Lusitani locũ adeo nobilem ac munitum occuparunt; & hactenus, magno Lusitanorum Regum compendio, tenuerunt. Iam ad fidei ibidem progressum descendat narratio.

CAPVT II.

Gaspar Barzæus Soc. Iesu Armuziam mittitur, eius parentes, studia, itinera operaq́ describuntur, antequam eódem pergeret.

VT, cur Gaspar Barzęus Armuziã missus, simul & fructus quem ibidẽ edidit, perspectus sit, de statu ac dispositione vrbis nonnulla præmittenda sunt, priusquam eódem Gaspar appelleret. Cum verò Armuzia adeo frequens sit & ab omnigenis excolatur gentibus, dubitandum non est, quin & omnigena ibidem religio seruaretur. Sunt hic enim Christiani, Latini, Græci, Georgiani, Abyssini & alij; Iudæi quoque & Saraceni, ijque duplices, tum Turcicæ, tum Persicæ ceremoniæ sectatores; Gentiles item & infideles, qui ab India eódem commigrant atq; horum omnium hic religio viget fouetúrque vllo sine obstaculo. Mohometani, vt Mosquitas taceam innumeros, celeberrimum hic totius Asiæ & Africæ conuentum & Coranum habebant, ad quod omnes Mahometis sectatores sexta semper feria confluebant; hunc quippe diem vt Christiani dominicum, sacrum habent: suam quoq; hic Iudæi Sinagogam habebant, in qua Sabbathum postridie celebrabant. In Pagodis suis Gentiles diebus Lunæ conuentum agebant. Quales porro Lusitani, alijque Christiani in vrbe tam varia omniumque parente ac tutrice religionum essent; hinc

colligi poteſt. Vt enim cum coruo cornicari vt prouerbio fertur, aſſueſcimus; ita ex peruerſæ naturæ inſtinctum, facile delabimur ad prauas conſuetudines ac flagitia eorum, quibuſcum agimus & conuerſamur; atq; eo magis, ſi nullius corrigentis reprimentiſque accedat auctoritas. Hoc Luſitanos Armuziæ inuaſerat malum; diu ſiquidem Sacerdote qui ſacrum celebraret, Sacramentave adminiſtraret caruerant. Quamuis porro aliquos nanciſcerentur; tanta tamen eorum ſcientia doctrinaq; non erat, vt alijs viam potuiſſent veritatis ac ſalutis oſtendere; aut ſi forte potuiſſent, ceterorum diſſolutionis participes, temporali potius lucro quàm animarum ſaluti vacarent. Quocirca vrticæ & Zizania ita agrum Dominicum oppleerant, vt quod inſpirationibus ſanctis ſemen diuina ſpargebat clementia, penitus exſtingueretur. Hinc velut à fonte quodam vberrimo promanabant incantationes, ſacrilegia, inceſtus, cedes, adulteria, aliaque quæ inualuerant flagitia, vt Gentilibus ac Saracenis, quàm Chriſtianis propiores viderentur. Quin & plerique initis cum feminis Mahometanis, Iudaicis, Perſicis, Gentilibuſq; connubijs, turpe aut moleſtum non ducebant, liberos prauæ à matribus ſuperſtitioni paulatim aſſuefieri; adeò vt Luſitanorum filij, nefaria aut Gentilium, aut Iudæorum vel etiam Mahometanorum ſectarentur matribus doctricibus, patribus conniuentibus, dogmata. Induſtriam ac ſolertiam credebant, ſi quis vſuras illicitas, monopolia, aliaſq; iniquitatis ſpecies ad proximum depeculandum induſtas exercerent. Is ergo Luſitanorum Armuziam incolentium ſtatus erat, cùm B. Franciſcus Xauerius anno M. D. XLII. Indiam peteret: quibus ille probè compertis, è Molucis inſulis cùm redijſſet, agrum illum expurgare magnopere cupiebat, ſed quod in Iaponiam cogitaret, quam il-

le prouinciam pluris faciebat, huius cogitationem deposuit: alium tamen velut alterum se, & zelo animarum alijsque virtutibus dotibusq; supernaturalibus eximium, suum in locum eôdem destinauit, Gasparem scilicet Barzæum, Belgam natione; cuius quod frequens incidat hic mentio, natales, ortum, & quid, antequam Armuziam pergeret, egerit, quam breuissimè referemus; vt hinc fiat manifestius à Deo illum ad magna, quæ referenda sunt, opera paulatim præparatum. Natus hic in opido Gonza in Zelandia, Francisco & Agnete parentibus, non alia nobilitate insignibus, quàm ea ipsa, quā illis filius à Deo summopere illustratus, comparauit; qui in illustres sæculi superioris viros nō immeritò videatur referri posse: à primis pueritiæ rudimentis in patria positis ad studia grauiora Philosophiæ & Theologiæ Louanium se contulit. Inde per varios casus cùm in Lusitaniam deuenisset, in Societatem adscitus, ac diu multumq; omnigenum virtutū exercitio probatus in expeditionē Indicam anno M. D. XLVIII: vnà cum alijs septem deligitur. Cum horum tribus, quibus præerat nauem Ludouici Mendozæ conscendit, todidem cum Antonio Gomezio in aliam nauem impositi. Ac primum omnium Gaspar à nauarcho eblanditus est, vti quotidie publicè tum ad plebem erudiendam Catechismū exerceri, tū ad propitiādū cęleste numē, Catholico ritu litanias adhiberi permitteret. Mox ad vitia tollēda, corrigendosq; hominū mores paulatim se succinxit: rē inprimis arduā atq; difficilē. præter naualē quippe turbā colluuiēq; seruilē epibatæ circiter quadringēti numerabantur, aleæ, rixis, calumnijs, iuramentis, murmurationibus alijsq; lasciuiæ atq; impudicitiæ generibus ita assueti vix vt sanari posse viderentur; Non idcirco tamen Gaspar animum abiecit, sed

Gasparis Barzæi elogium.

Patria & educatio.

Studia.

Indiam petit.

ſpe omni in Deum coniecta, ac Xauerij memor, idem dum iter inſtitueret, exemplo potius quàm lingua, docere cœpit. Caritatem quippe inprimis ſimul & patientiam hoc in itinere demonſtrauit. Primum Socij eius è maritima iactatione, & nauſea in morbum ſolitum nauigantibus incidêre. Iis dum accuratè miniſtrat, & propalam coqui munere fungitur, ita deſpicabilis initiò viſus, vti paranti ad focum cibos ac ſatagenti, procaces circùm pueri ac linæ, præter ceteras contumelias, appoſitam ollam aut furto ſubducerent, aut per laſciuiam euerterent, dùm alijs interim caritatis officijs diſtinetur: quidam etiam ab innocente, nullo Sacerdotalis dignitatis aut religioſæ veſtis habito reſpectu, vix colaphos pugnoſque ſacrilegos abſtinerent. Perſpectâ dein patientiâ & grauitate viri, ſimul & agnitâ nequitiâ, contemptus in admirationem, reuerentiam & verecundiam vertit. Ceteri quoque vectores illius humilitatem, manſuetudinem, caritatemq; deprædicantes, & diligentes ipſum in vilibus officijs, vel per ſe vel ſuos aduuare, & cibos vnà cũ ipſo in ægrorũ ſolatiũ parare. ſimul vt Socijs meliuſcæpit eſſe, operam, ad verbum Dei prædicandum, prohibenda flagitia, iuramenta, calumnias, blaſphemiaque verba proſcribenda, curandos ægrotos, aliaq; caritatis humilitatiſq; operà exercenda, acrius cõuertit: cuius illi exemplo iiſdẽ operibus incubuerunt. Ex quo mirum dictu, quanta quàm breui omnium vitæ mutatio conſecuta ſit. bene moratam inſtitutamque Religioſorum familiam, non promiſcuam ſeruorum, nautarum, militum, inſtitorum turbam, contineri naui diceres.

Præfectum nauis ad

Primus fermè præfectus Ludouicus Mendoſa Gaſparis conſuetudine & admiratione, doctrinaque ſeſe collegit, qui præter confeſſionẽ pecca-

torum

torum factam, pijs priuatim exercitationibus ab eodem excultus, magno animæ emolumento vitam penitus mutauit, seque & actionibus & verbis longè alium ostendit: vltro deinde cum alijs oportuna de Deo deque rebus cælestibus habuit colloquia & eadem studio intermiscuit; suos primum familiares, tum cæteros officio continere studuit, nullus vt luxus & impensa superflua in suis appareret; quasque aliquando pecunias superfluis impenderat, easdem in egenos & imbecilles quotidie expendebat. Omnes quoq; qui naui vehebantur in officio contineri voluit; quod sine vllo labore perfecit. suo enim exemplo omnes ad virtutum studium, & præsertim in egenos liberalitatem permoti: inter quos suis nonnulli expensis inopes quos nauis continebat sustentabant. Vnus etiam haud infimæ sortis negotiator priuatis publicisque Gasparis cohortationibus incitatus, Christianæ caritatis pulchritudine ac specie captus, contempta rerum humanarum inconstantia & vanitate, sese ad Gasparis ductum ac vitæ rationes applicuit, & in egenos beneficentissimum se exhibuit; quin & maioris perfectionis exemplo facultatibus omnibus se exuens, Apostolicam perfectionem est æmulatus; hic deinde Goæ in Sociorum fuit numerum cooptatus. Inter huiusmodi occupationes, Bonæ spei promontorio non sine euidentissimis periculis feliciter tandem superato, ad Mozambicum nauis, tantis incommodis tantaque morborum lue, nemine, (quod perrarum est) prorsus amisso appellitur; quod post Deum, vnis Gasparis precibus sanctisque occupationibus omnes attribuerunt. Ibi optatissima quindecim dierum capta quies, terrestribus etiam diuersorijs è maritima iactatione refecti plerique. Gaspari tantum

pietatem conuertit.

Item mercatorem diuitem.

ac Socijs de aliorum magis quàm de sua incolumitate solicitis integratus labor, qui ægris per nosocomia dispersis sedulo, grauiterque auxiliati sunt. Lauta illis inquilinorũ hospitia minimè deerant, sed vltro ab omnibus offerebantur, ac multi, vt ijs ad valetudinem tuendam vterentur instabant; sed quòd pro Christi nomine pati illis iucundum foret, & B. Xauerium omnes æmulari studerent, aliud diuersorium quàm nosocomium adire noluerunt: quò deportatis etiam ægrotis è nauibus, eadem qua priùs caritate succurrerunt, ac refouendis eorum corporibus animisque (cùm ad centum & viginti decumberent) pari cura ac diligentia totos sese impenderunt. Per id ipsum tempus alia eiusdem classis naui fratres Dominicani duo Mozambicum delati. horum quoque, in eodem valetudinario, magna cum omnium approbatione caritas ac virtus enituit. Goam deinde pridie Non. Septembres eodem anno peruentum. Ibi Gaspar nouo impetu capto, in omnes partes Christianæ adiuuandæ rei animum ac vires intendit. Varijs quotidie locis ad multitudinem seruos, captiuos, in ipso prætorio ad selectam nobilitatem proceresq; verba faciebat: quanto cum fructu motuque, è noua emendatione morũ, è voluntarijs diuitũ ac delicatorum pœnis, è plurima peccatorum confessione, è frequẽti restitutione pecuniarũ, apparuit: Nullus quippe è cõcione nisi cum proposito aut vitæ emendandæ aut in virtutis itinere progrediendi domum concedebat. Mira erat repentina illa morum in melius mutatio, quam dextera Excelsi quotidie illo operabatur instrumento. Disputationes etiam de religione cùm Brachmanis loci habebat interdum. ex ijs primarius quidam, cui nomen Locu, sæpe conuictus, & veritati dans vltro manus, cum

Goam appellit.

Quem ibidẽ concionando fructum ediderit.

vxore

vxore & sororis filio Baptismum expetijt.

Is Baptismus octo ipsos dies tinnitu festo, symphonia, choreis, ingenti omnium ordinum studio, ac plausu celebratus: viæ vrbis vario peristromate ac virenti palma elegantem in modum ornatæ, per quas Baptizandis transeundum erat: neophyti magna Christianorum procerum nobiliumq; frequentia in equis ad templum primarium ducti; ibi ex aqua Baptismatis ab Episcopo ac prætore honoris causa ritè suscepti. Marito Lucæ Salæ, vxori Elisabethæ nomen impositum, adolescens Antonius appellatus. In hanc deinde familiam, ad ceteros Brachmanas ad Christum imitandos, Prætor ipse, quod ita Lusitanum Regem velle non ignoraret, alia quoque propalam ornamenta & beneficia contulit. Hæc tum Goæ Gaspar omni ope curabat, cum Xauerius, è Molucis reuersus, promótorij Commorini Christianos visitaret: visa hic Gasparis industria, & gratia cælitus accepta, Armuziam illũ misit, addita salutari commonitione, quã tomo primo descripsimus. In ipsa primũ nauigatione pristinam cunctos adiuuãdi consuetudinẽ retinuit, eaq; re ipsa commotos è vectoribus aliquot, simul & Lascaros quosdam (milites sunt sub stipendijs Lusitanorum merentes, dum è suis non suppetunt qui vel cohortes compleant, vel nauibus quas ducunt præsidio sint) Christianos fecit. Mascatum Arabiæ felicis opidum delatus, tum Europæos tũ Indos exsules vel decoctores, qui tamquam ad azylum ad ea supplicij metu loca profugerant, plurimos hic reperit. est vrbs huiusmodi quisquiliarum receptaculum: hos ille ad pœnitẽtiam & ad fidẽ Christianã quã nonnulli negarant, reducere contendit: bis in opaco, vt quadam in epistola ipse testatur, & vmbroso concionem

Brachmanam ad fidem conuertit.

Armuziam mittitur.

habuit loco, sub arboribus inquam, itaque plurimos permouit, vt post decennem duodennemve inter Saracenos habitationem, confessionem vitæ anteactæ fecerint. Nonnullos horum secum duxit, illorumque necessitatibus succurrit, alios vero ad iter salutis capessendum disposuit. Fructus verò quem pro temporis angustia hic collegerat, adeò illi placebat, vt sæpe gratias Deo ageret, quod huc ipsum ad animarum nonnullarum salutem procurandam destinasset. A Mascato prouectus Armuziam, in ipso portu, officij causa obuios habuit Proepiscopum & Sacerdotes ab ijs cum honesto comitatu ad Emmanuelem Limam arcis Lusitanæ præfectum deducitur; qui benignè illum humaniterq; excepit: Atque apud se diuertere voluit, quamdiu Armuziæ ageret: Obstabat Proepiscopus, suum esse Sacerdotem domo excipere; adeo vt inter se de hospitalitate certarent. Ille verò gratijs vtrique humiliter actis, Nosocomium suum esse ait diuersorium, ad quod etiam insigni vtrique dato exemplo modestiæ, haud grauatus diuertit.

Emmanuel Lima Armuzianus præfectus.



CAP.

CAPVT III.

Gaspar omnibus Armuziæ gentibus auxiliaturus se impendit, ac præsertim Lusitanis. quid hic illi contigerit.

ARmuziæ statum cum probè Gaspar iam perspectum haberet, miserum quidem ac deplorandum, quòd omnium hic flagitiorum mera inundaret colluuies; consternatus quodammodo & exanimatus; assiduis eam lacrymis deplorabat, vt ex litteris illius, è quibus, quæ dicturi imposterum sumus deprompta potissimum sunt, constat. Noctes ergo integras orationi impendebat, lacrymis, ieiunio duriori, cilicijs ac flagellis corpus castigabat, quo dissolutæ ciuitatis lasciuiæ apud Deum satisfaceret, ac numen propitium illi redderet. Deinde è Xauerij præceptis, consuetudineque, Satanæ bellum humilitatis operibus indixit, ægris in nosocomio sedulò obsequendo, carceres obeundo, & pueros, mancipia, aliosque egenos fidei Christianæ mysteria edocendo, quos campanulâ vnum in locum cogebat. Quem hic fructum fecerit, incredibile videatur. pueri quippe, mancipia & plebecula tanto studio, orationem Dominicam & reliquas, simul & fidei articulos, Decalogum aliaque fidei mysteria edidicêre, vt cantionum lasciuarum quibus assueuerant loco, eadem nullo non loco ac tempore decantarent Præmia quoque proponebat ijs qui blasphemos iurantesque coarguerent; quin & horum rationem exposcebat coràm, impigros præmijs afficiebat, segniores modestè carpebat. Plures initio ad Catechismi doctrinam, velut ad scenicum aut histrionicum specta-

Gasparis Barzæi pænitentia.

Catechismum docet.

 cta-

ſtaculum confluere. Erat ſiquidem nouum hoc & inſolitum Armuzianis; ac potior pars curioſitate potiùs ducta quàm diſcendi ſtudio eôdem properabat. Sed ſæpe nihil minus cogitantes capiebantur: quamuis enim nonniſi puerilem ætatem & imperitum vulgus doceret, ad vitiorum fœditatem virtutumque ſplendorem nonnunquam ſermonem conuertebat; idque tanto ſtudio ac zelo, plerique vt vitæ anteactæ turpitudinem pertæſi, concepto vitæ melioris propoſito, peccata confeſſione expiare, vitamque ſanctiorem vellent traducere. Hinc tanta morum facta mutatio, vt ſublatis laſciuis & profanis cantionibus, caſtiſſimo verſu, ac ſalutaribus monitis dies ac noctes omnia perſonarent. Eadem illa rudimenta legeſque ſerui mox heris, filij parentibus, fideles pueri æqualibus Mahometanis aliiſque priuatim edebant. Vt dæmon dum minus cogitaret, antiquo cedere coactus fuerit domicilio. Sacroſancta IESVS & MARIAE nomina nullo non loco, non à Chriſtianis tantum, ſed & ab ethnicis & Saracenis decantabantur. Neophyti quoque alij longè erant prius: erant ſiquidem viri & mulieres numero plures quàm puerorum aut mancipiorum. Templa quotidie, etiam vehementiſſimo æſtu, complebantur. Ipſi quoque alicuius notæ viri honori ducebant, ſi à Gaſpare interrogarentur, num quid è præcedente lectione catechiſtica memoriæ mandaſſent. felicem is rerum ſucceſſum videns, pœnas voluntarias ac preces non propterea intermittere, vt diuinam gratiam tum ſibi tum auditoribus conciliaret; ſingula dein vitia oppugnare, quæ Armuziæ dominabantur, atque ita omnibus nationibus quæ hic commerabantur ſuccurrere. Quocirca ita dicendi materiam

riam ac dies distribuit, vt Dominicis festisque diebus, Lusitanis; Lunæ, Gentilibus; Veneris, Saracenis; Sabbatis denique Iudæis salutarem doctrinam proponeret; quos harum quæque secta obseruabat dies. Reliquum tempus Lusitanis impendebat, hos docendo, illorum confessiones audiendo; doctrinam vero Christianam, viso quem inde colligebat fructu, quotidie edocebat.

Lusitanos cùm alloqueretur diebus festis ac Dominicis, vitia quibus obnoxij potissimum erant, oppugnabat: imprimis carpebat illorum cum feminis gentilibus, Iudaicis, Mahometanisve connubia, etiam superstitioni suæ mordicus adherere volentibus; quapropter non connubium hoc, sed merum concubinatum videri, prolemque inde natam illegitimam esse, quæ in maternos (proh nefas) ritus superstitionemque Lusitanis conniuentibus transibat. Plerique etiam vna contenti non viuebant vxore, sed Saracenorum ac gentilium ritu plures sibi palam ac liberè copulabant. Abusum hunc & luxuriem magna animi verborumque contentione reprehendere Gaspar, diuinam indignationem comminari, ni suam homines impudentiam tollerent. Quibus ille rebus tandem effecit, vt plurimi ad mentem reuersi, ab illis diuerterent vxoribus, quas ex legum humanarum diuinarumque præscripto habere non licebat. Ipsis quoque qui auctoritate aliqua pollebant, tum in sacris tum in republ. comminabatur Deum, Regem Lusitaniæ ac Præsules superiores, rationem indulgentiæ nefariæ petituros, ob hunc magno Christianorum, Iudæorum, Turcarum, Gentiliumque scandalo, tanto tempore luxum toleratum.

Lusitanorum connubia reformata.

Zelum

Terraemotus terribilis Armuziae. Zelum Gasparis & minas confirmare voluisse videtur diuina indignatio. Iis ipsis namque diebus tam horrendus terræ motus Armuziam concussit, vt omnibus terrorem incusserit. At tametsi similis aliàs contigisset, hic tamen quòd eo tempore accideret, quo Gaspar diuinæ indignationis furores intentabat, ni vitam in melius emēdarent, tantæ fuit efficaciæ, vt plurimi ab hoc se flagitio conuersi ad mentem redierint. Lusitanus quoque qui piè monenti Gaspari auscultare nolens, in flagitiorum cœno peruicaciter hærebat, suo ipsius damno, sed aliorum bono, vindicem Dei manum sensit. Erat hic Lusitanarum turmarum pedestrium præfectus, cuius proinde flagitium eò videbatur grauius, quò sublimiori sublimitate fulgeret.

Castigatio peccatoris obdurati. Tres hic Mahometanas sibi nefaria concubitu mulieres tenebat, quas quocumque se conferret secum velut legitimas trahebat vxores. Minæ omnes, reprehensiones, castigationesve non minus proderant, quàm si apud inferos damnatæ animæ facta fuissent; apud quos tot vix tamque horrendas audire est blasphemias, quot scelestus hic quotidie sacrilego ore euomebat. Nullum Gaspar peruicaciorem hoc habebat hostem, nullum qui sancta illius instituta euerteret magis: neque Gasparem modò à se peruicaciter, sed & alios ab illius commercio auocabat, impediebatque quo minus sancta illius consilia monitaque admitterent. Sed non diuturna hæc fuit pertinacia. Foras enim cum nonnullis suorum dum concessisset, subitò coram omnibus exanimis concidit; & aër qui nitidus ac purus erat subitò tam spissis densisque velari cœpit nebulis, vt solus illarum aspectus terrorem intuentibus incuteret. Nec hic stetit terror: tantus quippe ven-

ventorum turbo, tempestas, pulueris per aëra condensatio, ac tonitruorum terror infremuit, vt semihoræ spatio alter alterum videre non posset; omnes sibi vt non parum metuerent. Sed hac impij calumniatoris morte placatus Deus, ceteris nonnisi suorum metum incussit iudiciorum. Hinc plerique, huic lasciuiâ similes, rebus animæ prospicere cœperunt, atque hos inter etiam Saraceni ac Gentiles, qui tamen hisce vix percelluntur; Lusitani verò aut pellices amandabant, aut legitimo cum ijs matrimonio copulabantur; quibus verò dedecori videbatur ancillulis sese coniungere, honesto illis matrimonio elocare satagebant, vt coniugij legibus continerentur. Multi quoque etiam grauissima pœnitentia delicta expiabant, præteritasque lasciuias, corporis membrorumque castigatione pensabant. Erant quinetiam aliqui, qui diebus feriatis ad templorum ianuas, cùm maxima eôdem conflueret hominum frequentia, flagellis in seipsos publicè sæuiebant; alij vicatim interdiu noctuque obambulantes commissorum à Deo proximisque postulabant veniam. Quoties Gaspar ad populum de rebus sacris sermonem haberet, non lacrymas hinc inde nonnulli sparsim eijciebant; sed vnus omnium erat gemitus ac lamentum. Cõfitentium totius vitę delicta, aut saltem ab hinc aliquot annis commissa, tantus erat quotidie numerus, vacare vt omnibus non posset; ideoque de nocte ijsdem operam dabat, vt vix ad duas tresve horas quietem caperet. Nec tum quidem omnibus potuit satisfacere; vt multi (etiam magni nominis viri) ægros se finxerint, vt illum ita ad confessionem audiendam quodammodo cogerent. Sed econtra duo gratiam à Deo

Blasphemus à Deo punitus.

Quæ morũ secuta hinc mutatio.

P. Gasparis labor in confessionibus excipiendis.

Gaſparis adminiculo oblatam repudiare contendebant; quorum alter illius conſortium declinabat, alter vero eundem perterrere conabatur ne ſcelestæ vitæ ſuæ vlcus tangeret. Vtrumque enim dæmon carnalibus catenis deuinxerat; & postremum imprimis, cùm tamen officij ratione (erat enim Sacerdotio initiatus) castitatem colere debuiſſet feruentius. Verebatur quàm maximè ne Gaſpar ſceleſtæ vitæ illius redderetur certior; ne verò, ſi forte quidquam inaudiret, crederet; aut, comperto ſcelere; vt ſaltem reprehendere non auderet, familiaritatem cum illo arctiorem iniuit. Concionibus enim illius frequens intererat, in noſocomio illum laborantem inuiſebat; & magnam cum illo neceſſitudinem contraxerat: multa illi mittebat munuſcula, cupedias, & condimenta varia, quæ Gaſpar ne delibans quidem, inter ægros diſtribuebat. Sæpe illum menſæ ſuæ adhibebat, & venientem lautiſſimè excipiebat; cauebat verò ne dæmones cùm generatione ſua peſſima, id eſt concubinæ cum ſobole; tum per domum comparerent. Menſam habebat lautam, fercula exquiſitiſſima, vaſa argẽtea plurima, periſtromata elegantia, & apparatum ſcitiſſimũ; abundabat enim (miſerum!) omnibus, vnica tantum virtute deſtitutus. Fingebant ambo ad tempus; ille modeſtiam ac pietatem, Gaſpar ignorantiam ſuam quaſi de vita illius nihil etiam dum cõpertum haberet, exſpectans num fortè vitæ exemplo; ſalutaribuſque monitis (hoc tamen vlcus non tangendo) è ſcelerum ſordibus colluuieque illum educeret. Sed ſurdo canebat fabulam & mortuo; donec tandem pro concione publicè de Sacerdotum cælibatu continentiaque diſertè grauiterque locutus ſit. Tametſi verò Gaſpar

Conuerſio Sacerdotis diſſoluti.

Verbis Gaſparis offenditur

Gaspar modestè hic se gesserit, ac Sacerdotalem dignitatem omni ratione sartam tectam voluerit, neu contumeliosè traduxerit; Sacerdos tamen hic simul & collegæ tum dignitate tum vitæ improbitate, adeo se læsos existimarunt, vt à concione templo egredientem solum (non enim prius exire solebat, quàm auditores omnes domum côcessissent) adierint, atque is præsertim qui læsum se potissimum existimabat, quòd ceteris esset deterior & impurior, tam procacibus, insolentibus, aculeatisque illum aggressus est verbis, vt militem atrocem arrogantemque non Sacerdotem dixisses. Vix manus à Gaspare violentas continebat; verbis non contentus. Hic verò visa viri bile, in genua coram illo Socijsque prouolutus, veniam petit, nullius tamen delicti reus. Heroicùm illud patientiæ submissionisq; opus iram illorum ita sopiuit, nullum vt scandalum (quod verendum sanè erat) hinc sit secutum; & forsan causa exstitit, vt absolutam de primario coryphæo dein victoriam retulerit, qui mirabili quadam ratione vitam, vt iam iam narraturi sumus, in melius commutauit. Cùm enim postridie eodem simulationis tectus velamine, Gasparis concioni interesset, peruicacem nihil minus cogitantis, diuinæ gratiæ radij animum ita penetrarunt, vt toto concionis spatio lacrymarum habenas continere nequierit: descendentem è cathedra mox adijt, pedibus illius sè prosternit, vultuque in terram deiecto simulationis mentitæque hypocriseos veniam petit simul & iniuriæ quam irrogare volebat, quin & pessimi exempli, quod hactenus dederat ciuibus, meliorem vitam spondens imposterum, quod & præstitit.

Ab

Ab illo quippe die pœnitentiæ virtutique sedulò incubuit, à qua deinde bono omnium exemplo non deflexit. Hæc quidem Sacerdos. alter verò, quem Gasparem declinasse diximus, miles erat veteranus, armis simul & vitijs assuetus. Numquam hic concionem Gasparis adibat, quin semper ad vitæ emendationem verborum efficacia internè concitaretur. at quod igne in quo medius versabatur educi nollet, & adustione delectaretur, singula concionantis verba aculei & tortores erant, quibus scelesta illius conscientia assiduè exagitabatur. hinc ita metuere Gasparem cœpit, vt se mortem oppetere malle, diceret, quàm hunc adire, nedum peccatorum confessionem facere. Is cùm aduerteret, se si Armuziæ permaneret, necessariò semel in eundem incursurum, statuit primo quoque tempore Indiam repetere. Iamque data nauigij facultate pedem ea cogitatione in nauim imposuerat, cùm repente acuta eum febris inuasit, cum tanta mentis ex humore melancholico perturbatione, vt omnino deliraret, & iam sibi cælestes iras ac diuinas iustitiæ minas experiri videretur. Si quem strepitum audiret, metu concuti, & trepidare: si fortasse tormentum aliquod disploderetur, iam se in frusta decerptum arbitrari; amicos qui ad eum visendum veniebant, pro sicarijs ac percussoribus habere. At quod ægrientem sanare animam non corpus castigare Deus decreuisset, tantũ illi lucis dabat per interualla ac iudicij, quantum satis erat, vt medici quem tantopere exhorruerat, posset meminisse. Amicos vt Gasparem accirent rogat, quo veniente respirare quodammodo cœpit, quasi omnis iam mali abijsset suspicio, supplicique virum intuens oculo, illius ruit in amplexus, confitenti vt aures præbeat rogat.

Veterani militis conuersio.

gat. quo facto, animæ pax, & corpori dein reddita sanitas. Sanitati igitur restitutus seriò pœnitētiæ incubuit, & amores suos peccandi causam, & domo & corde ablegat. Hęc duo iudicia sint eorum, quæ hoc in genere plurima Gaspar Armuziæ pertulit. Atq; hactenus hæc de impudicis moribus. Deinde auaritiæ pestē Armuziæ regnantem oppugnare cœpit; hinc in fœneratitios contractus, monopolia, aliasq; iniustitiæ species inuehi cœpit: nam vix alia negotiatorũ Armuziæ erat viuēdi ratio, quàm è pecunia ad cambium instituta, quam illi cambiis, recambiisque aliisque dolosis contractibus, mutuationibus ac mutationibus adaugebant, se vt artes illas nō intelligere ipse Gaspar in epistola quadam testatus sit. Decem aureos mutuos dabat aliquis, ex eo mutuo toties tortus ac retortus per fas & nefas fructus ad possessorem redibat, vt anno integro seipsum ac suos sustineret, viua semper ac integra capitali decem aureorum summa. Vt huic tanto tamq; publico Lusitanorum fœnori Gaspar occurreret, ad ceteras conciones, quas de hac re instituebat, aliam more lectionis cathedram cathedræ opponens quoque sabbatho de auaritiæ partibus ac peccatis adiecit: quam ille materiam tot S. Scripturæ & S S. Patrum testimoniis, tanto rationum & exemplorũ pondere, tanto animi studio ac feruore, verborum contentione; tamq; assiduè & continuò est prosecutus, vt diuina adminiculante gratia agrum Domini hisce zizaniis purgarit, vt hæc vna res fuerit, in qua potissimum Lusitanorum Armuziæ commorantium fructus constiterit. Non enim vt strato surrexerāt, locum publicum adibant, quem Bazaz nuncupāt (forte quòd lapidum illorum

Iniustitiæ species Armuziæ regnantes.

Sed sublata.

qui præſentiſsimum ſunt aduerſus venena remedium, frequens hoc in loco commercium eſſet;) atque ibi Gentiles, Saraceni, Iudæi, quas tota nocte fraudes ſomniarāt, artificiosè promiſcuè contrahendo texentes, de vſuris, mutuis, duplicique triplicive fœnore hic inter ſe conueniebant. At poſtquam Gaſparis exhortatione contractuum horum & lucrorum iniuſtitiam ſimul & reſtitutionis obligationem didiciſſent, prima euigilantium cura erat, templum adire, quod tam profeſtis quàm feriatis diebus plenum erat; hic ſacro cùm interfuiſſent in Bazar concedebant, non fœnerando lucrū adauctātes, vti prius, ſed vt inter ſe de iure mutui, de legibus permutationum, aliiſq; contractibus, quid ex legis diuinæ præſcripto licitum foret & illicitum, ex Gaſparis potiſsimum præceptis ac traditione diſceptarent; academiam Theologorū dixiſſes, non negotiantium forum. Neque labiis dumtaxat ac vultu ſe philoſophia continuit, ad rem atque ad facta peruenit. Tum enim Luſitani fœnus reſpuere, & ex malè parto reſtitutiones vel in duplum iuſtis dominis, aut vbi ii non apparerent, in pios vſus fecerunt; & ſuper hæc eleemoſynæ erogatæ complures, atq; ex iis tantum auri argentiq; redactum, quod magno puellarū orphanarum numero collocando, noſocomii publici, cui à Miſericordia nomen, laxandis anguſtiis, & multorum inopiæ leuandæ ſat eſſet. Gentiles omnes, Iudæi ac Saraceni inſignem hanc Luſitanorum munificentiam ſibi inſolitam nō parum obſtupuerunt. Opulenti præterea mercatores tantum ſalutis ſuæ zelum oſtenderunt, vt lachrymantes & in genua proſtrati Gaſparem adierint, illum ſuas vt rationes excuteret, rogarint,

Reſtitutiones mirabiles.

garint, vtq; læsis offensisq;, prout iudicaret, satisfaceret; hinc facultates ingentes, pecunias, merces, mancipia, domos, nauigia, aliaq; eiusmodi in illius manus consignabant, vtq; de iis liberrimè disponeret, postulabāt, vt quidquid iniquè partum esset, tolleret, inque pios vsus conuerteret: paratos se quoq; afferentes, si pecunia satisfieri non possit, corpore etiam suo luituros, & tam enormi in cutem sæuituros pœnitentia, qua præteritas delitias compensarent. Hoc pio sanctoq; desiderio æstuantes permulti vitæ anteactæ pœnitentes peccatorum confessionem fecerunt, & Christiano vitā ritu instituerunt. Quin & præter iniusti lucri restitutionem, magnam pecuniæ vim inopum inopiæ subleuandæ aliisque piis operibus erogarunt.

Addam his insignem à Gaspare inter Christianos iam inolitum abusum sublatum. Erant enim qui ferrum & sulphur vetitasque merces alias Turcis ac Mahometanis inferrent, quod Pontificias diras, cōtra id facinus in bulla Cœnæ Domini (hoc enim die quotannis promulgari solet) fundi cum horrendo carmine solitas vel proterue contemnerent, vel penitus ignorarent, docti quanto id piaculo fieret, à quæstu sacrilego destitêre non pauci, & pro ea potestate, quam à sede Apostolica habebat Gaspar, in gratiam cum Ecclesia restituti. *Alios abusus P. Gaspar sustulit.*

Ab hisce victoriis de lasciuia & auaritia relatis Christi miles teterrimam aliam generis humani pestem aggreditur, & ad lites dirimendas, tollendasque inimicitias adiecit animum, quas venenatus inferorum coluber proseminarat, & dissensionibus mutuis fouebat, etiam inter naturales eiusdē nationis excitatis. Quo- *Inimicitias sopit.*

circa cum aliquoties arcem hanc oppugnasset; monitis & auctoritate permultos Lusitanorũ induxit, vt datis inter se dextris, & venia offensionum petita, in gratiam redirent. Quod exemplis subiectis manifestius reddemus. Duo in mutuam conspirarant necem; sed audita Gasparis concione, in amicitiæ signum ad ipsas templi valuas optimo sanè exemplo in mutuos ruerunt amplexus. Sed quod iam subnectam multo est nobilius. Erat in Lusitana arce vexillifer sanguine quidem nobilis, sed qui ignoraret, in quo vera sita esset nobilitas, quam ipse totam in vindictæ appetitu collocabat, nihil vt tolerare, sed in omnibus tolerari vellet, is cæteris ita molestus erat, vix vt totâ reperiri vel arce vel vrbe posset, cui non iniurias deberet; quas cum satisfaciendo tollere nollet, sese, nihil ipsi animo vel viribus cedentes, vindictâ res suas repetebant. Itaq; horrebant eum cuncti, multi etiam persequebantur. Cum eo multum sudauerat Gaspar, sed in cassum. quieta ciuitas erat, quando aberat; eo reuerso, armabatur vniuersa. Repentinam hanc vrbis mutationem ad huius aduentum vel abitum cum videret Gaspar: Quis mihi, inquit, dabit, tangat hunc iusta Dei manus vehementi aliqua ægritudine vt mansuefiat, atq; animus curetur! Mira res, effectu non caruit oratio: nam eodem temporis momento, absentem illum maligna febris inuadit, & breui insolito æstu in eas redegit angustias, nihil vt aliud clamans vrgeret, quàm Gasparem ad se vocari, ne sine confessionis Sacramento moreretur. Accurrit Pater, mutatum reperit animum; neque enim iam insolens erat, aut vindictam spirans, sed agni instar mansuetus. Sæpe igitur Deus immissis corpori

Reconciliatio duorum qui necem alter alteri parabant.

Miles contentiosus pacatur.

corpori morbis animæ morbos tollit, vt militi huic aduenit. Peccatorum enim confeſsione peracta & ſpiritus & corporis ſimul ſanitatem eſt conſecutus; oſtendere nempe volebat Deus, hunc ei cur morbum immiſiſſet. Prehenſum manu Gaſpar ad inimicos perducit, vt veniam ab iis poſtulet, ac præſertim iis quos offenderat, quorum aliqui iam in necem illius conſpirarant, & de facto ſclopetis occidiſſent, ni viſo Gaſpare manum continuiſſent, & illo ſuaſore in gratiam cum hoſte rediiſſent.

Militis peruicacia aduerſario nolentis ignoſcere.

Sed alteri carius ſua ſtetit peruicacia: non minus erat hic arrogans, inſolens ac vindictam ſpirans; blaſphemias inſuper horrendas in Deum, ſanctoſque aſsidue eructabat. Vindicem hic quoque Dei manum ſenſit, & nihil minus cogitanti morbus cœlitus immiſſus, vt hac ratione ad mentem rediret. Oportuno tempore captato, virum adit Gaſpar, morbum illi à Deo ad vitæ emendationem immiſſum oſtenſurus, vt per ſalutare pœnitentiæ Sacramentum cum Deo ſimul & proximo in gratiam rediret. Sed fruſtra: miſer marmore durior his omnibus non flectitur, ſed rabie atque furore actus Gaſparem hinc faceſſere inclamat, quem neq; videre ſe poſſe, & audire nolle, nedum imperata illius facere, dixit. Et quod omnium grauius, ſe niſi vltum cœlum nolle ingredi, neque veniam à Deo commiſſorum obtinere, ſi ea ſit iniuriarum condonatione comparanda. Non tulit vltra pater impudentiam, ſed velut publicus diuinæ iuſtitiæ miniſter ſic eſt vaticinatus. Ita ſit omnino vt dixiſti, atqui certo ſcito, te ante triduum ſæpius cui confitearis inclamaturum, neque tamen iuſto Dei iudicio habiturum. His dictis, diſceſsit. Poſtridie ante meridiem ita mor-

morbus incruduit, vt à morte parum abesset: quocirca cum se iam in extremis videret constitutum, & iudicio Dei iam sistendum perterritus, anhelans, ac velut ab altero pressus, Gasparem inclamauit; sed cum neque is vel alius quispiam Sacerdos esset ad manum ante exspirauit, non confessus quàm adesse potuerit. Omnes qui aderant non parum perculsi, iustæ Dei vindictæ hoc asscripsere.

Sed ecce rem priori similem, sed exitu absimilem. Lusitanus erat in paucis potens & auctoritate singulari pollens, tum ob sanguinis nobilitatem, tum verò ob munus cui præerat, sed apud Deum plebeius & sordidus erat; vita namque eius offendebat omnes & sceleribus erat inquinatissima: opprimebat siquidem omnes ac dira tyranide grauabat; quem proinde oderant ad vnum omnes, & liberrime de publica illius impotentia obloquebantur. Sæpius illum admonuerat Gaspar priuatim, vtque sa[...]ret rogarat, sed incassum, ille monita eludere, & quæcunque Gaspar generatim pro concione viua carperet, sua ipsius carpi criminabatur; hinc tantam monitus indignationem concepit, vt se publicum seruique Dei iuratum hostem profiteretur. Sed nō potuerunt hi odii torrētes Gasparis in eum caritatem extinguere, sicut econtra illius in hunc officia, amoris vel scintillam excitare. Et tamen permagni referebat reipub. hunc ad mentem reuerti: quod perspectum habens Gaspar, aliud iter insistere placuit; feruentes ad Deum illius causa & assiduas fundebat orationes, vt lumine gratiæ illum illustratum ad se traheret: quin & acerrimas illius causa suscipere pœnitentias, flagellationes, ieiunia, cilicia frequentiora solito, noctes in-

Conuertendi obstinatum ratio.

ctes insomnes in oratione peruigili traducere, sanctissimum quoque Missæ sacrificium pro eodem sæpius offerre. Nouem ipsis diebus hac ratione Deum placare studuit; quibus expletis Lusitanus in lectulo quiescens sub secundam à nocte media horam coram se Gasparem vidit, insolito splendore micantem in vultu præsertim ac manibus; quin & odorem adeo iucundum sensit, similem vt nunquam se sensisse negaret. Aderat quoque species alia ad Gasparis latus, paulo angustior (angelum tutelarem fuisse sit verisimile) qui sic eum est affatus: Quid agis peccator? quid moliris? quorsum Gasparem tantopere horres, ac dubitas illi animæ salutem committere? nonne vides quo eum decore Deus ornauerit? Euigilauerat iam nobilis, ac bene sibi præsens erat, vti postea suo ipse firmauit testimonio. Itaque visis auditisque permotus in illius ruere voluit amplexus; at subito disparuit, cuius disparitione nobilis non parum indoluit. Mansit tamen qui iam locutus erat, atque ita sermonem prosequens eum consolatur; Ne mireris Gasparem ita à te sese proripere, cum tanto tu ipsum iam fugeris tempore: sed hac ipsa hora se ad sacrificandum in nosocomio infirmis parat; ibi eum prima es luce reperturus. Quo dicto hinc etiam angelus se proripuit. Reliquam ergo noctem in continuis fletibus ac gemitibus, imo pectore ac dolore de peccatis concepto proficiscentibus consumpsit. Vix dies illuxerat, quin virum è famulis ad Gasparem euocandum miserit: nondum sacra perfecerat, & famulus nosocomium ingressus heri mandata exposuit, qui repentino hinc gaudio perfusus è vestigio Lusitanum adiit: quem vt hic vidit, vocem extulit, abiecit se *Insignis visio.*

ad pedes, tanto animi dolore ac pœnitentia, maior vt tunc illius fuerit cõtritio quàm confeſsio. Sed dein generalem totius vitæ confeſſionem inſtituere cum vellet, aliquot ſe dies remotis arbitris colligens, cum hominum nullo, quàm cum Gaſpare agebat; interim peccatorum recordatione piiſque paſcebatur meditationibus, quas Gaſpar ad verum excitandũ dolorem, pœnitentiamque concipiendam illi ſuggerebat: ita porro hîc profecit, vt iam modeſtia, ſuauitas, patientia, zelus diuinæ gloriæ, cæteræq; virtutes eum ignotum, quia ſibi diſſimilem, redderent; ſed in caritate potiſsimum in pauperes miſericordiaque excelluit, quibus paucis diebus ſupra quinque aureorum millia diſtribuit.

CAPVT IV.

Alia pietatis opera à Gaſpare Armuziæ patrata recenſentur, punitur militum nonnullorum inſolentia, qui ab illo ad peccatorum confeßionem priuſquam Monaianum proficiſcerentur, admoniti, pia viri conſilia neglexerant.

ENarratis Gaſparis victoriis, quas de vitiis Armuzianorum retulerat, iam nonnulla alia pietatis illius opera recenſebimus, quæ ad priora commode referri non potuêre. Primus in ſcenam prodeat Luſitanus, qui in concionibus Gaſparis frequens erat, ſed peccatorum prauæq; conſuetudinis laqueis irretitus tenebatur. Quamuis autem hiſce expedire pedicis maximopere vellet, Gaſpari tamen animi virus detegere nolebat, donec in Indiam reuocaretur, veritus ne detectis illi peccatis, quoties obuiam fieret, nimium erubeſceret, panicum hunc metum iniicere pleriſq; dæmon ſolet, vt ſuis illos laqueis diutius conſtrictos tandem ad

Timor confitendi à vano pudore profectus.

dem ad

dem ad inferos detrudat. Confessarii enim sinistram de confitentibus animiq; latebras penitus detegentibus opinionem concipere non solent, sed ob victoriam de seipsis relatam pluris facere. Satanæ insidias atque hominis metum Gaspar cum diuinitus perspectum haberet, vltro adiit, & vanum illum timorem excussit: ac tantum verbis & oratione profecit, vt quod animo latebat virus, euomere decreuerit. Dum verò plures confessioni dies impendisset (maius hîc enim requirebatur tempus) eo ipso die mane quo absoluendus erat, interim dum pœnitentia iniuncta ac contritionis pararia ex parte Deo satisfacit; ecce tibi tetris animalibus fœdisque monstris cubiculum repente completur, ab iis circumuentus ac varie petitus obriguit primo, ac præ horrore trepidauit; & conscius offensionum, incertus gratiæ, ne viuus in tartarum cũ ipsis, vt aiunt, vestimentis illico raperetur, extimuit. Quid ageret ignorabat: at vbi se paululum ex pauore collegit, detractam è pariete sacram imaginem arcte cõplexus, magno clamore diuinum implorat auxilium. Ad eas voces (mirum dictu) cõfestim atra illa ac feralis turba discessit, tanto cum tumultu strepituque, vti domus tota concuti & conuelli funditus videretur. Tantam hic deinde interne pacem quietemq; animi sensit, vt etiam viuus cœlesti frui beatitudine videretur, ac maximo omnium exemplo, quos prius sceleribus offenderat, haud paulò meliorem inde vitæ rationem instituerit.

Tetra dæmonum visio.

Atque horum animi, illorum etiam corpora sanata diuinitus. Primarii viri Lusitani filius febri grauissima laborabat, eidem erat oculus diuturna labe putridus, & sæuo tumore dirupeius,

ptus, duplici malo multis adhibitis effectu nullo remediis, cũ in humana ope nihil esset spei, mœrens pater Gasparem demisse obtestatur & obsecrat, vt pro salute carissimi filii, tam periculosè ægrotantis, litare in Deiparæ honorem dignetur. Fecit ille, neque diutius dilatum è cœlo beneficium est, eo ipso quo salutarem hostiam obtulit die, non solum æquatis humoribus vniuersa febris abiit; sed etiam delapsis ex oculo squammis maioribus, plane restitutum est lumen. Tum parens, accito repente Gaspari, liberatum vtroque simul morbo iuuenem vix præ lætitia sui compos, ostendit, agitq; gratias immortales, quod sibi pariter ac nato spiritum lucemq; reddiderit. At Gaspar modesto vultu, constantique sermone, Deiparæ Virgini, cuius votiuum fuerat sacrum, ac Deo, tantam virtutem, & adeo insigne miraculum tribuit. Parens deinde ac filius in Lusitaniam reuersi idipsum Patri Francisco Goueano enarrarunt, à quo id deinde aliis communicatum. Idem pro amico pene iam animam agente rogatus fecit; qui sacro vixdum absoluto, cum iamiam animam redditurus omnibus videretur, penitus conualuit.

Curatio miraculosa pueri febrientis ac lippientis.

Et alterius amici Gasparis.

Mulier à dæmone propemodum obsessa, spectrisque horrificis agitata in vltimum venerat vitæ discrimen. Euocatus à marito de humana ope diffiso Gaspar, vt afflictæ & exsangui manus imponeret; per occupationem ipse tum quidem adire non potuit; ceterum, quo homini satisfaceret schedulam inscripto diui Ioannis Euangelio pro se misit, quo Ecclesiastico præscripto sacrum claudi solet, quam pesti amoliendæ mulierè collo suspenderet, sperare enim se, si fideret modo, à spectris illam breui liberan-

Mulier spectris diabolicis liberatur per S. Euangelij verba.

liberandam. Id vbi factum, confestim leuata morbo terroribusq; soluta surrexit. Hæc aliaq; dum nomen illius Armuziæ diuulgarent, omnesque eum vt virum cœlo delapsum suspicerent, multi ab eius latere non discedebant, sed conciones illius ac doctrinam Christianā nullo non loco frequentes audiebant, & inprimis adolescentes nonnulli virtutum studio, & æmulatione commoti, illius societatem ambire, indiuiduos se comites in Euangelio apud barbaros promulgando futuros spondere, sanguinem quoq; si necesse fuerit profusuros. Horum vnus in foro ludens cum sociis, cum ex voto ludus nō succederet, Deum contumeliose, maximo omnium scandalo, cum compellaret; interuenit casu Gaspar, eumq; peccati coarguit. Audit adolescens arguentem, pedibusque illius aduolutus in socium adoptari se petit; mundo namq; valedicere, eiusque vitæ rationem sequi iam decreuerat. Nec leuicula fuit mutatio, vt fuerat prior insolentia, ab illo namq; tempore honestam vitam duxit. Alius audita concione de cruce, coram omnibus, illius ad pedes se abiecit, orans vt ad infideles se abducat, ad mortem crucemque quærendam ác sanguinem pro Christi nomine effundendum; aut saltem in Persidem cruce onustum ablegaret, Persas vt ad fidem suscipiendam crucemq; sanctam adorandam perduceret; vt si credere nollent, sed in ipsum sæuire, Christi exemplo in cruce emori posset. Cuius in pietate perseuerantia feruorem stabilem nec inanem fuisse ostendit; sed tertius sese supra céteros videtur extulisse. Adfuit is forte Gasparis de mundi contemtu concioni: cuius verba tantum potuerunt, vt mox à concione palam se nitidis vestimentis exuerit,

Magnum sibi nomen Armuziæ parat.

Socios colligit.

Blasphemum conuertit.

Feruor adolescentis cuiusdam. rit,quas cum paupere commutauit, ipse quoq; distributis fortunis suis in egenos mendicato victitauit. Noctes porro totas ad publicæ crucis basim transigebat, dies ægrorum obsequiis totos consecrabat. Ea viuendi ratione consecutus est, vt cerebro eum vulgo carere iactarent. Sed, vt Epistola Gaspar sua testatus est, sapuit vere & interne illuminatus perfectionis Christianæ brauium ingressus est; quem deinde Gaspar in suum admisit sodalitium, vt & priores, de quibus locuti sumus. Duodecim hoc pacto socios adlegit, adolescentes zelo & animi feruore insignes, qui tametsi in societatem adscripti non forent,tironum tamen ritu, instituto q; viuebant: aliquot enim diei horas rerum cœlestium meditationi impendebant, conscientiam quotidie sedulo excutiebant, prauos animi motus gnauiter edomabãt, pauperibusq; in nosocomio decumbentibus operam impigre dabant; singulis septimanis Confessionis, Eucharistiæq; Sacramenta frequentabant. His aliisque pietatis exercitiis non sese modo sed & reliquos Armuzianos accendebãt: hinc quotidianæ institutæ supplicationes,modo puerorum fidei Christianæ rudimẽta vicatim cantillantiũ, modo virorũ templa obeuntium litaniasq; Sanctorũ recitãtium. Hinc per decurias opidum vel agros nonnulli in seipsos flagellis sæuientes obire: alii studio per Saracenorum vicos transire,tum vt eos ad æmulationem excitarẽt, tum vt ludibrio ab iisdem proscinderentur. Sed honoris causa eosdem,Christianorum pone sequentium ritu, stipabant, cum hi contumelias exspectarent. His dum Armuzia pietatis flammis indies magis magisq; æstuaret, Indiæ Prorex Garcias de Sa Armu-

Armuzia ad pietatem incenditur.

ziam

ziam in Hibernia ducẽtos præsidiarios amandarat in expeditionem quam præ manibus habebat. Hi cum Armuzianam mutationem ignorarent, pristinam lasciuiam libertatemque militarem sequebantur, suo vt exemplo, omnia, quæ Gaspar pietatis instituerat exercitia euerterint, vt stygiis emissa à satana cauernis cohors hæc videretur, qua fatiscens suum Armuziæ imperium dominatumq; fulciret. Adiunxerunt se isti, vt facile fit cum aliis, qui eadem in insula hibernabant: ecce tibi mox contumeliæ rixæ, prouocationes denuo irrupêre, ludus item & cum eo iurandi, peierandiq; consuetudo; libido quoque ac vsuræ, & cæteræ pestes semi extinctæ & euanidæ, iterum emerserunt ac sustulerunt cornua. Interim supplicantium cœtus in sacris ædibus rarescere, conciones sterilescere, Sacramentorum vsus, aliaque pietatis opera fœtere, ac quodammodo vilipendi. Gaspar ingemiscens diaboli surgere imperium, Dei vero concidere, interim nouo zelo ardere, aciem denuo reparare, pro concione suos ad cœptum virtutis exercitium animare, periculum ostendere, ne satan adductis septem spiritibus nequioribus se denuo inualescat, & sint nouissima peiora prioribus: alios arguere & increpare (vti Galatas Apostolus) quod dæmoni peruertenti auscultarent, eiusq; affectis obsequerentur, Christo vero tergum obuerterent: at cum videret satanæ membrorum nequitiam vna die concidere quod plurimis ipse ædificarat, pœnitentia & oratione diuinum implorauit auxilium, atque id ipsum socii vt sequerentur, maximopere efflagitauit. Arcis præfectum adiit, vt hosce pacis & quietis publicæ perturbatores arce & opido pelleret: sed maio-

Repente in peius ruit.

Peccata inualescunt.

Galat. 5.

maioris mali seditionisque metus, istud quoq; consilium deturbauit. Ad extremum, consilium hoc à necessitate mutuatur. Consulto ad populum de vero in proximum amore verba facit, in quo situs hic, pluribus ostendit, in animæ scilicet proximi salute procuranda hunc potissimum consistere, imo licitum, imo sanctum esse, nonnunquam optare, & à Deo petere, vt afflictiones calamitatesque proximo immittat, siquidem ad maius animæ bonum ita necessarium esse videretur, quod & S. Scripturæ exemplis & S S. Patrum auctoritatibus mirificè cum confirmasset, magno animi ardore & impetu ad Deum ipsum conuersus sæpius illud Propheticum iterabat: *Imple facies eorum ignominia, vt quærant nomen tuum*; lacrymisq; perfusus diuinam iustitiam, sed magis misericordiam, identidem implorabat, vti eas animas, quæ tanta pertinacia se cæterosque perditum ibant, omnemque in medendo suauitatem respuebant, pharmacis curare acrioribus, secare, truncare, ea potissimum in parte, qua maximus cuiq; doloris erat sensus, dignaretur, siue ad honorem ac famam, aut fortunas, imo & ad corpus ipsum attineret; infamando, deprauando, amputando, mutilando, mactando, si ita illorum saluti expediret. Mira erat in ipsa cõcione & eadem prope, quæ in Oratore, animorum commotio; sed nihil eos ita consternabat, quam cum in peroratione summo animi sensu rogantem eum audierunt, vti ex vero in proximum amore, zeloque ter orationem Dominicam & Angelicã salutationem in eum finem recitarent, vt has meritis aut qui opus haberẽt, pœnas & alias temporales afflictiones ad animi salutem impetrarent. Nec vana fuerunt

Psal. 82.

runt concionatoris vota vel concionis preces; breui in oculis totius insulæ Deus hæc piorum vota suo calculo comprobauit. Munitum & oportunum castellum erat in Persidis cõtinente Monaianum Armuzianæ ditionis eam autem Saraceni præsidiarii hosti subitò nemine vel suspicante tradiderant. Eo vehementius tum regis tum popularium animos inopinata res perculit. Missus extemplo recuperandi causa Mahometanus præfectus cum quinq; millibus Persicæ iuuentutis, additi ex fœdere Lusitani circiter quadringenti, quo in numero erant ducenti illi Armuzianæ pietatis euersores, iam recenter ex India qui aduenerant. Præerat Lusitanis Pantaleon de Sa, frater affinisve Proregis Garciæ Sa: qui Gasparem valedicturus, benedictionemque accepturus adiit. Huic vereri admodum se dixit, ne graues neglecti numinis & salutis animarum pœnas Lusitani darent; q; priusquam in expeditionem proficiscerentur, commoniti, confiteri delicta noluissent. Quod tamẽ summopere necessarium videbatur, cum certò confligendum foret & mortis pericula adeunda, ad quam se Christianum quemlibet, mortalis delicti reum, sacramento Pœnitentiæ Deo sese reconciliando parare oportet. At vix viginti id ipsum Gaspar persuaserat, apud ceteros inania fuêre monita. Præsensioni etiam respondit euentus. In statiua vt peruentum est, arcem obsidione cinxerunt & sæpius tormẽtis quassarũt, sed ita infeliciter, vt ab arce citius se subducerent, quàm venissent. Nonnulli tamen occubuêre, 100. vulnerati, ceteri pudore & ignominia pleni redierũt, sed diuina hic punitio non stetit. Mors enim diuinæ iustitiæ ministra in castra subiit, ac lethargico inducta morbo,

Monaianum arx regis Armuziæ capta.

Lusitani eodem proficiscuntur.

Lethargus morbus.

vix vt vllum ſenſum mali haberent. Repente multi peſtifera lue correpti, ex iis ad 50. perierunt. Iacebant ab omni deſtituti ſolatio & auxilio viui, mortui ſepultura; quiſque ſuiipſius gerebat curam, ac ſocii velut pecora ſparſim per c[?]ra mortui iacebant. Conſternata fœdo ſpectaculo reliqua cohors & ex conſcientia delictorum, ſempiterni exitii metu perterrita, conuulſis repente ſignis ægre Armuziam repetunt, Gaſparem vnum omnes requirunt, vti ſe à peccatis abſoluat, ac reſipiſcentes exaudiat, obteſtantur. Stabat in portu Gaſpar illis appellentibus, eoſque cum ſociis aliiſque piis pręſtolatus ad noſocomium defert. Hi ægris interim medicamenta tota vrbe conquirere, & ſtipem in eorum ſolamen expoſcere: Gaſpar vero animis mederi inprimis, acciti extemplo ſacerdotes quotquot vrbe tota erant, ſed vulgo negarunt milites, vlli omnino ſeſe niſi Gaſpari arcana ſui pectoris velle committere. Quocirca ita diſtringebatur, vti vno eodemque tempore huic peccata expromenti aures, illi animam agenti voces & hortamenta præberet. Itaque explicare cœpit, parem eſſe in hac extrema neceſſitate ſacerdotum omnium poteſtatem, debere quemque operam dare, ne cum ſua graui culpa confeſſionis inſtituendæ occaſionem in eo diſcrimine amitteret. Sed incaſſum. Apparuit igitur, hoc fuiſſe vel diuini furoris telum, vel nouam dæmonis fraudem, vel vtrumque vt indigni fortaſſe venia, nonnulli abſque ſpe veniæ morerentur. Quod ſane Gaſparem non mediocriter torſit. In iis quidam cum ferrum repente in ſeſe ſtrinxiſſet, phreneſi agitatus, clamore & concurſu retentus, extorto gladio, in Gaſparis fauces inuaſit manibus: ac minimũ

Armuziam redeunt.

Soli Gaſpari confiteri volunt.

abſuit,

abſuit, quin ſpiritu intercluſo præfocaret inſontem: per vim auulſus, paulò poſt exſpirauit. Inſtinctu mali dæmonis in eam rabiem actus creditur, tantam à Dei famulo, ſibi quotidie prædam eripi nõ ferentis. Sed non ideo Gaſparis refrixit feruor, ſed eo quo cœperat, proximi ſalutẽ ſtudio promouit, vt menſe integro diu noctuve nõ quieſceret, his aures, linguam illis, manus deniq; & operã omnibus accõmodans.

Dum hoc pacto ſaluti animarum grauiter incumbit, tanto interim cœlitus ſolatio fruebatur, omnis vt ei labor ſuauis videretur. Placuit Deo Pœnitentiæ Sacramẽtalis efficaciam miraculis interdum confirmare. Sæpe namque inter confitendum ægri cum animi ſanitate, morbis depulſis, etiam corporum obtinebant. Hinc magno in honore apud Armuzianos eſſe cœpit Pœnitentiæ Sacramentum; pietas quoq; maior efflorеſcere, angebat ſolũ Monaiani iactura & infelix belli ſucceſſus. Gaſpar ergo cum ſuperiorem cladẽ vni militum peruicaciæ ſciret aſcribendam, nec armis at precibus rem gerendam: Deum propitiũ orando reddere ſtuduit, & ſupplicationes ad B. Virginis ædiculam duo fere millia paſſuũ ab orbe indixit. Inſigni pietate cõcepta excalceati nõ ſemel ĩere clerus ſimul & populus, & flagellis in ſeipſos ſæuientes, cœleſtem opem ac pacem conſono clamore poſcentes. Haud in irritum fuſã obſecratio. Monaianum, vi & armis ad eam diem fruſtra oppugnatum, conditionibus demum ac ſubita voluntatum inclinatione receptum eſt. Ea res præter ſpem nunciata ingentem Gaſpari apud omnes gratiã & gloriam peperit. Eximiæ enim viri ſanctimoniæ felix hic tribuebatur euentus, ſimul & illius exhortationi ac precibus.

Confeſſio Sacramentalis miraculo confirmatur.

Monaianum recuperatum.

CAPVT V.

Quid ad hæreticos, schiſmaticoſque ad Eccleſiæ gremium reducendos, quid ad Saracenos, Iudæosq; conuertendos Armuziæ Gaſpar egerit.

Schiſmatici & hæretici multi ad Eccleſiam reducti.

TOtum ſe Luſitanis tametſi Gaſpar impenderet, Catholicoſq; inprimis omni ſtudio iuuaret: ſchiſmaticis tamen & hæreticis ad Eccleſiæ ouile reducendis minimè defuit: quorum non modica pars Armuziam commercii gratia confluxerat. Gaſparis proinde ſanctimonia ac doctrina commoti, vt ab illo veram fidem edocerentur, vltro ad eum ventitabant, Abyſsini, Armeni, Georgiani, Moſcouitæ, Poloni, Hungari, Germani, & alii, qui compendii temporalis gratia aut pertinacia ad Turcas, Mahometanoſque commigrarant. Ex iis vnus, Ioannes nomine, in ipſo conatu Gaſparis adeundi, præclarum martyrii decus tulit. Germanus erat genere, Coloniæ Agrippinæ patre natus admodum locuplete: ſed variis agitatus caſibus tandem ad Turcas peruenerat, annumque iam decimum in opido Turcarum Catifa (in ſinus Perſici ora, ex oppoſito Barahenis inſulæ, gemmarum piſcatu nobilis, centum & decem intra ſinum ab Armuzia diſtat leucis) pro Mahometano ſeſe gerebat, tormentarii pulueris artifex, atq; ob idipſum genti percarus. Is audito Gaſparis nomine, rebuſque iis, quæ Armuziæ gerebantur, ab impio miniſterio ad famulatum Chriſti, ſi Gaſpar adiuuaret, quamprimum redire cōſtituit. Id quo fine arbitris fieret, in atramenti librarii difficultate, ſulphureum diluit puluerem: ex eo diluto litteras ad Gaſparem vna eademq; ſententia, Latino, Belgico & Franco ſermone cōſcribit, (neſcie-

Conuerſio adoleſcentis Germani, qui ad Turcas confugerat.

Scribit Gaſpari, vt ſe Eccleſiæ conciliet.

ſciebat quippe ſingulas Gaſparem percallere:) vehementer optare ſe modò apud Luſitanos tutò liceat commorari, & in idipſum à Gaſpare fidem accipiat, Armuziam venire, & Chriſto Domino per Sacramentum pœnitentiæ ſatisfacere, Eccleſiæ reſtitutus delicta deponere, ſoliq; Deo repudiato Mahometaniſmo obſequi. Eo nuncio lætus Gaſpar extemplo reſcribit, fidenter accedat, ſibi ac Luſitanis aduentum ipſius gratiſsimum fore. Hæc epiſtola, incertum eius fraude qui perferendam acceperat, an alio quo caſu ab Catifario præfecto intercepta, Ioannis conſilium prodidit. Confeſtim à Turcis accitus de religione interrogatur, Mahometanuſne ſit, an Chriſtianus? Ille verò intrepidè ſeſe Chriſtianum fateri, atque ad omnia tormenta necemq; pro Chriſti nomine promtum oſtendere: vnum dolere ſe, quòd tot annorum ſpatio Turcarum ſpecie tenus ſit religionem ementitus. Inde furentibus Mahometanis, fœdè laniatus atque diſſectus ad vltimum vſque ſpiritum in veræ fidei confeſsione permanſit. Hoc ergò modò pro fide Chriſtiana mortem oppetiit. Caput mortuo abſciſſum & prælongo infixũ haſtili, Turcæ in arcis mœnibus poſuere. Sed vindex Dei manus haud multò pòſt de indigna hac martyris nece, ſimul & ſanctarum reliquiarum ludibrio vltionem ſumſit. Appulit enim Luſitana claſsis Armuziam, cui Antonius Noronia præerat, millia circiter duo hominum ea claſſe vehebantur. Venerat hæc vt Turcarum excurſiones reprimeret, & ſi quæ poſſet, in ſinu Perſico Arabiæ imminentia, Mahometanorum præſidia euerteret. De Catifano inuadendo prima fuit cogitatio, de Ioannis tamen nece etiamdum nihil penitus intellexerat.

Reſponſio ad literas à Turcis intercepta.

Neci datur.

Claſſis Luſitana.

rat. Verùm priusquam vela daret, totius turbæ animorum sordes Gaspar eluit solus, quòd sacerdotes cæteri per eos dies in morbũ incidissent. In quo non mediocrem molestiam subiit, sed solabatur eum, quam hinc hauriebat voluptas. Rebus igitur animæ in tuto collocatis, & placato Deo ardentior ad iter se Lusitanus parat, manus cum hoste cõferturus. Barahenũ cum applicuisset, Arabicum littus haud procul à Catifa subiit, ac repentina descensione oppidum cepit atque diripuit. Inter direptionem Gasparis epistola Ioanni directa apud Præfectum reperta. Eo argumento, simul captiuorũ relatu de Ioannis nece cognitum est, refixum extemplo caput, Armuziamq; accuratè transmissum Gaspar cum Psalmodia & laudatione perhonorificè condidit. Atque hæc cum adolescente Germano, simul cum his, qui vel Christi censebantur nomine, vel quoquomodo ad ius & ditionem Ecclesiæ pertinebant, Dei seruus egit; iam disquirendum restat, quo eos studio ad fidem conuertere conatus sit, qui nunquam eandem receperat, ac præsertim Iudæos & Mahometanos. Quamuis autem illos in cœcitate mordicus psistere sciret, vix vt vllus post multum sudoris Ecclesia accedat, omni tamen animi contentione iisdem succurrendum censuit. Officiis illos præuiis sibi deuinxit, qui reciproca etiã beneuolentia, in Synagogas illum suas, diebus sabbathinis deducebant; quibus ille ad oculum è sacris voluminibus ostendere, Messiam venisse, huncque Iesum esse Mariæ filium, mundi redemptorem, in hoc omnia Mesiæ signa characteresq;, quos vates prædixerant, reperiri. Eò tandem rem deduxit, vt disceptationi priuatæ committendam censuerint. Haud

Catifam diripit.

Ioan. Mart. corpus Armuziam refert.

Quid circa Iudæorum conuersionem Gaspar egerit Armuzia.

abnuit

abnuit Gaſpar; deſcendit in certamen cum duobus Rabbinis, qui opinione doctrinæ cæteris pręſtabant, nomen huic Salomon, Caſtella oriundo, illi Ioſeph; vterque in Talmudicis commentis eruditus. Duo potiſsimum controuertebant; num, aduentus Meſsiæ tempus iuxta Danielis, Iacobi, aliorumq́ vatum prædictiones iam aduenisset. Euidentiſsimis hunc argumentis iam præteriiſſe, cum Gaſpar demonſtraſſet, ad alterum diſceptationis caput deuentum eſt; num quis præter Christum fuerit, cui Meſsiæ nomen meritò tribui queat. Vllum penitus fuiſſe negabat Gaſpar; idq́ tanta argumentorum oſtendebat efficacia, vt Rabbini, nullum cum pateret effugium, debilem clypeum, ſuam ſanctarum litterarum inſcitiã, in defenſionem oppoſuerint, quaſi ſcripturarũ peritiæ doctrinæque, non veritati adſcribenda foret veritas. Sed hoc reſponſo effugium quærebant, ſuamq́ tegere conabantur nequitiam. Aderant huic controuerſiæ Chriſtiani ſimul & Saraceni, qui peruicaciã gentis peruerſitatemque agnouerunt. Cauſam deinde rogati cur in agnitã nõ tranſirent veritatẽ, aliqua ſcripturæ loca protulêre; quæ cum Gaſpar ad finem vſq́ capitis accuratè & nullo negotio expoſuiſſet, defatigati tandẽ & erubeſcentes, legem quidẽ Chriſti veram ac dignã cenſuerunt; ſed idcirco à Iudæis non admitti, q̃ opes iniquè per vſurã partas reſtitui ab illam amplectentibus neceſſe ſit: in ſua manere peruicacia, cœcitateq́ dum malunt opes iniquas poſsidendo, quã ęternarũ deſiderio, tenebris erroris emergendo ad veritatis lucẽ cõmigrare. Atq́ hæc (ait Rab. Ioſeph.) vnica eſt cauſa, cur plurimi noſtrûm doctrinæ etiam nequitia probè perſpecta, in ſecta impia

Duos Rabbinos Iudaorum conuincit.

perseuerent. Videamus qualem se erga Saracenos gesserit, quibuscum feria sexta maximè versabatur. Hunc enim diem in honore habēt, atque eodem cœtus suos celebrant. Cæterum non paruus hic Arabum, Turcarum, Æthiopum, Persarum, aliorumq; Mahometanorum erat numerus. Apud eos magnam illi pepererat existimationem, perspectaret voluntaria viri paupertas, tantus corporis neglectus in tanta doctrina tantisque animi bonis, tanta externi cultus habitusque tenuitas. Cum enim per Lusitanos magnas illum doctrina & auctoritate opes comparare posse cernerent; vili tamē habitu contentus summaq; in inopia in valetudinario commorabatur. Gratiam verò conciliarat comitas & mansuetudo; & super hæc fœneratoribus Europæis per illum incussa religio, & exhaustis incolis pecuniæ restitutæ. Saracenis siquidem ex parte hæc restitutio cedebat. Augebat venerationem constans apud omnes de eximia illius sanctitate editisq; miraculis rumor; vt eum Mahometani Cacizium, id est, magnum Christianorum sacerdotem, atque adeo ipsum Ioannem Baptistam Zachariæ filium vulgò appellarēt. Fortè quòd Ioannis zelum æmularetur, vel quòd huius animā (Pythagorica metempsychosi) in Gasparem transiisse falso crederent. Ergo ab iis Gaspari inter cætera nouum etiam & inusitatum hactenus honoris genus illud habitum est, media nocte, videlicet ob calores in Maximum Mahometis templum (Coranum aut Alcoranum, id est, rem sacram Arabes de ipso Mahometicæ legis nomine, quòd nullum eodem illis in locis haberent sanctius, appellant) quò Christianis hominibus, aliisque, præterquam Mahometanis pe-

Saraceni Gasparem magnifaciunt.

Ioannem Baptistam nuncupant.

In Coranum suum perducunt.

nis pedem intulisse capitale est; sed etiam in ipsius templi fastigium perducere, maximis Caciziis honoris causa comitantibus, magnaq; luminum accensa vi, manum ipsius ac vestem subinde præ reuerentia osculantes. neque abnuit ire Gaspar, quo gentis ritus ac superstitiones, refutaturus dein, certius propiusq; cognosceret. Hos verò inprimis sibi beneuolos reddere studuit, vt eo facilius deinde animos ad Christi fidem pelliceret, Vt verò quod intendebat, consequeretur cùm præcipuis legis impiæ patronis, doctoribusque sibi disputandum censuit, vt ita publicè illorum impietatem, superstitionemq; detegeret. Hoc inprimis satagere Gaspar, illi omni contentione subterfugere; modo legis præscripto vetitū asserere aliquod illius caput in dubium reuocare; modo suam obiicere imperitiam, & armis se quàm verbis potiores ostendere. Verum ne forsan silentio suam culpasse legem aut nostram comprobasse viderentur, ac causæ æquitati parum confisi manus vltro dedisse, tandem ad disceptationem ventum. Athletam denique producunt, ætate prouectum, natione Persam, cùm sobrietatis apud eos, tum verò doctrinæ forma præstantem: quippe non Mahometica dumtaxat volumina, sed Aristotelem etiam, eiusq; commentatores Arabes lectitarat, eratq; in physicis & astrologia apprime versatus, ac medicam insuper callebat artem. Is in medium adductus, Gaspari ante omnia sponsionem obtulit, in montem natiui salis, squalidum ac desertum & omnis alimenti penitus inopem secederent ambo, nihil commeatus inferrent, dispositis custodibus, ne quid inferretur, cauerent, vter diutius in eo monte inediam tolerasset, eius

Cum Saracenis disputat Gaspar.

Persa euocatur, vt cum Gaspare disputet.

Illius astus. fides in Deum ac religio rectior ac sanctior haberetur. Ad ea Gaspar, tentato, quod aiunt, Deo, nihil opus esse respondit, neu legis Dei veritatem corporis robore famis sitisq; tolerantiâ metiendam; at ratione agendum, quam ad boni maliq; discrimen Deus dedit mortalibus, vti & rationem, qua sensa mentis exprimerēt: verbis agerent priùs: concertatione verborum si decerni lis, atque ad liquidum controuersia perduci nō posset, tum demum sponsione certarent, atque ad aspera quamuis experimenta descenderent. Hisce auditis Philosophus rubo-*Persa disputationem differt.* re statim, mox pallore suffundi, nolle se videri victum, nolle rursus infirmas ac friuolas theses in discrimen adducere; ad extremum vincente pudorem metu in aliud tempus delata res est. Porro hæc nequaquam in occulto gerebantur. Inter cæteros aderant ipsius Philosophi vxor & filia, non vulgari indole & ingenio fœminæ, & insuper generis nobilitate insignes: mater enim è familia Zaidæ, qui Hoceni fuit nepos, atque à Mahomete per Haly descendebat, originem ducebat. Hæ perspecta pugilis Christiani constantia, Mahometani formidine; profecto nihil sincerum ac solidum patriis subesse cærimoniis argutè coniectant. Dein afflatæ diuinitus, quando paterfamilias in amentia perstaret, priuatim ipsæmet saluti suæ prospiciunt, baptismum ab Gaspare aliorū interuentu petunt. Ille gaudio exultans fœminas illustres apud fidelem amicum ac probum Lusitanum, *Vxor & filia conuertuntur.* Catechismi causa, quem vxor & filiæ illas edocerent, in hospitio locat, quo edoctas dein Baptismo admoneret; ianuis quæ in publicum ferebant diligenter occlusis, ne violenter à Saracenis inde abriperentur. Ea res ob illarum

clari-

claritatem atrox admodum incolis visa, magnosque in vrbe animorum motus exciuit, sed partim Gasparis reuerentia, partim Lusitanorum, tormentisque ad vrbem prominentibus deterriti, diuersorio vim adferre non audebant. Tum Persa desiderio ac dolore agitatus ad Gasparem adit, iniuriã dolenter expostulat, cõiugem marito, parenti filiam reddi protinus æquum esse, Deos hominesq́ testatur. Gaspar cõtra nihil factum iniuria dicere, fœminas vltro (& sapienter quidem) sibi consuluisse; vt Christo initiarentur, suppliciter exorasse; recta illarum studia deseri, sanctissima postulata repudiari nefas fuisse. Sub hæc multis vltrò citroq́ habitis verbis, nouã conditionem Philosopho Gaspar obtulit; relictã paulò ante disputationẽ ex condicto repeterent, testes adessent, si victor euaderet Persa, fœminas domũ abduceret cũ bona pace: sin victus, vnà cum illis ipse quoq́ Christum indueret. Eam conditionẽ admodum grauatè Persa visus accipere, sed amor & necessitudo erga vxorem & filiam vrgebat. Dicitur disputationi dies, ea ibi adfuit, in idem conclaue cõueniunt. Sponsionis iudices ac spectatores certaminis vtrimque adhibiti magnæ auctoritatis viri, Proepiscopus ipse, varii Lusitani, inter quos Garcias Pẽna regius interpres, (futurus & dialogi) hisce in rebus probè versatus, Latinæq́ simul & Persicæ linguæ peritiss. Additus & scriba publicus, qui certaminis seriẽ examussim describeret. Initur tandẽ certamẽ. Porro spectaculi eo maior fructus fuit, q̃ certantiũ vterq́ dialecticis artibus erat imbutus: vt nõ eminus inter imperitos tanquã velites in irritũ aut in diuersum tela ferirẽtur; sed vt inter statarios & exercitatos, collato pede gladii

Repetit Persa.

Disputatio instituitur.

De quibus sit rebus disceptatum.

mucronesq́ concurrerent. De natura Dei quæsitum inprimis, quem solitarium & generationis expertem è Cerdonis & aliorum hęresi Mahometes affirmat. Hanc naturã omnis fæcunditatis parentem vel maximè fæcundam validis argumentis Gaspar ostendit: effecitque ratiocinando, vt Persa Deum trinum vnicumq́ ex fidei orthodoxæ decreto concederet. Deinceps de Christo Dei filio secutum problema, quem ex Dei quodam halitu & è virgine matre conceptum, genitumq́ Mahometani eximium illi quidem Prophetam agnoscunt: verum tamen Deum eundem, & pro generis humani salute mortuum, prorsus negant. At Gaspar, verum Deum pariter hominemq́, duplici in vnã hypostasim coëunte natura nõ solum è spiritu sancto conceptum, & natum è virgine, sed etiã Dei Patris iram in perfidum ac rebelle genus humanum suo capite excepisse, diraq́ supplicia & ipsam in cruce mortem sponte subiisse, rationibus, exemplis, oraculis docuit. Iam quæ Mahometani de cœlesti beatitudine fabulantur, quàm in fœda sensuum voluptate ac titillatione constituunt; quæq́ de immensis nescio quibus Angelorum corporibus ac ministeriis turpiter adstruunt, perleui momento, argumentorum & pondere & perspicuitate, cuncta Gaspar euertit, suæ vt legis ineptiam, stuporemq́ agnoscerent Saraceni. Denique variè argumentando, premendoque paulatim aduersarium adduxit, sanctissimam Trinitatem vt cõfiteretur, ac Mahometanam superstitionem nec sine stultitia suscipi, nec sine pertinacia defendi posse: Christianam verò religionem dignam esse, quàm prudentissimus quisque maximè foueret, fateretur. Vbi ad hunc locum

I. De Trinitate.

II. De Incarnatione filij Dei.

III. De cœlo Mahometanorum.

ventum eſt, nouo perfuſus gaudio Gaſpar ad Perſam: Bene habet, inquit, non longè abes à regno Dei. Dein cum inſtare pergeret, & eandem clarius confeſsionem exprimeret: Perſa confuſus ac perturbatus, dæmone reprenſante reſiliens, tam longè ſeſe ab Alcorano deuiaſſe ingemuit, ac ſibi talia excidiſſe reſponſa: at quod ſcriba ſcriptis omnia conſignaſſet, negare non poterat. Poſtremò, ne manus omninò dediſſe videretur ad veterem cantilenam confugit, domeſticis negotiis impeditum ne fidem falleret, ſubito ſe in arenam deſcendiſſe: certis inſuper libris ad commentandum ſibi opus eſſe, quo pacatior inſtructiorq; in pugnam rediret, vt proferretur dies, & ampliaretur iudicium, poſtulauit. Comperendinatum eſt quidem & dies dictus, ſed effugii hunc prætextum dum videret cordatus quiſque, Gaſpari victoriam adſcribebat. Inde furtim ex vrbe ad vicinum dynaſtam cõſultandi gratia Philoſophus conceſsit, ab eo acriter obiurgatus, quod cum veteratore ac venefico, (ita enim Gaſparem appellabat) egiſſet: camelis in Perſidis interiora tranſmiſſus eſt, neque poſtea rediit. Inſignis ad Caciziorum dedecus & ignominiam, illa fuga & exilium fuit: vulgò fractum & abiectũ Perſam latebras quæſiiſſe narrabant. Vxor interim eius ac filia, Chriſtianis inſtitutionibus eruditæ, magno apparatu pompaque ad templum Chriſti adeunt, ſtipantibus nobilioribus Luſitanis: ibi ſummo omnium gentium, ordinumq; concurſu, mira bonorum lætitia ſacro fonte abluuntur. Arcis præfectus ſimul & Luſitanæ matronæ teſtes ſuſceptoreſq; aſtiterunt, Matronæ Maria, Virgini Catharina inditum nomen; ambæ pretioſis argentoque intertexto veſti-

Veritatem fidei Chriſtianæ Perſa fatetur.

Sed pœnitet.

Dilatione impetrata ſe ſubducit.

Vxor & filiæ baptizantur.

vestibus, variis hinc inde stipantibus sclopetariis, hastariisque, ne quis per viam tumultus excitaretur, explodentibusque sclopeta, præsidiarii arcis simili tormentorum maiorum explosione respondebant. Mater vnà cum filia honestissimis deinde Lusitanis in matrimonium collocatæ, septingentis in dotem aureis Lusitanorum liberalitate assignatis. At quasnam hæc mulierum conuersio turbas Armuziæ excitarit, iam dispiciamus.

CAPVT VI.

Multi ad fidem Christi Saraceni reducuntur, Rex Armuziæ cum in eandem propenderet, ab aliis impeditur Alcoranum Mahometanum occluditur.

INhonesta Persæ Philosophi cessio, & præclara hęc fœminarum conuersio Mahometanos in diuersa distraxit. Alios è tam secundo Christianæ rei progressu, metus incessit, ne magia & præcantationibus ad peregrina & noua cogerentur sacra; ac proinde Antistitum admonitu, non vocem modò Gasparis ac vultus horrebant; sed etiam ad consuetum Catechismi signum oppositis illico manibus obturabant aures; quod ita persuasum haberent, in ipso quoque illius tintinnabulo ac sono vim inesse maleficam: alii ęcontra exemplo harum incitati, repudiatâ Mahometis superstitione, rectâ fidem amplectebantur, vt pene quotidie nonnulli baptismo lustrarentur, quos prodigia ad id cęlestia inuitabant. Hunc B. Mariæ Virginis ad fidem filii suscipiendam animantis conspectus; illum etiam Christi ad illam sequendam excitantis: hos angelorum gratæ collocutiones aut voces cœlo missæ, ad vnum Ecclesiæ Catholicæ ouile intrandum compellebant. Erant qui

Gaspar à plerisq; Saracenis vt magus habitus.

qui illos splendenti amictos veste vidisse se asserent, à quibus ad Christianam religionem inuitabantur. At qualiacunq; demum hæc fuerint (nec enim multū interest) plurimum profectò ad Catholicæ fidei amplexum persuadēdum momenti habuere, cum apud plebem, tū verò apud primā nobilitatem. Tum inprimis apud Mecani Xarifæ neptem, qui regem se Arabiæ nuncupabat, & è Mahometis stirpe iactabat. Erat hæc Persæ cuiusdam illustris, Xatamæ supremi Persarum Imperatoris (quem alio nomine Sophum dicimus) legati ad regē Armuzianum vxor. Huius conuersio magno Lusitanos compleuit gaudio, sed plurima permisto molestia, vt dicturi sumus. Inprimis verò hosce simul & Gasparem de regis Armuziani cōuersione spes recreauit: parum enim distabat, quin Christo nomen daret, vti patebit. Rerum hic à Gaspare gestarum fama permotus, ad se illum accersiit, de magni momenti rebus cum illo agere se velle finxit. Intranti magnus honos habitus, & regi à Gaspare vicissim: Ad colloquium cæteris arbitris consulto remotis, vnus interpres adhibitus Garcias Penna Lusitanus. Suam in Christi fidē mox propensionem aperire, quis regni primates sedandi (metuebat enim ne hanc ob causam regnum turbarent) modus foret instanter petere. Laudare regium Gaspar consilium, inq; bono illum verbis pauculis, sed efficacibus, proposito confirmare; vanum hunc metum discutere; asserere adhæc, Deo potius confidendum, quàm hominum timendam nequitiam; nullam regni pacandi rationem potiorem esse, quàm optimates, quorum motus metuebat, inprimis, rationibus conuictos, suam in sententiam pertrahere.

Multi Saraceni conuertuntur.

Inprimis nobilis quadam mulier.

Armuziæ rex fieri Christianus vult.

Videri

Videri proinde sibi, nihil haberi posse melius, quàm publico certamine coram rege atq; optimatibus, cum Caciziis Persicis & Arabicis se disceptando contendere. Sperabat enim secta Mahometica semel acriter confutata conuulsaque, illiusque ineptiis, impietateque ad oculum demonstrata, fore vt sarci iudicii nullus eandem amplecteretur. Diutius hæc latere cum nō possent (& expediebat sane hæc diuulgari) & proceres in fidem Christ. regem propendere inaudissent, lætitia omnes non optimates modo, sed & plebeii gestire, plurimi quoq; illorum exemplum sequi; & reuera iam nomina, quæ sibi baptizandis imponi vellent, simul & susceptores delegerant. Fuere tamen nonnulli, qui sanctæ huic cogitationi obstarēt, ac præsertim regiæ, à qua cæteros dependere non ignorarent. Blanditiis primum ac precibus tentant regem: aspernantur mox defectionem popularium & arma & iras Sophi magni Persarum regis denunciant: tunc Mahometo irrogata iniuria vltionem sumturum comminati. Peruicit inanes hasce comminationes regia constantia; Cacizios ergo excitant, regem adeant, Mahometo infamiam inustam proponant, Christianis sacris si vti decreuerit, accedat; si regem refractarium viderent, popularium, subditorumq; turbas seditionemque denuncient. Regem igitur peterent, magnaq; voce legis Mahometanæ dedecus, opprobriumq; occlamarent, ac meritò subditos in regem arma, religione vrgente, posse conuertere, asserent. Non successit ex voto negotium, Cacizios enim rex ausos in regiæ vestibulo de auita religione tenenda vociferari confestim abigi lapidibus iussit, & perpetuo multauit exilio. At illi

patriam

patriam religioni præferentes, dissimili Martyrum Christianorum, non exilium modò, sed & ignem & ensem pro Christi fide subeuntium exemplo, vt in patrio manerēt solo, à clamando destiterunt. Hactenus constantiam & fortitudinem rex præstitit miram. Sed quem neq; minæ, neque sacrificulorum commouerat reuerentia, iussæ matris lacrymæ & aniles fletus euicerunt. Illa intestina bella, patriæ excidium, occasum regni, subditorum motus, aliaq; quæ muliebri metuebat formidine, tam scitè depingere, eius vt animum flexerit, ac voluntatem mutare coegerit. Regis exemplum cæteri extemplo secuti. Perculit repentina hæc regis mutatio Gasparem; sed spe nondum exciderat, regemq; qua poterat arte ad pristinam reducere mentem satagebat. Ad Indiæ ergo Prętorem Georgium Capralem literas misit, vt Regi ad Christi religionem accedendi animum adderet: fecit Prætor rogata, auxilium Lusitanorū ad regni pacem dilatationemq; spopondit. Ipse interim Gaspar rem Deo sedulo committere, ieiunare, suum in corpus flagellis, ciliciis, aliisq; pœnitentiis sęuire frequentius, orationi instare feruentius, sociis quoq; suis idipsum aliisq; piis hominibus cōmendare: illius ergo publicè supplicationes instituere, in quibus multi sacco tecti seipsos vicatim flagellabant, & Saracenorum vicos obeundo Litanias Sanctorum, aliasque orationes ad diuinam opem aduersus illorum molimina implorandam publicè decantabant. Nec irrita fuêre hæc omnia. Aliquot enim interiectis diebus, vocato rursum ad se Gaspari rex plus etiā quàm antea honoris tribuit, ingredienti ad scalas occurrit, ac dextram insuper apprehensam nixus genibus exosculari conten-

A matre delinitus, ac cedit.

Regem Gaspar ad mentem reuocare conatur.

contendit. Dein tarditatis mutationisq́ purgandæ causa docuit, quanto in periculo res versaretur. Si pergant de baptismo agere, domesticos tumultus ac seditiones, externa imminere bella, cedendum tempori; neque experiendam tanto discrimine vim. Vbi primum atrox procella conciderit, & optata affulserit lux, se neque suis permissis, neque patris optimi caritati ac studio defuturum. Interea quæ alioquin ad rei Christianæ dignitatẽ & incrementum attineant, quantum præsentes difficultates ac tempora patiantur, ab se cuncta nihilominus exspectet. Ad ea dicta Gaspar, magna nimirum spe delusus ingemuit; hortatusq́ regem est, vti Deo, cui nihil arduum, fideret, eique totam rem ex animo commendaret. Regi mœstus valedixit, omni se spe excidisse cum cernit, nouum tamen è cœlo auxilium petit: voluntarias pœnas, ieiunia, obsecrationes per se perq́ suos instaurat: Lusitanos eodem inuitat, vt quod dæmonum fraude destructum erat, repararetur. Supplicationes igitur denuo de more per vrbem habendas curat. Concinentes cantica, orationes & litanias Sanctorum, longo agmine incedebant pueri, validior ætas, quinquageni vel sexageni pariter in sua terga flagris acerrimè sæuiebant. Omnibus locis implorabatur diuina clementia, Gaspare suasore & præeunte.

Christianorum supplicationes instituit.

Aduersus ea Cacizii vicissim inflati pœnitentia regis & popularium, concitata plebe, supplicationes item obire, inediam sibi vsitatam extendere, nouaculis cutem incidere, quàm maximas manus in Coranum & reliqua fana cogere, Mahometis execrabile nomen ex omni parte dissonis clamoribus inuocare. Tum

Cacizii carnem incidunt.

Gaspar

Gaspar facinus indignum ratus in vrbe, quæ Lusitano præsidio teneretur, Christo Mahometem impium cõparari; cum veritate mendacium, fabula & ludibrium cum recta fide, sanctisq; mysteriis propemodum ex ęquo contendere: rem quæ primo aspectu temeraria videbatur, aggressus est, at effectus illum Deo afflatum fecisse ostendit. Ingentem namq; comparat crucem, cui ferendæ vix duo sufficiebãt; hanc in colle, in quo Mahometis fanum erat, collocauit. Dein quinas alias secum ferens cruces, nulla vi, nullo armorum strepitu, præuia dumtaxat psallentium puerorum imbelli turba, ad Coranum tendit intrepidus; res mira! Crucis virtute ac fulgore perstricti atq; attoniti Mahometani repente diffugiunt. Gaspar in Corano palam victricia mortis ac satanæ defigit signa. Regem dein adiit, vt fabris adhibitis, templi ianuæ cæmento & calce obstruerentur, ne quis Saracenis aditus pateret in posterum, rogaturus. Non abnuit rex, super hęc grani edicto impias Mahometis inuocationes insula tota prohibuit. Nullum porro hoc grauius Saracenis inferri dedecus posse videbatur. erat enim templum hoc, vt dictum est in præcipuis Persidis & Arabiæ fanis, religione & cultu inprimis spectabile, vt magnus ad ipsum vndiquaq; concursus fieret. Fremere proinde violatum crucibus (vt credebant) locum, indignari verò ob occlusum introitum. Hinc bellum aduersus regem moliri Satrapæ, dum sibi persuadent ob insignem hanc contumeliam Saracenos in perniciem vectigalium Armuzia discessuros. Hæc illi per suos Regi denunciare, quo percellerent. Cum parum terrendo proficerẽt, Satrapas ac Principes Persarum in vicinia positos,

Audax Gasparis facinus.

Mahometanorum fano crucem infert, & ipsum obstrui iussit.

Ipsum aperire Saraceni conantur.

ſitos, ſimul & Sophum exſtimulăt, vt per præſidiorum Armuziæ confinium præfectos inſignem hanc à Francis (hoc enim nomine hic, vt & in pleriſq; Orientis regionibus nō Luſitanos modò, ſed & omnes Europęos Eccleſiæ Latinæ nuncupant; nullam ſiquidem Europæ gentem præter Francos, ob præclara olim tum Ieroſolymæ, tū in aliis Orientis plagis edita facinora nouêre) Mahometo irrogatam vindicent iniuriam. Redierat iam in Perſidem legatus, cuius vxor illo inuito baptiſmo Armuziæ luſtrata erat, vt diximus: Regi Sopho vxorem ſibi raptā denunciat, addit & baptiſmum, aliaq; ex arte comminiſcitur, quibus regis animam exacuat. Indignatus Sophus Luſitanū Henricum Macedum à Prorege Indiæ ad fœdus Luſitanos inter ac Perſas ineundum in Perſidem deſtinatū comprehendit: Regibus ad hæc Laræ & Carmaniæ ſibi vectigalibus (quorum regna Armuziam tangunt) per litteras nunciat, Luſitanis Armuzianis bellum vt inferant, arcem ſolo æquent, vxorem in legato ſuā reddiderint. Henrici Macedi literis hac de re factus certior arcis Armuzianæ præfectus, coacto concilio quid agendum foret, deliberandum propoſuit. Reddendam minime vxorē omnium fuit ſententia, idq; vno Gaſparis, qui intererat reſponſo. Rogatus enim ſentētiam in hūc modum, iuxta Domini vocem reſpondit: *Nolite dare ſanctum canibus, nec mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus, & conuerſi diſrumpant vos.*

Matth. 7.

Qui religionem periculo exponunt ad rempub. conſeruandam, vtraque ſæpe excidunt.

Sæpe enim fieri videmus, vt, dum diuinus cultus ac religio negligitur, ſanctaque profanis reipubl. conſeruandæ cauſa traduntur, vtraq; diſcrimen adeat & amittatur. In eam manibus ac pe-

ac pedibus à Lusitanis itum est sententiam, & sic sancitũ, vt ad vnum omnes, mortem se dicerent, si necesse foret, malle oppetere, quàm matronam hanc Neophytam reddere Saracenis. Rediit tandẽ Macedus vinculis exemptus (Deo rem aliter disponente) pacem firmatam, iuratamq́ secum ferens; de vxore non de Corano Saracenis reddendo, ne verbum; quinimo non parum lætari Sophus (vt Macedus retulit) ob insignẽ hanc Mahometanis Armuzianis illatã contumeliam; potior enim pars Turcæ partes tenet, quibus cum Persarum regibus assiduum ob regnum ac religionem bellum est. Dum nec hac via res succederet, aliam multo breuiorem & magis compendiariam ineunt. Europæos aliquot, professione dumtaxat ac nomine Christianos, & pecuniæ inhiantes, perq́ eos nouum arcis Lusitanæ præfectum grandi adoriuntur pecunia, vti Coranum denique patefieri permittat. Præfectus videlicet quietis otiiq́ causa, inclinato ad assentiendum animo, nihil tamen inconsulto Gaspare ausus aggredi, patrem ad conuiuium inuitare in arcẽ, in eo conuiuio de templo Saracenis reddendo agere, rationes aliquot politicas depromere, quibus illi hoc persuadere conabatur; idem addebat & alios sentire; nihil tamen inuito illo agere velle. Orare se proinde cœptis ne obsisteret. Vix apertè rem præfectus proposuerat, ecce subito, nondum loquente Gaspare, deliquio penè exanimatus concidit, nullum vt effari verbum posset; mortui instar pallebat omni motu sensuq́ carens. Sibi redditus & menti, facti pœnitens, suo resipuit malo, & cœptam de fani restitutione cogitationem abiecit, diuinam hanc punitionem fuisse adstantes omnes iudicabãt.

Christiani nonnulli auro corrupti Saracenis suum reddi fanum permittunt.

Miserè periere omnes, qui in hoc connitebantur.

Auxit eam opinionem aliquorum, qui Saracenorum causam egerant, funestus paucis diebus interitus; nonnulli tot adierunt vitæ fortunarumq́ discrimina, vt ad pœnam non ad solatium reseruati viderentur. Ipse præfectus Gasparis à Deo facinus comprobari ac ratum haberi cum cerneret, si modò videretur, de fano euertendo cogitare cœpit, ad quod suam ipse operam spondebat. Gaspar gratiis actis nihil præter ea, quæ Emmanuel de Lima præfectus alter reliquerat, censuit innouandum: Auxit ea res Lusitanorum, Neophytorumq́ animos ac feruorem. Saraceni hac accepta contumelia mitiores facti deponere cornua, ac taciti secum vatis sui concoquere iniurias, exutaq́ insolentia plures ad Christianam fidem transire.

Cæterùm Gasparis rerumq́ gestarum fama ad exteros quoque vicinosq́ dimanabat, vt & per Felicem Arabiam percrebuerit. Populus est inter Rosalgatam & Mocandonum Promontoria, quos Thyamanes vel Ananes nominant Arabes. Ammonitas quidam opinantur, quorum Scriptura meminit; in ipsum vsque Loth Abrahæ cognatum, Ammonis Ammonitarum patris parentem, vt ipsa docet Genesis, originem referunt. In quatuor distincti sunt opida. Horum maiores fama est mortalium primos à Mahomete in fraudem inductos: gentilitatis pristinæ apud eos etiam est monumentum, fanum scilicet Iouis: Naturâ candidi sunt & sinceri, sed robusti corpore. Ii rumore excitati, qui de Gasparis admiranda virtute ac doctrina longè lateq́ manauerat, communi consensu patrem ad se per literas ac nuncios inuitarunt, magno se studio teneri veritatis & sapientiæ; ad sitientes aures accederet; non sine fructu verba

Ammonitæ Arabiæ populus. *Genes. 19.*

A Gaspare doceri volunt.

verba facturum. Ea res Gaspari mistum dolore gaudium attulit. Solicitam de officii ratione, deque æterna salute in media apparere barbarie gentem magnopere lætabatur. Obstructum sibi ad eos aditū valde mœrebat. Optatum quippe Gaspari dudum fuerat, ad mortem ac supplicia pro Christi nomine subeunda, sese in medios Paganos ac Turcas immittere, & Mahometanæ sectæ mendacia refutare palam. Sed eo feruore comperto, Xauerius, publicæ magis rei, quàm Gasparis gloriæ consulens, in ipso discessu, illum ex insula Armuzia ad triennium, suo vel certè Goani rectoris iniussu pedem efferre vetuerat. Itaque Gaspar, quanquam eundi ac periclitandi percupidus, tamen sacrificio obsequium antiquius duxit: legatos adhibita præparatione baptismo lustrauit: quo minus in eam regionem ipse in præsentia tenderet, causatas occupationes, per epistolam vniuersæ nationi suasit, idoneos interim ad se discipulos mitterent, atque in amore ac proposito veri cognoscendi perstarent, illos ita à se instruendos, vt quæ salutis forent, omnibus suis ostenderent. Hæc sese initia dabant expeditionis nouæ, quæ necessariò dilata, multis, vt fit, difficultatibus interpositis deinde consenuit. Sed hæc de Gasparis erga Saracenos gestis sufficiant. Gentilium quomodo conuersionem procurarit, iam disquiramus.

Legatos illorum baptizat.

CAPVT VII.

Iogue, quem Pagani vt numen colebant, ad fidem à Gaspare traducitur, item & alij. Gaspar Goam reuersus diem obit.

OMnibus Lunæ diebus Gasparem in Gentilium Pagodis cōcionatum suprà diximus. Quod porrò crederet, ipsis superstitionis cory-

phæis ac ducibus; quos cæteri suspiciebant, ad Christum traductis, cæteros facili negotio manus daturos ipsos, qui Armuziæ erāt, Iogues in certamē ꝓuocat. Brachmanarū hi genus sunt, vt alibi dicere memini, sed ceteris religiosiores, horrido inprimis & aspero victu, cultuq; Armuziani aliis hoc in ritu nō cedebant, sed continentiæ paupertatisq; volūtariæ laude etiam superabant. Credebant siquidē harum virtutū adminiculo animā ad diuinæ essentiæ ab omni contagio exemptæ, purissimæq; cōtemplationem aptiorē reddi. Erant namq; cōmentationum studiosissimi, mortemq; inprimis ac diuinas perfectiones assidua meditatione voluebant. Harum.n.aliquā habebant notitiā, simul & S S. Trinitatis, Patri, Christianorū ritu, potentiā; sapientiam Filio, ac bonitatē Spiritui S. ascribebant. Vt à Christianis hæc illos hausisse crederet Gaspar. Sed erroribus ac superstitionib⁹ sanctā hanc cognitionē polluebant. Pagodes.n. Indorū more, adorabāt, absurdasq; opiniones ac futiles mordicus tuebantur. Magno tamen apud plebem in honore erāt, ꝙ externā sanctimoniam præ se ferrēt, quam vulgus austeritate exteriori metitur. Suburbanos habebāt specus atq; haud procul inde Pagodeum aut delubrū, huc de nocte sese recipiebāt, statisq; horis dato signo ad certas cōmentationes excitabantur, & Sacerdotes nostrates ad officiū Matutinū (adeo ex omni parte Christianas cærimonias dæmon æmulari nō desinit) sub aurorā idolis immolabāt. Interdiu ad emendicandā stipē, (erāt .n. inopes) nōnulli ad imbuēdas variis erroribus hominū mentes, ꝓdibāt. Plerunq; de morte, de diuinis pfectionib⁹, aliisq; de reb⁹, prout quisq; cōment⁹ erat, sermo erat, aspersi cinerib. panno obsiti

Quam vitam ducerent Iogues Armuziani.

Dæmon simius est.

obſiti ac cilicio duriori membra cooperti. Sanctos diceres eremicolas, ſępe illos adire Gaſpar, tũ illorũ gratiæ captãdæ cauſa, tũ vt principiis fundamentisq́ue, quibus omnis illorũ impietas innititur perſpectis, eadẽ deinde melius cõuelleret. Gratus illis itẽ erat, cui intima & arcana religionis ſuæ adyta detegebant; quorſum ille inquireret ignari. Interdũ horũ vellicabat aurem, & Christo lucrifacere ſatagebat; irritum omne illorũ afferens ſtudiũ, ac ſine vllo prorſus cõmodo tanta corpus afflictione macerari; nec vitã hac æternã, vero ignorato Deo, poſſe promereri. Multi hiſce verbis capi, illiusq́ue conſilia ꝓbare; ſed à ſuperioris ſe nutu dependere. Præerat namq́ue vnus omnib⁹, nihilq́ue illo inconſulto facere ceteri audebant. Aberat tum ille, nam ſocios in Arabiæ montibus habitãtes inuiſum abierat. Inſigni hic erat duritia & auſteritate vitæ, hiſce aliisq́ue id genus artibus in tantã ſui admirationẽ adduxerat cunctos, vti qua pedes aqua lauiſſet, hãc religionis cauſa Armuziæ rex ipſe potaret. Hunc ex Arabia reuerſum ꝑcipuo conatu aggreſſus paucis dieb⁹ arcta ſibi familiaritate deuinxit, ac crebra cũ eodẽ inſtituit de omni virtute, ac præſertim de cõtinentia & de caſtitate (quã Iogue ceteris præponebat) colloquia: quibus illũ quò volebat, adduxit; hãc, ceterasq́ue virtutes ſolidas eſſe poſſe negans, ſi veri Dei, ac mundi redemptoris Ieſu Chriſti cognitioni cultuiq́ue minimè nitantur. His aliisq́ue ſermonibus Chriſtianorũ myſteriorũ illi Gaſpar cognoſcendorũ, ac deinde Deus amplectendorum iniecit deſideriũ, mora tamen trahebat, & inter conſiliũ mutãdæ vitæ perplexus hærebat. Ita nutanti ac pendulo ſuaſit Gaſpar, nõ eſſe in re pia manifeſtaq́ue diutius differendũ. Triginta ad deliberandum dies Iogue poſtulat; cõcedit

Iogues Gaſparem diligebant.

Superior horum ſanctus habetur.

cruce, velut victoriæ de satana relatæ tropæo, Deiparæ Virgini dedicauit. Insignis hæc conuersio multos Gentiles Christo lucrifecit, atq; ad multum inde tempus in omnium re ac sermone versata tum Armuziæ, tum in locis vicinis.

Paulus Romam cogitat.

Paulus deinde suis ipse oculis conspecturus magnificum illum apparatum, quem in somnis viderat, suoq; in ortu, fontis illius vitalis, Ecclesiæ inquam Catholicæ, pulchritudinem visurus, Romam cogitauit. Goam propterea profectus in Lusitaniam vna cum Emmanuele Lima Armuziano traiecit præfecto, atque ab illo Ioanni III. Lusitaniæ regi oblatus iucundum aliquamdiu spectaculum regi ac popularibus præbuit. Romam deinde adire paranti interuenit mors, quā ille patienter excipiens, è numero vocatorum simul & electorum ad vitam æternam sese declarauit. Hisce aliisq; gestis rebus triennium pene Gaspar Armuziæ impēdit; quo nondū exspirante Goam à Francisco Xauerio euocatur, in Iaponem aut Chinam traiecturus. Recrearunt hæ litteræ Gasparem, quòd ob Christi nomen iniurias, inopiam, persecutiones, mortem denique ipsam, pati ambiret; omniumq; Armuziæ toleratorum oblitus ad noua subeunda se parat. Clanculo igitur insula discedere cōtendit: sciebat enim à Christianis, de abitu certioribus factis, iter suum impediendum; sed omnibus insciis portum adit, vbi conscensa cymba Antonii Noroniæ classem petit in alto in ancoris stantem, qua Goam tandem appulit, paulò antequam Xauerius è Iaponia reuerteretur. Goam reuersus non Dominicis modò festisq; diebus ad populum verba habuit, sed & singulis septimanis

Moritur in Lusitania.

 septies,

ſeptics, aut aliquando decies ac duodecies; tanto hominum concurſu, ſæpe vt in loco patulo campeſtriq; dicendū foret: templo quippe contineri auditores non poterant. non minor animorum hic motus & affectus, quam ante apud Armuzianos, & prius etiam apud Goanos excitabatur: eadem illius hic auctoritas & feruor qui prius. Lachrymarum effuſio ſimul & morum commutatio, vitæ emendatio, quam & Deus gratiam communicaſſet, ſatis oſtendebant. Hinc inſtare apud Franc. Xauerium è Iaponia reducem reſp. vt Goæ maneret. Piæ petitioni morem geſsit Franciſcus, ſciebat enim fructum, qui in capitalibus fit ciuitatibus, ad cetera illius membra facilè deriuari, quod ad illas vndiquaque vt & ad vrbes regias fiat concurſus. Vetuit igitur Franciſcus, ne Goa, vti antè Armuzia, pedem iniuſſu ſuo efferret: Collegii proinde Goani rectorem ſimul & omnium omnino ſociorum, qui tota India vagabantur, præpoſitum prouincialem renunciauit. Nihil minus cogitarat Gaſpar, nihil quoque illi accidit grauius: tum quòd latere & obſcurus iacere cuperet, tum quòd per vniuerſum Orientem Euangelium & ſanguinem, ſi neceſſe foret, in illius defenſionem, ſpargere deſideraret. Seipſum tamen vicit, vt quam de ſe tulit victoria, non minoris apud Deum fuerit meriti, forſan maioris, quàm ſi vniuerſum Orientem ad Chriſti fidem conuertiſſet, & martyrii corona decoratus eſſet. Abiit interim in Chinam Xauerius, Gaſpar verò maiori quàm prius contentione, tum ſuæ, ac ſociorum ſibi creditorum, tum etiam Goanorum omnium ſaluti cœpit incumbere, & ſancta quædam piaq; inſtituta inducere, quæ etiamnum hodie in vſu ſunt.

Goa concionatur magno fructu.

Goani illum ſibi à Franc. Xauerio petunt.

Quid Goæ egerit & fecerit.

ſunt. Inſtituit inprimis vt ſingulis ſeptimanis feria ſexta de Paſsione Dominica ad populum verba in Sociorum templo haberentur, & in concionis epilogo, cùm omnes ob peccata ſua, quæ Chriſto mortem attulere, ingemiſcunt, Crucifixus è ſummo altari monſtraretur, atq; interim dum exſtinctis luminibus Pſalmus L. decantatur, multi in corpus flagellis ſæuirent. Hoc ſub veſperam fieri, magnumq; animorum motum & peccatorum pœnitentiam, vt aſtantium teſtantur lacrymæ, cauſari ſolet. Hæc aliaq; cum Gaſpar Goæ inſtituiſſet, inq; vinea Domini Sabaoth indefeſſum operarium ageret, Dei gloriam quæreret, animarumq; ſaluti ſtuderet, & iam fractus laboribus & exhauſtus eſſet; cùm de ſuperiori loco, magna animi, corporiſque ad populum verba haberet; ſubitum deliquium paſſus, in cathedra concidit: ſibi redditus ad collegium piorum manibus defertur. Acuta dein illum inuaſit febris, qua aſſiduè exagitatus, tandem XVIII. Octobris die animam ipſo D. Lucæ (quem in opere Euangelico, ſimul & virtutum exercitio, mortem crucis aſsiduè in corpore ſuo ferendo eſt impigrè æmulatus) Deo reddidit; æternam à Deo laborum ob illius nomen toleratorum mercedem in cœlo, coronamque gloriæ immarceſcibilem accepturus. Hæc ſunt, quæ de Gaſpare Barzæo cõperta ſunt, cuius tam grata etiamnum apud Armuzianos Goanoſq; exſtat memoria, vt nõ ſine admiratione geſtorum virtutumq; preconio, de ipſo loquantur. Armuziæ eius in locum ſucceſsit P. Gundiſaluus Rodericius eiuſdem Soc. Sacerdos, vt cœptum à Gaſpare opus perficeret: at, quia infirma eſſet valetudine, hinc euocato ſucceſsit P. Ant. Eredea. Miſsi huc tandem Arias

Sancta conſuetudo.

Gaſparis obitus.

Illius Armuziæ ſucceſſore

Arias Brandonius & Alexius Diazius, piorum eleemosynis templum Deo, simul & sociis domum, ad quam diuerterent, ædificarunt. Sed hæc tandem Religiosis Dominicanis, vel vt alii tradunt, Augustinianis cessere; quibus hæc vinea doctrina, laboribusque excolenda cessit. Quorum industria laboreq; factum, vt multi ad Deum accesserint, quamuis nihil hactenus certi compertum sit; nisi Reginam Armuzianã illorũ opera fidei nomẽ anno M.D.LXXXVI. dedisse, sed Goæ baptismo vna cum fratre paruulo tinctam. Adolescentem porro hunc Matthias Albuquercius, Armuzianus expræfectus, in Lusitaniam ad Philippum II. Hispaniarum Regem perduxit. Regina deinde nobili viro Antonio Azenedo Cotignio, Lusitano nupsit, cum qua cùm ille medio anno summa in pace vixisset, Armuziam opum vxoriarum causa profectus est: interim illa mariti absentiam grauiter ferens ac mœrens, eodem quo ille decessit die, suum clausit; mortem illius indoluere Goani, quòd ipsa Regum Reginarumq; Armuziæ prima foret, quæ Christo nomen dedisset. Sed in Indiam iam commigremus.

Armuzia Regina vna cum fratre paruulo baptizatur.

CAPVT VIII.

De Magni Mogor imperio, potentia, opibus, aliisq;.

AMplam illam ac potentem regionẽ, quam Romani olim Indiæ interioris, vel intra Gangem dicebant nomine, hodieq; Indostanus nuncupatur; vel partem illius potiorem, possidet hodie potens Monarcha, quem vulgari nomine Magnum Mogor appellant, quod primæ regionis à maioribus in India occupatæ incolæ Mogores dicantur. A Magno Tamerlano, vel Tamberlano, Tartarorum Rege, flagel-

Magnus Mogor à Tamerlano originem ducit.

lum

lum Dei dicto originem ducit, qui cum Baiazete eius nominis I. Turcarum Imper. bellum gerens, eundem vnius diei certamine victum, captumq; in regnum abduxit, vbi caueæ ferreæ inclusum tenebat, & velut cani, si quando cibum caperet, reliquias mensæ obiectabat. Si verò equum conscendere vellet, eo velut subsellio vtebatur; quocunque se conferebat, catenæ aureæ, aut vt plurimi sentiunt, ferreæ alligatum secum trahebat. Ab hoc per lineam masculinam natus est is, de quo loquemur, sextus Tamberlani nepos, vel vt alii loquuntur, octauus ab illo rex. Natus est in prouincia Chaquatensi, quæ ad austrum Indostano confinis est, ab occidente Persas tangit, ab oriente Tartaros: quamuis incolæ Turcis similiores sint, quàm Tartaris aut Persis. Potissima enim pars Turcico vtitur idiomate, at non tam eleganti ac polito, quàm genuini Turcæ. Optimates verò & qui in regia versantur, lingua vtuntur Persica, sed pronunciatione accentumq; alium habent, simul & nonnulla vocabula. Rex hic fratrem habebat, regulum Cabuli, qui locus vltra Cambaiam ad septemtrionem est, Persidem inter & Indiam: Veteres Arachesiam dixere, vt nonnullorum opinio est. Atque hæc sola regio hactenus à Tamberlani successoribus, reliquæ quam abauus compararat ditioni eiectis, occupata fuit: aliquot tamen deinde recuperarunt prouincias, quin & nouas imperio addiderunt, quas etiamnum hodie possident.

Chaquata prouincia eiusq; fines.

Cæterum nepotes successoresq; Tamerlani, abaui degenerantes robore, à Parthis, quos hodie Patanos vocant, ita exagitati sunt, vt omnibus aui prouinciis deturbati fuerint, vnico excepto regno Cabulensi. Nepotes successoresq; poste-

Nepotes Tamberlani, eorumq; gesta.

posteriores viso tam angustos esse imperii limites, monentes lacertos & hosti obuersantes, assiduis præliis fatigatos Parthos non modò loco pepulerunt, sed & omnem regionem, quæ hodie Magni Mogor regnum dicitur, occuparunt. Baburxa regis, de quo loquemur, auus hanc Indostani, fugatis hinc Parthis, & ad vsq; insulas Bengalanas abactis, inuasit. Defuncto Baburxa, bello Parthi aduersus filiũ eius Emmaupaxdam restaurato magno hunc cum dedecore in ipsos Cabuli fines compulerunt. Videns verò vires sibi deesse, quibus hosti resisteret, Persarum regis implorauit auxilium. Spopondit opem Persa, modò Mahometanam legem, commentatore & interprete Haly expositam, more Persarum amplecteretur. Non abnuenti Emmaupaxdæ aliquot bellãtium millia Persa destinauit; quorum ope paternam ditionem, exactis è Mogor Parthis, recuperauit. Huic successit is, de quo iam cõmemoramus, Echebar, vel, vt alii, Achebar; seipsum tamen in diplomatis regiis Mahumetum Zelabdinũ Echebarem dicebat, vt suo videbitur loco.

Baburxa gesta.

Is cœptum à maiorib⁹ aduersus Parthos bellum prosecutus, illis fugatis, Bengalæ regnum, quod illi inuaserant, occupauit, & ad aliquot illius insulas compulit. Addidit deinde & imperio regnum Cambaiæ, dehinc & alias Indostani prouincias; neu prius à dilatando cessauit regno, quàm deficeret vita. Vt iam haud procul à regis Narsingani, Calecutani, aliorumq; mari imminentium ditione limites imperii collocarit; & ad Goanæ vsque insulæ venerit terminos. Plurimos in regia fouet regulos vel armis debellatos, vel vltro illi subditos, ne fortè regnum vi armata inuaderet. Interdum viginti, qui

Echebar Emmaupaxdæ filius alias ditioni addit prouincias.

Viginti reges alit.

ti, qui diadema gestandi ius habebant, & regi Calecutano potentia singuli nō cedebant, numerati illius clientes. Alii verò suis se regnis cōtinent, ne verò suo ipsi corpore corā famulentur, vt clientes illi domestici, amplius aliis vectigal annuè persoluunt. Horū nonnulli Pagani sunt, nōnulli Mahometani, at illos Echebar, quamuis & ipse Mahometanus, vt exterius quidē ostendit, sibi fideliores expertus est. Limites imperii haud facile statui possūt; quoad enim vixit, imperium indies dilatauit: 27. Octobris die, anno sæculi huius 605. demortuus est. Anno verò sæculi superioris 82. omne illius imperium ad Occidentē flumine Indo & Perside Septemtrionali terminabatur: ad Orientē iidē termini, qui Bengalæ, quā ipse occupauit: ad septemtriones Tartaria limes erat; ad meridiem alluebatur Oceano, qui & orā Cambaiæ alluit: at nihil oræ occupabat maritimæ, præterquā in Bengala. Reges. n. Malabares, Lusitani & Narsinganus & alii nōnulli omnia emporia, quin & aliquā Indostani portionē in cōtinente suis præsidiis tenēt. Omnis illi⁹ tū ditio 600. in lōgitudinē, & 400. in latitudinē patere credebatur leucas: at regnū Caximir & alia nōnulla postea occupauit. Vniuersa ditio fertilis est, & ad victū cuncta necessaria profert; nam Indum inter & Gangem, qui multis anfractibus ac ductibus, vniuersam regionē, velut hortum irrigant, nouem alia minora intercurrunt flumina, quæ in hæc duo maiora se exonerant, Taphi scilicet, Heruada, Chambel, Tamona, quæ in Gangem defluunt; Catamel, Cebcha, Ray, Chenao, Rebeth, in Indum delabuntur, quem Schind incolæ indigetant. Hinc vber omne solum, & magnæ Magni Mogor diuitiæ. Omnia namque

Imperii illius limites.

Flumina Indostani.

Diuitiæ Magni Mogor.

namq; regna & prouinciæ, quas occupat, adeo in ius illius ditionemq; transeunt, vt, quamuis reges ipsos ac dominos, iisdẽ suo nomine præficiat, tertiam tamen redditunm vectigaliumque partem sibi reseruet. Reliquum ipsi in se, remq; familiarem, milites, equos, elephantos, quos habere semper paratos oportet ad subitos bellorum incursus, impendunt. Magnæ quoque regnis illius diuitiæ accedunt ob frequentia gemmarum, aromatum, cinettarum, pannorum gossipinorum, telæ aureæ, laneæ, aulæorum, holoserici, byssiniq; lini, metallorumq; commercia. Equorum hic ingens copia, quos Perside & Tartaria euocant. Maior quoq; illius in bello potentia. Habet enim multos regulos ac præfectos, quorum quilibet suis expensis duodecim quatuordecimve alit equorum millia. Hos è prouinciæ sibi concreditæ vectigalibus, vt diximus, alere compelluntur. Alii his inferiores septem octóve millia; singuli quoque horum multos elephantos alunt ad bellum edoctos. Quina elephantorum millia solus rex in aciem producere potest. Quibus si toto regno habitos elephantos annumeres, ad quinquaginta millia accedent, quos, dum opus fuerit, in bellum producit, vti iamiam referemus. In bello, quod aduersus fratrem Chabuli principem gessit, qui magna bellatorum copia in regnum Echebaris irruperat, præter innumeros pedites equitesque, quos velut præsidiarios in debilioribus regni locis disposuerat, quinquaginta equitum, & quina elephantorum millia, adhæc peditum copias innumeras, in aciem produxit. Ad bellum processurus ex omnibus regni gentibus, è Mogolibus, Coronanis, Torquimachis, Bolocchis, Guzzara-

Potentia bellica.

Elephantorum copia.

Guzzaratis, Indoſtaniſque, aliiſque tam Mahometanis, quàm Ethnicis copias conſcribit. Tormenta bellica plurima ad bellum trahit, quæ in prima conſtituit acie, elephantes in poſtrema; quos hoc armant modo, frontem lamina conueſtit ferrea, vel pellis indurata, quæ ictibus reſiſtat. Proboſcidi alligātur enſes, dentibus prominētioribus pugiones, quatuor turrita propugnacula lignea tergo geſtant, & in his totidem milites, arcu vel ſclopeto inſtructos, qui belluam regit, lorica vel ſquammato munitus eſt thorace. Nunquam elephas in prima locatur acie, tum ne hoſtium conſpectum magnitudine ſua impediat, tum ne ſaucius militum ordines curſitādo turbet, & obuia quæque proſternat, ſed in extrema ſtatione hæret, vt, ſi forſan eatenus penetrarit hoſtis, vndiquaq; emiſſæ belluæ illius impetum excipiant ac retundant. Nam nullis etiam armis inſtructæ, ingentem ſua proboſcide ſtragem edere ſolent; arreptos namque hoſtes in altum vibrant, humique deiectos pedibus proculcant: vel certè arietū inſtar, ferrata in obuios fronte ruunt.

Elephantorum armatura.

Cur in prima acie elephantes nō collocentur.

Vetus Regum Mogor ſedes in Indoſtano eſſe ſolet in vrbe Deli; at Echebar primus Agram regiam tranſtulit, ſed quod duos hic filiorum amiſerit, aliam conſtruxit, & quidem elegantiſsimam, quam Pateful, vel Fatefur nuncupauit. Verum ex quo Lahor regnum occupauit, ipſius metropolis regno cognominis, in regum ſedem delecta. Hic anno 1582. quo primum Societatis Patres eodem penetrarunt, quadrageſimum agebat annum; robuſto erat corpore, ſtatura mediocri. Veſtes auro gerebat intertextas, tiara caput tegebat, ſuperior tunica ge-

Regia Mogor.

Illius veſtes.

nua non excedebat; caligæ ad talos vsque dimittebantur, cum vdonibus more nostrati. Calceorum forma peregrina ab ipso inuenta. Frontem variæ ornabant gemmæ. Europæa delectabat eum vestis, quin & serico nigro more Lusitano parata, sed priuatim vtebatur. Lateri accinctus semper erat ensis, vel ad manum iacebat. Quotidie corporis mutabat custodes, simul & rerum domesticarum præfectos; sed post octiduum ii ipsi denuo per interualla ad officium redibant. Sagacissimus erat, valebat iudicio, prudentia & ingenio, sed & humanitate summa. Generosus erat, vt qui maxime & animi fortitudine præclarus. Facetus, amabilis & comis, regiæ tamen grauitatis decus nō excedebat. In bonum propendebat, externorum amans, & præsertim Christianorum, quorum aliquos semper secum habere desiderabat. Erga omnes artes afficiebatur, & non modo bellicam callebat & politicam, sed & mechanicas permultas. Oblectabatur inprimis conficiendis sclopetis, conflandisque tormentis, imo in ipsa regia officinam habet huic operi destinatam. Valebat rerum multarum peritia, de variis norat sectis institutisque differere, quorum cognitione inprimis delectabatur. Legendi scribendique, quod mirere, artem nesciebat; doctorum tamen virorum afficiebatur familiaritate, qui coram eo varias de omni re quæstiones disceptabāt, ac diuersas commemorabant historias, sed hoc docto exercitio literarū se sperat defectum supplere posse. Natura erat melancholicus, & epileptico subiectus morbo, vt ad animi recreationem varias voluptates, ludos, mentisque relaxationes quæreret: hinc elephantorum, camelorum, bubalorum, quin & gal-

Dotes.

Exercitia.

Ludi.

& gallorum, arietumq́ commisionibus se oblectabat. Gladiatorum arte capiebatur nõ minus; quin & interdum ad mortem vsq; eos depugnare, Romanorũ more, volebat. Elephantes quoque & camelos ad numerum saltantes, gesticulãtesq́ magna animi voluptate spectabat: verum quod admiratione dignum, dum his vacaret spectaculis, grauissimi momẽti interdũ negotia expedire solebat. Venationi studebat ferarum, quibus regio illa abundat; quibus captandis nõ canes, sed pantheras adhibebat. Ibi enim canum more venationi adaptantur. Aucupio nõ capiebatur, quamuis aues haberet prædæ captandæ peritissimas, & aucupes optimos, summa dexteritate artis, vt sagittis, licet implumibus nec ferratis in cœlũ emissis, aues præteruolantes certo ferire & in terrã deiicere possint: Ad capiendos ceruos siluestres aliorũ ceruorũ vtebatur industria; gestant hi in cornibus laqueos, quibus alii dum arietant, & cornu feriunt, sese induunt, & à venatorib⁹ instantib⁹ captantur. Alio etiã exercitio venandi vtebatur, dum bellum gerebat; obsideri siluam ingentẽ à tribus quatuorve hominũ millibus iubebat; alios deinde in siluã interiorẽ immittebat, qui feras ad vsq; siluæ limites compellerent, itaq́ ab obsidentibus caperentur: quorũ manus si forte fera elabatur, pœnam luebant. *Venatio.*

Hæc erant illius oblectamenta. In seriis quomodo se gereret, iam disquiramus. Bis de die rebus omnium audiendis in publicum prodire consistorium solebat. Duas hanc in rem regia areas habet capaces & amplas, in quarum singulis solium auro gemmisque conuestitum. In primam omnes ad vnum, etiam viliores admittebantur, quibus ipse audiendis vacabat: *Quomodo caussis audiendis vacet.*

Secundam nemo nisi duces, præfecti, satrapæ, & regum externorum legati de rebus maximi ponderis acturi, subeunt. Octo semper viros, iuris dicundi peritissimos apud se habebat, iudicioq; præstantes, qui per interualla singulis septimanæ diebus iudicio præerant. Hi regem allocuturos introducebant, hi causas examinabant, simulq; ritum cum rege agendi, præsertim si externi forent, intrandi, salutandiq; præscribebant.

Iustitiam quomodo exerceret.

In hoc siquidem religiosi admodum sunt, atque inter alia regios pedes exosculantur, si quando illum salutandi causa adeunt. Ius administranti adstabant secretarii, actoresq; publici, qui quidquid diceret, definiretq; sedulò accurateq; scriptis mandabant; quod non ab hoc modò, sed & à Rege Persarum aliisque Orientis Regibus fieri solet. Respub. magistratus habent, qui iustitiam exerceant, lites controuersiasq; dirimant. Sunt & alii, à quorum sententia appellare liceat, sed omnes viua voce, non scripto, sententiam dicunt. Rex porro hic vnicuique suum ius quàm poterat, diligentissimè administrabat.

Maleficos quomodo puniret.

In suppliciis inferendis, etiam morte, satis moderatus erat. In ea vrbe, in qua residebat, nullus facinorosus, ipso inscio ad supplicium rapiebatur; atq; hic humanitatem & clementiam ostendebat. Nonnullos tamen coniurationis aduersus se initæ reos elephantis obiici voluit. Furibus & piratis, nisi quem interfecerint, sola præcidebatur manus; nonnunquam & maleficos, Turcarum ritu, præacutis sudibus configi iubebat; adulteros, homicidas, latrones in crucem agi, strangulari, vel iugulari, prout rei grauitas exigebat. Qui leuiora delicta commi-

commiſerant vapulantes dimittebantur. Denique clementiæ, humanitatiſque etiam erga inimicos laude clarebat. Hinc cuidam ex optimatibus, proditionis & coniurationis reo, ſecunda etiam vice cum relapſus eſſet, crimen remiſit, opera conſiliiſque eo quo prius modo vtens; ſed vbi tertiò in eiuſdem criminis ſuſpicionem venit, in crucem eum quamprimum agebat. Rariſsimè indignabatur; at vbi ira erumpebat, dici non poteſt, quantum efferueret, ſed quamprimum ad mentis ſerenitatem redibat. Antequam quid magni momenti ageret, ſuorum conſilium explorabat; quid autem acturus eſſet, ſecum ipſe ſtatuebat. Quid fieri expediret, interdum conſiliariis declarabat, vt eorum ſuper ea re cōſilium haberet; quod cum vt vtile probarent, illi conſentiendo reſpondebant: Pax ſit Regi noſtro. Si verò cuiquam aliqua hic occurreret difficultas, eamque diſſoluendam proponeret, benignè auſcultabat, rationibuſque prolatis reſpondebat, ſui conſilii ratione reddita: ſi verò rationes in contrarium meliores prægnantioreſque forent, ſæpe ſententiam mutabat, ſermone Perſico omnes pene optimates vtuntur, doctiores tamen & ſacrificuli Arabico. Hæc ſunt, quæ de Magno Mogor eiuſque imperio comperta habui, iam quo modo fides eodem introducta ſit, videamus. *Clementia illius & iuſtitia.*

CAPVT IX.

Cur Magnus Mogor Goa aliquot Societatis Patres, euocarit? quid in Rege ad fidem conuertendo ab illis præſtitum ſit.

CVm Anno M.D.LXXVIII. Antonius Capralis Luſitanus cum aliquot aliis ab Indiæ Prorege ad Mogor legatus miſſus eſſet; Magnus Mogor quamdiu ibidem Luſitani a-

gerent, mores viuendiq́; institutum sedulò obseruabat, secum tacitus perpendēs, quales tandem reliqui Christiani forēt. Tantopere porro illorum agendi placuit ratio, vt quæ instituta, quæ lex foret Christiana, per otium peteret. Præcipua illi fidei capita, quoad potuit, legatus aperiebat, quam à Patribus Societatis in India passim promulgari asserebat. Inaudierat iam ante rex, duos eiusdem Soc. viros ante biennium Bengalanis fidei rudimenta proposuisse; esseq́; in India eiusdem Societatis permultos, qui legem Christianam promulgarent, & per varias orbis prouincias omnes ad Christi fidē perducere conarentur. Petrus quoq; Tauerius Lusitanus, magna auctoritate vir, qui diutius in Mogor cōmoratus fuerat, longè accuratius postea præcipua fidei nostræ mysteria illi, vltro omnia curiose indaganti, explicauit. Quocirca audito in Bengala Christianum sacerdotem cōmorari, qui virtutum laude præstaret, hunc ad se euocauit, à quo accuratius rebus fidei imbueretur. Hic (cuius nomen reperire non potui) cum initio Martii anno M. D. LXXVIII. Patefulam ad regiam appulisset, magna Rex illum excepit beneuolentia. Haud multò post euocationis illi rex causam aperuit, scilicet ex illo scire se velle, meliorne Christiana an Mahometana lex foret. Pręcipua fidei sacerdos illi aperiebat capita, simulq́; Mahometicæ legis ineptias absurditatesq́; ad oculum demōstrabat. Rex erga fidem nostram propendere non parum videbatur, simul & Mahometicam repudiare. Hinc euocatis ad se quadam nocte Mahometanis Caciziis aut Mullis, apertè denunciat, sacerdotis Christiani se velle consiliis acquiescere, Deum scilicet orare, mentem vt illu-

Mogor Sacerdotem Christianum euocat.

straret,

straret, quò & veritatem ac rectam salutis semitam posset agnoscere. Intererat hisce sermonibus Sultanus Mechanus, omnium Cacíziorum caput & primas; hic audita regis deliberatione, palam ait: Maiestas vestra bonam legem obseruat, aliam vt exquirere, aut de hac dubitare necesse nō sit. Illico se è solio rex proripuit, dicens: *Adiuuet nos Deus*, idq; secundo. Vt sibi legem suorum non satisfacere, & aliam cognoscere velle satis ostenderet. Rogabat dein sacerdotem, Lusitanicam se vt linguam doceret; hanc enim se scire inprimis velle, quò legem Christianam facilius intelligeret. Sedulò in hoc incubuit sacerdos, primum quod edocuit verbum, fuit sanctissimum nomen I E S V S, quod tantopere nomen Regi placuit, vt ad singulos id passus in regia repeteret.

De lege sua dubitat.

Disputabat Sacerdos quodam vespere cum Mullis; cuius certaminis verba Rex è conclaui suo audiebat (hoc enim in aula exteriori contingebat) hic dum Sacerdos inter disceptandum legem Mahometanam ineptiis, mendaciisque scatere dixisset; adeo Mullas offendit, vt, nisi egressus Rex illorum impetum retudisset, violentis eum manibus discerpsissent, quos vt placaret, esse dicebat solenne disputantibus, suam opinionem vt veram ostendere, aduersariorum falsitatis coarguere. Dicebat hic inter cætera: Goæ socios plurimos esse, & doctrina & virtute insignes, qui varia Indiæ loca fide Christiana imbuerant, quibuscum si dubia sua communicaret, ac difficultates, fore vt abunde sibi satisfieret, & omnes rei Christianæ nodi facile dissoluerentur; sibi enim illos rerum sacrarum scientia antecellere.

Hiſce verbis horum videndorum, audiendorumq́; concepit deſiderium; hinc legatum in Indiam vna cum literis ad Socios Goanos, deſtinauit. Hæc porro literarum erat ſeries. Formanus Zelabdinus Mahometus Echebar. Venerandi Patres ordinis D. Pauli. Meum vt in vos affectum, amoremque teſtatum faciam, Ebadolam legatum meum, ſimul & Dominicũ Brizum illius interpretem ad vos miſi; quibuſcum vt duos veſtrum, qui literarum ſacrarum cognitione excellant mittatis, ſimul & præcipuos legis Euangelicæ libros ſecum deferant, inprimis rogo. Huius enim diſcendæ percupidus ſum, eiuſque perfectionis amplectendæ. Quapropter iterum obteſtor, vt vna cum hiſce legatis, quamprimum vt appulerint, aliqui veſtrum veniant. Quicunque verò venerint, magno à me honore excipientur, & illorum colloquio conſpectuque inprimis recreabor. Si verò vbi me legem ad vnguem (vti inprimis deſidero) edocuerint, Goam repetere voluerint, per me licebit, quos magno cum honore officiiſq; ſingularibus ad propria deſtinabo. Igitur venire ne grauentur, in meam quippe eos protectionem ſuſcipio. Hæc Regiarum litterarum ſeries.

Litera Regis Mogor ad Patres Societ.

Legatus & interpres Goam cum peruenerunt, haſce Patribus Societatis in Collegio D. Pauli commorantibus pertulere; quæ ſocios omnes incredibili affecerunt lætitia, dum ſibi perſuadet vnuſquiſque, miſericordiæ diuinæ theſauros ac bonitatis hoc pacto Regi patefaciendos; & hanc ſibi ſummis votis prouinciam qua erat caritate, depoſcit. At Prouincialis, vbi negotium Deo diuturnis multiſque commendaſſet, P. Rudolpho Aquauiuæ, Ducis Atrienſis filio,

Patres aliquos depoſcit.

filio, Cardinalis fratri, & R. P. Claudii Aquauiuæ Societatis totius Præpositi hodie Generalis nepoti; simul & Antonio Monserrato, qui deinde in Æthiopiam missus, in Turcarum manus incidit, vt libro tertio dicere memini; ac Francisco Fernandio hanc prouinciam demandauit. Goa itaq; cum legato eiusq; interprete cum soluissent, viginti post diebus Surratum Cambaiæ emporium, trans Damanum opidum, quod in Magni Mogor ditione erat, peruenerunt. Tandem post plurimas itineris difficultates ac discrimina ad Regiam in Patesul XVIII. Februarii die, anno M.D.LXXX. deuẽtum, tres & quadraginta dies itineri cum impendissent. Tanto illorum videndorum desiderio rex tenebatur, vt sæpe ipsos numeraret (vt postea relatum est) dies, quos ad iter superesse crederet, & nullo non momento à suis peteret, num adessent. Appulsos igitur, ad regiam arcessit, à quibus multa per otium est sciscitatus ad mediam vsque noctem. Antequam verò è regio conclaui se subducerent, magnam auri, argentique vim illis dari imperat: illi modeste donum excusare, nec partem illius admittere, quod religiosa paupertas aurum repudiet; & de ad victum necessariis (quorum causa Rex hæc offerebat) sperare Deum prospecturum; satis esse sibi modò amicum Regem experiantur. Recreabat Regem religiosa hæc munerum repudiatio, quam deinde etiam sæpius apud Optimates ac Principes, velut insolitum quid & nouum, deprædicauit.

Tres eodem mittuntur.

A Rege excipiuntur.

Post triduum aut quatriduum adiere illum rursus Patres, quos ille eo, quo prius modo excepit. Quod verò legis diuinæ volumen (quo ille nomine Scripturam sacram intelligebat) vide-

Sacra illi offerunt Biblia, quæ ille magna reuerentia recepit.

videre desideraret, Regia illi Biblia, aliquot distincta tomis, scite compacta & deaurata, dono dederunt. Magna ille recipere reuerentia, & singula inspicere, & supplex exosculari, ac deinde in caput sustollere, quod magni honoris ac reuerentiæ apud eos signum est: fiebat hoc in optimatum, præfectorumque conspectu, quorum potissima pars Mahometica dogmata sequebatur. Petebat dein, quonam tomorum sacra continerentur Euangelia; quæ demonstrata inspexit attentius, iterumque exosculatus est, atque vt prius capiti imposuit: ac deinde in conclaue referri iussit, atque eleganti arcæ inclusit. Obtulerunt adhæc effigies vnam Saluatoris Christi, ac Deiparæ alteram, non inscitè efformatas. Hæc ad imitationem illius, quæ Romæ in D. Mariæ Maioris æde conspicitur efficta erat. Saluatoris imaginem Rex in manus sumptam, magna animi pietate & affectu exosculatus, deinde filiis adstantibus, simul & magnatibus osculandam dedit, ac mox suo reposuit loco.

Imagines item Saluatoris ac Deiparæ.

Vocauit iterum ad se Patres, simul & Cacizios suos, vt coram se disceptarent, itaque ipse ad veræ legis veræque Scripturæ cognitionem veniret, veræque fidem adhiberet. Hic Patres multis rationibus Sacræ Scripturæ auctoritatem firmitatemque, quæ Veteri Nouoque Testamento continetur, tueri, simul & Alcorani imposturas mendaciaque detegere. In primo hoc conflictu ita fracti sunt Mullæ, vt quid responderent, penitus non haberent, sed omnino obmutescerent. Non displicere videbatur regi hoc certamen, vt postea Patribus dixerit, legem illorum bonam sibi videri, sed optare se S S. Trinitatis mysterium pluribus declarari; ne

Disceptant de vera lege.

ri; ne

ri, nec capere se, quomodo filium Deus Pater genuerit, qui humanam carnem induerit? Hoc enim maxima legis Christianæ difficultas videbatur. Quæstionis solutionem dabant Patres, quam placere sibi non abnuebat, aliquem tamen in animo dubitationis manere scrupulum. Monebat deinde, sibi vt prospicerent, si quando coram Saracenis disceptarent; tam sanctæ enim eos doctrinæ, qualem docerent Patres, parum capaces esse. *Difficultates legis.*

Duxerant secum Patres Legis Mahometicæ volumen, Lusitanico redditum idiomate, vt eo facilius illius ineptias mendaciaq; conuincerent. Nec abs re: Nam interpretis ope ad oculum eadem detexerunt. Tribus à prima disceptatione diebus, aliam de cœlo beatitudineque instituerunt, quàm suis Mahometus post hanc vitam promittit; hic lasciuam, & impudicam illam beatitudinem, rationibus adeo euidentibus eluserunt, vt Mullæ rubore suffusi obmutescerent. Rex, visa suorum clade, causam defensionemque suscepit, sed quas Patres afferebant absurditates negare non potuit. *Alcoranus Mahometanorum ter confutatus.*

Feria quinta iterum in certamen cum Mullis descenderunt; hic Mahometis excusserant superbiam, arrogantiam, scelera, impietatemque, quam Christi humilitati, puritatique opponebant; simul & veritatem doctrinæ, miraculorum multitudinem, quibus eadem confirmata fuit, sanctitatem quoque præconum, eandem mundo annunciantium, cum fabulis, mendaciis, commentisque Mahometis, quæ nonnisi ferro & armis inducta sunt, comparabant.

Hoc è certamine Mullarũ tanta fuit confusio, vt de-

vt deinceps cum Patribus agere ausi non sint. Rex interim solitis eosdem officiis beneuolentiaq; prosequi.

Haud multò post expiscaturi Patres, quidnam è præcedentibus disceptationibus emolumenti in rege secutum esset, & num Christianam religionem vellet admittere; Regem adierunt, quasi illum officii causa salutaturi, quòd ab aliquot eum diebus non vidissent, solita eos excepit beneuolentia. Variis vltrò citroque in genere habitis sermonibus, loquendi de rebus suis copiam petebant Patres. Qua impetrata, Rudolphus Aquauiua, qui aliis cũ auctoritate præpositus erat, hac illum est oratione aggressus: Maiestas vestra, inclyte Rex, Prouinciali nostro literas scripsit, quibus aliquot sibi è nostris, qui legem diuinam edocerent, mitti postulabat. Ille piæ petitioni obsecutus, nos tres ad V. M. destinauit: & sanè non sine singulari gaudio nostro, cùm Dei nos auxilio tam feliciter ad tam potentem legisque nostræ cupidissimũ Principem videamus conductos. Accessit ad cumulum gaudii Maiestatis vestræ sermo, quo legis veræ cognitionis se percupidam declarauit, & eandem etiam amplecti velle. His aliisque inducti, ad finem, quem huc profecti spectabamus, perueniendi rationes interim excogitauimus. Re itaque maturè discussa, & Deo precibus aliisque pietatis exercitiis cõmendata; haud abs re nobis, ob mentis & corporis Maiestatis vestræ bonum, vitæ conseruationem, imperii augmentum, conscientiæ pacem, animi salutem, aliasq; ob causas visum est; tempus aliquod præfiniri, quo legis queat diuinæ expositionem audire, eam, comperto illam veram inprimis esse, ac nulla

Patres cum rege agunt.

alia

alia ſaluari hominem, ſequi, facultatemq́; concedere eiuſdem liberè in omnibus regnis, ac prouinciis ſuis diuulgandæ. In Dei manu hæc conſiſtere reſpondit rex; hunc quæ poſtularant Patres, facere quàm citiſsimè poſſe, ſe verò nihil magis in votis habere. Oſtendere videbatur, ob non exigui momenti & æquiſsimas rationes, impediri ſe modò, quo minus Chriſto nomen daret. Adiit illum etiam aliàs Rudolphus, felix illi Paſcha precaturus, quòd Dominicæ reſurrectionis vigilia eſſet: Regem hoc nõ parum recreauit, magnoque Patrem affectum gaudio ad plenã noctem apud ſe detinuit. Inquirebat inſuper multa ſuper myſterio reſurrectionis; formulam quoque Deum precandi Chriſtianis vſitatam ſibi monſtrari volebat: quibus cum Rudolphus ſatisfeciſſet, & ſimul aliis quæſtionibus, ad propria ſumma cum humanitate dimiſſus eſt. *Item alias.*

CAPVT X.

Magna conuerſionis regiæ ſpes habetur; ſed quòd repentinus in regno motus inſurgeret, à cœpto deſtitit.

Rex ergo cum ſciret ædes, in quibus Patres diuertebant, incommodas admodum eſſe, & ob turbas quotidianas, hominumq́; aſsiduè illic tranſeuntium tumultum moleſtas, alias iiſdem aptiores in regia ipſa aſsignauit, quò illos apud ſe haberet, ſæpiuſque per otium inuiſeret, aut ad ſe euocaret. Parare hic ædiculam Patres ad ſacra peragenda; ſæpius illos rex adire, ac filium ſecundogenitũ illis tradere, quem linguam Luſitanam, ſimul & ſcribere ac legere Europæo ritu, fidei etiam Chriſtianæ myſteria edocerent. Porro Anno M. D. LXXXII. quo Patres ibidem erant, tres habebat filios, ac filias

Patres in regia hoſpitantur.

Secundo genitũ filium illis in diſciplinam tradit.

lias binas. Primogenitus, qui deinde in regno succeſsit, decimumoctauum aut circiter tum annum agebat, ac Scieco dicebatur; cui honoris cauſa, (vt in quibuſdã Europæ regionibus, nobilium, magnatumq́ nominibus agnomen Domini) adiungunt vocabulum Gio. Horum lingua Gio animã denotat, & appellãt Sciecigio, quaſi dicas anima vel perſona Sciecí filius ſecundogenitus dicebatur Pahari, qui id temporis tredecim annorum erat, atq; hunc Patribus traditum diximus, vt Idioma Luſitanicũ edoceretur & fidei Chriſtianæ rudimenta, erga quam ſe mirifice affici oſtendebat: ſpemq́; inſignis profectus tum facilis indoles tum ingenii viuacitas pollicebatur. Poſtremus Dan dicebatur, quaſi dicas Daniel. Sed & vt ad lineam redeamus: Rex filium quodã tempore examinaturus, quid diſceret, reperit apud eum paradigma ſcriptionis à Patrib⁹ datum; quod cùm ille Patris iuſſu legere cœpiſſet his verbis: *In nomine Dei*, pater ſubiecit, vt adderet, *& Ieſu Chriſti veri Prophetæ & filij Dei*, q; illo præſente etiam addidit. Iuit deinde ad Patrum oratorium, in quo quotidie, præſentib⁹ Luſitanis, qui in aula verſantur, ſacra celebrabãt. Nonnulli enim hic ſedes fixerant, alii cõmercii gratia interdum huc proficiſcuntur, ſolus ingreſſus ſine arbitris rex, tiaram capite detraxit, & primum genibus nixus more noſtro orauit, tum ſuo, nempe Saraceno-Perſico, horum enim Legem exterius profitebatur; poſtremò etiam gentilitio: deinde aulæo ſtrato inſedit & puluinaribus, vt patriæ fert mos, cui Patres aſſedêre, quibus ille mox ait, non dubitare ſe, quin Chriſtiana religio omniũ foret optima, vitaq́; Chriſti & miracula pluſquam humana; at comprehendere

Rex Patres viſitat.

ſe

se nō posse, quomodo filium habeat Deus. Aliàs pōst varia colloquia ait: Multa de lege vestra intellexi, Patres, quæ plus arridēt, quàm quidquid hactenus de Mahometica Gentilive religione didici. Verùm Mahometana omniū mihi videtur deterrima. Pōst octiduum ad oratoriū tribus comitatus filiis & proceribus reuersus, omniaq; attentè perspiciens corā omnibus dilaudauit, mandauitq; tàm filiis, quàm optimatibus, calceos vt deponerent, vt Mahometani solent cū sua fana subeunt: ipse item suos exuit. Imagines Christi, Deiparæ, aliorumq; Sanctorum singulari prosequebatur reuerentia, quas à pictoribus suis exprimi, depingiq; voluit. Aurifabro etiā mandauit, vt ex auro thecam reliquiis imponendis cōficeret, ea forma, quā Patrum ęnea erat, incisis hinc inde Christi Deiparæq; imaginibus. Affirmauit deinde sibi legem illorum non displicere, at S S. Trinitatis, simul & Incarnationis Dominicæ mysteria comprehendere nō posse: si vtrumq; sibi apertè ostenderint, Christo nomen se daturum, imo & si opus fuerit regno cessurum. Tametsi verò ipse semper anxius fluctuaret, subditi tamē vt erga Christianā legem afficerentur, magnopere studebat; quam palam ipse deprædicare ac promulgare non verebatur, vt qui in votis haberet, omnes vt Christiana sacra susciperent. Quotidie quoque cum sacrificulis suis imperitis rerum, Mahometumque & Alcorani præcepta tueri non valentibus, disputabat Pentateuchum quidem, Psalterium, & Euangelia omnes admittunt, sed neq; habent, neq; legere fas est; horum enim lectionem scelestus impostor Mahometus inhibuit; vt suo illos gladio Patres iugularent: Si enim, inquiunt, Alcoran* vester nō minus scriptura est, quā Pentateuch*

Christianā legem omnibus præfert.

Imagines honorat.

Pſalterium & Euangelia, vt creditis, nulla inter illum & hoſce libros eſſe diſcrimen debet, aut differentia; ſi qua verò reperiatur, alterutram falſam eſſe certiſsimum eſt. Atqui contumelioſum & impium eſt, vt ipſi non grauatè fatebimini, Pentateuchum, Pſalterium & Euangelia falſitatis inſimulare; veſter ergo Alcoranus, qui à libris ſupradictis adeo diſsidet, mendax ſit & falſus oportet. Hæc aliaque cum Rex probè intelligeret; Mahometana ei lex prorſus deſipiebat, & ſacerdotes Mullas penitus negligebat, & palã hoc & in luce omnium dicere non verebatur: Chriſtianam verò religionem vbiq; fouebat ac deprædicabat. Cumq; ſciret nonnullos in ſeruitutem abreptos, in regno ſuo Chriſtianam religionem, vt ſe in libertatem vindicarent eiuraſſe, (pollicentur ſiquidem Mahometani Chriſtianis captiuis libertatem, modo fidem ſuam eiurẽt) & hos facti pœnitentia tactos ad mentem redire, vtq; liberius eandem fidem profiterentur, ad Chriſtianas bona cum regis venia reuerti velle regiones, vt inter Chriſtianos agerẽt, facile hoc eis conceſſit. Vni verò qui hîc manere malebat, permiſit, non modò vt Chriſtianorum viueret ritu, & habitu ſe veſtiret, ſed & in domum velut domeſticum famulum admiſit. Obiit ſub id tempus Luſitanus, qui aulam ſectatus erat; hunc rex à Patribus ritu Chriſtiano ſepulturæ mandari permiſit, prælata videlicet cruce, & accenſis facibus, quas cæteri Luſitani per medium ciuitatis, bono omnium exemplo, portabant; caritatem enim hanc Chriſtianorum eximiam erga defunctos Ethnici admirabantur, vt & Mahometani nõnulli pro defuncti anima precarentur, & in cadauere humando operã ſuam offer-

offerrent. Arguebant hæc propensum regis in fidem nostram animum, plurimis tamen de causis ab eadem alienus erat. Nolebat inprimis S S. Trinitatis & Incarnationis Dominicæ credere articulos, nisi perspicuè eosdem intelligeret. Tunc semper in fide anxius nutabat, cui manus daret nescius. Ethnici enim, inquiebat, suam esse veram iactant, iactant & Mahometani, & Christiani: Quibusnam credemus? In hoc Princeps hic, aliique plurimi athei delinquunt, sub fidei obedientiam intellectum captiuare nolentes; dum nihil verum putant, quàm quod ingenio possunt comprehendere, & ad illud res omnem humanum captum excedentes metiri volunt.

Cur fidem Christianã rex non susciperet.

I. Regis impedimentum.

Impiorum peccatum.

Diuertebat ad hæc illum rerum variarum perturbatio occupationesque quotidie insurgentes; quibus ita immersus erat, sui vt non esset; nullum proinde suppetebat vacuum à negotiis tempus, quo fidei articulos edoceri per otium posset, prout necesse videbatur. Adducebant hic variorum Iaponiæ Regum Patres exemplum; quibus cum de die tempus nõ suppeteret, quo in fide instruerentur, bonas noctis horas doctrinæ Christianæ impendebãt. Idem facturus videbatur; sed verba dabat. Solenne illi erat etiam, dum quęstioni priori à Patribus satisfieret, de alia, nondum plena solutione audita, inquirere; vt moræ impatiens & nouitatis curiosæ amaritior videretur. Quod enim incredibili discendi desiderio teneretur, simul omnia scire cupiebat, famelicorum instar, qui quo famem expleant, omnia simul edulia deuorare vellẽt. Sed impediebat illum inprimis, vt non nemo sentiebat, vxorum multitudo, quas Mahometana illi lex permittebat: centum

Negotiorũ frequentia II. Impedimentum.

III. Vxorum copia.

enim gynecæio mulierculas inclusas tenebat. è quibus amorem animumq; illius diuertere, & ad legitimum cum vna coniugium pertrahere difficillimum videbatur. Denique miraculum maximopere desiderabat; hinc secundò, aut tertiò à Patribus petebat, num miraculo suæ cõfirmare fidei veritatem vellent. Proponebat ergo, vt cum Euangeliis suis ignem luculentũ ingrederẽtur, simul & Mullæ suo cũ Alcorano; atq; eos veram habere fidẽ se crediturum, qui inuiolati & integri igne egrederentur Patres, arrogantiæ & præsumptionis hoc signum esse, respondere, nisi diuino fiat instinctu; & aliud, quàm Deum tentare. Cessit tandem rationi, & curiositatem hanc animo seposuit.

IV. Miraculi videndi desiderium.

Quem tamen erga Patres & fidem nostram declarabat affectus, multis illius penitius cognoscendæ desiderium iniecit; inprimis vni è sacrificulis nomine Abdulfasil. Regi hic à sacris erat & percarus; desiderabatq; fidei Christianæ mysteriis imbui. anne fidei id fieret studio, an verò placendi regis, & coram eo loquendi desiderio, nesciebant Patres. Rex tamen illius voluntate comperta, carius illum complecti, & maioribus officiis delinire, Patresq; monere, vt cum illo velut persona regia, de omnibus, quæ communicatum vellent, liberrimè agerent. Et sanè plurima Patribus officia præstitit, vt suo dicemus loco. Idem quoq; desiderium in regio medico apparuit; atque hi duo Patribus nullo non loco & tempore auxilio fuere. Verum Patres, viso Regem nihil certi statuere, alios interim Christo lucrari contendunt; idcirco à rege baptizandi quoslibet, qui Christo dare vellent nomina, facultatẽ petunt, quã haud illibenter concessit; perque Abdulfasilem denunciauit, permit-

permittere se, vt quoscunq; possent, Christianis sacris initiarẽt; in quo si quod à quoquam obstaculum fieret, ad se referrent, pro delicti se modo animaduersurum; nosocomium vt ędificarẽt, permisit, ex eleemosynis Lusitanorum. Experientia siquidẽ constat, permultos Gentilium & Saracenorum visa Christianorum caritate, ad Christianam religionem esse propensiores. Hæc aliaq; quibus Dei gloria augebatur, & inprimis regis in Patres & rem Christianam Christianosq; beneuolẽtia, multis desiderium iniiciebant, vt ad Christum se conferrẽt. Adeo vt docẽdis catechumenis Patres penitus occuparentur. Interim dũ optima spes messis affulgeret, salutis hominum aduersarius diabolus, totum turbare negotiũ cœpit. Parthos igitur vel Patanos, quos in Bengalanas insulas redactos diximus, exciuit, vt aduersus regem (quem à maiorum lege & Mahometis dogmate, quo Christianam susciperet, deflectere inaudierãt; vt suas hoc modo turbas tegerẽt, vti postea retulerũt) arma sumerẽt. In Bengalano igitur regno excitato tumultu regium Præfectũ interfecerunt, & cum rege Chabul, Magni Mogor fratre sua consilia communicabant. Hic eodem simul tempore, ingenti collecto exercitu in fraternam ditionẽ irruperat, atq; ad centum leucas iam progressus erat. Perculit regem inopinus hic motus, atq; hinc occasionẽ Mullæ, quorum omnis apud regem auctoritas sordebat, Christianam religionem sugillandi, suamq; deprædicandi sumsere; Regi siquidẽ à Mahomete abhorrẽti sinistros hosce euentus adscribebãt. Hisce aliisq; Mullarũ susurris paulatim pia illi⁹ in Patres beneuolentia refrixit; hinc illorũ declinare cõsortiũ colloquiumq;, quin & ipsũ de

Dat Baptismi rex facultatem.

Multi docentur res fidei.

Parthi aduersus Regem se commouent.

Frater regis in ditionem illius irrumpit.

Regis in fidem propẽsio refrixit.

Kk 2 Ben-

Bengalæ amiſsione ſolandi cauſa adeuntes, ne audire quidem, nec ad ſe, vti ſolebat, euocare ſuſtinuit. Interim fratri, quinquaginta equorum ac quinque elephantorum millibus, ac innumera peditum turba ſtipatus occurrit. Hac militum manu Chabulenſis perterritus paulatim retroceſsit; quem Rex inſecutus trans Indum compulit. Dein Bengalanos tumultus à Patanis excitatos facili negotio cõpoſuit. Rebus pacatis reducem Patres per Abdulfaſilem allocuti petierunt, num in fidei noſtræ myſteriis erudiri vellet vlterius: quòd enim illius potiſsimum cauſa veniſſent, omne quod regiæ ſaluti procurandæ tempus non impendebatur, perditum credebant. Hac de re factus certior rex, illos haud multò poſt ad ſe euocauit; ſed nonniſi curioſis, parumq́ vtilibus quæſtionibus tempus trahebat. Petebant Patres, vt, ſi forte præcedentibus diſputationibus Chriſti ac Mahometis doctrinæ diſcrimen nondum ſatis percepiſſet, aliam rurſus indiceret, vt, viſa meliori commodioriq́ fide, eandem amplecteretur. Parum hęc placebant regi, dum priſtinos Mullarum ſuorum motus veretur; inſtantibus tamen in hoc ipſum Patribus, ſabbathum ſequens diſputationi indixit. Hora præfinita hi regiam adeunt; Rex verò, cui certamen hoc diſplicebat, varias afferre cauſas, ob quas intereſſe diſputationi ſe poſſe denegaret, vt ita eandem penitus impediret. Fidem violatam non parum dolebat; ſed eandem vt repararet, in diem Lunæ ſequentem certamen reiicit. Huic ipſe cum vniuerſis Optimatib⁹ ac Satrapis interfuit; confluxerant huc etiam plurimi Mullæ, doctrinæ opinione celebres; quos Mahometum tueri conatos, in tantas Patres anguſtias conie-

Diſputatio Patres inter & Mullas.

coniecêre, vt cum plurimarum rerum Alcorano traditarum rationes dare non possent, neu cœptam defensionem prosequi, rex ipse, illorum absurditatibus commentisque perspectis, aliquid interdum iocans de suo intersereret, suos vt sacrificulos tueretur, eorumque pudorem velaret. Sed tanto argumentorum pondere & efficacia illum Patres retuderunt, plurimi vt adstantium Mahometis imposturas, illiusq; legis commenta probè perspicerent.

CAPVT XI.

Patres, dum sine vllo prorsus fructu tempus teri vident, Goam repetendi à Rege facultatem petunt; P. Aquauiua solus hic ad triennium subsistit.

MVtatum Regis animum, è superiori concertatione facilè notarunt Patres, quòd Mahometanam legem, eiusque mystas acriter tueretur; visum itaq; Goam repetendi ab illo veniam petere. Oportunè admodum id à Rudolpho factum. Hisce enim verbis quodam die Regem aggressus est. Mihi dubium non est, inclyte rex, quin fidei mysteriorum expositionis addiscendæ Maiestas vestra percupida sit; & ad eandem suscipiendã penitus inclinata sit; sed, quòd subditorum tumultus metuat, hanc voluntatem detegere non audere. Visum itaque nobis, cùm labores nostri in regia vestra inutiles sint & frustra, maiori alibi fœnore eosdem impendere. Quid tecta hac oratione vellet rex, quamprimum intellexit; respondit itaque, pergratum sibi esse, diutius illos in aula hærere; sed hisce illos verbis, velut honesto velamine, voluntarium abitum prætexere. Nequaquam, ait Rudolphus; sed Maiestas vestra nostrum reipsa hic commorandi, subditisq; vestris ob-

Facultatem redeundi Goam Patres petunt.

Rex irasci tur audita illorum abeundi voluntate.

ſequendi deſiderium, voluntatemq́ promptiſſimam perſpiceret, modò in legis diuinæ expoſitione audienda aſsiduus foret. Conticuit hic rex, ſed vlterius nihil locutus in regium conclaue, quaſi diſceſſum illorum indignè ferens, ſe proripuit.

Cur apud ſe illos retinere vellet.

Cur liberè abeundi veniam negaret Rex, ſcire volebant Patres, cùm fidem tamen non ſuſciperet: Abdulfaſili igitur petita rei cauſa, retulit, Regem, potentiam, ſplendoremq́ oſtentare cupientem, ſimul & variorum cognoſcendorum percupidum, omnigenam in regia gentem habere velle, & illos inprimis; quod illorum agendi ratio doctrinaq́ plus alia arrideret. Addidit inſuper, illum ſacra Bibliorum volumina, quæ Goa detulerant, pridie magna reuerentia in caput ſuſtuliſſe, quem tamen honorem Alcorano, elegantius ſplendidiusq́ compacto, ſibiq́ ea die delato non exhibuerat: Recreauit Patres nonnihil hic nuntius, ideoq́ omni qua poterant ratione ad fidem Chriſtianã illũ denuo pertrahere conati ſunt. Viſo igitur indignationem ob diſceſſum conceptam paulatim deferbuiſſe petebãt, num gratum foret, ſi regiam prolem iterum Luſitanicum ſermonẽ edoceret. Nihil ſibi accidere poſſe cum reſponderet gratius, Ant. Monſerratus hoc onus ac laborem ſuſcepit; atq́ ita in illius gratiam redierunt. Frequentius propterea adibat Patres, de filiorũ profectu ſciſcitaturus, nouumq́ in eos indies affectũ monſtrabat. Cum tamẽ aliquod de diuina lege verbũ interſererent, non eo quo prius guſtu voluptateq́ audiebat. Inhærebant ſiquidem altius animo, Mullarum ſiniſtri de Chriſtianorum lege ſparſi, rebellantibus Patanis in Bengala, rumores, illumq́ nutare & fluctuare

Patres Luſitanicam Linguam Regis filios edocent.

ctuare ancipitem cogebant. Accedebat adhæc scelesta ac flagitiosa vita, quā Mahometanæ legis libertas causabatur, vt quamuis legē Christianam cæteris anteferret, hac ipsa constrictus velut compedibus teneretur. Saraceni quoq;, viso illum in Christianos propendere aduersus illū arma sumere & cristas tollere decreuerant. Illius item mater, & matertera simul & Optimates nonnulli, qui semper illi aderant, Patres & legem, quam docebant nullo non loco apud illum calumniari; ipsa legis propriæ defensione ac religione ad hanc calumniam exstimulante. Flagrare adhæc innato & Vatiniano in religio-rem Christianā odio, adeo vt eandē velut omnium deterrimam, teterrimamq; traducerent: Inpellentibus inprimis ac faces subiicientibus vxorculis regiis; quæ se, præter vnā, omnes repudiandas norant, si Christiana rex sacra susciperet; idcirco omni qua poterāt arte, lenocinio pellaciaq; illum ab iisdē distrahere conabātur. Quotidianæ deniq; deambulationes, ludiq; ac recreationes, nouaq; indies emergētia negotia penitus illū à rerum animæ cogitatione diuertebant. Hoc in statu dum res versaretur, Goâ literæ à P. Prouinciale transmissæ illos redire compellebant; quòd illorū opera alio in loco, ad maiorem Dei gloriam vti vellet, cum nonnisi tempus in Mogor tererent. Hisce cum literis Regē adiit Rudolphus, superiorisq; se iussu Goam reuocari aperuit. Rex audito seriò rem agi, quo Rudolphum affectu prosequeretur, & quàm grauatè illius discessum ferret, hac oratione patefecit: Singulari te amore prosequor Pater, ac non parum tua me recreat præsentia. Te enim docente permulta didici, quæ pluris facio, quàm hactenus ab vllo doctore ꝓpinata.

Quid Regem à lege Christiana auerteret.

A Prouinciale Patres Goam reuocantur.

Si abire penitus decreueris, inuitum non detinebo; sed gratum mihi non feceris, & si hoc me in statu deserueris, in caput tuum noxa deuoluetur. Tum Rudolphus modestè, alios Patres & scientia & virtute illustriores non defuturos respondit, qui sibi succederent, si modò necesse foret. Indignatus rex: Desine, inquit, Pater hasce rationes depromere; nunquam enim me annuente hinc discedas. Intererant hisce sermonibus permulti procerum, regem exstimulantes, ne Rudolphum quoquomodo abire sineret. Regis itaque ob discessum suum visa indignatione, simul & optimatum instantia, vt maneret exposcentium, ne forsan regem offenderet, sperans, Deum ad maiorem nominis sui gloriam rem directurum, communicato cum Deo sociisq; negotio, ad aliquod tempus in Mogor subsistere decreuit, litteras interim Prouincialis exspectaturus. Socii verò, vt Prouincialis iussis obsequerentur, Indiam repetiuêre. Tanti rex, hoc Rudolphi factum, quod in sui gratiam hic mansit, fecit, vt ab illo tempore maiori illum sit affectu prosecutus, eademque cum illo familiaritate egerit, qua ante turbas excitatas, etiã sedulò fidei expositioni audiendæ se velle vacare asseruerit; eandem spem dabant & Proceres & Optimates permulti. Mullæ verò, viso Rudolphum regis aucupatum beneuolentiam, veriti ne illum & proceres omnes Christo lucrifaceret, clanculò illi necem machinabantur. Quorum molimine consilioq; cognito Rex, Rudolpho ait, Mullæ hi scelesti sunt & perfidi, quocirca comites tibi stipatoresque è meis dabo, qui latus tuum incedentis stipent. Respondit Pater: Non latere Regem, Indiæ Prætorem, dum ad regiam primò venirent,

Mullæ Rudolpho necem parant.

rent,

rent, obſides pro Patribus petiiſſe; ſed vllos mitti, Patres vetuiſſe. Noſtra ſiquidem gloria eſt, pro veritate, quam docemus, occumbere: quocirca vereor, ne ſi Maieſtas veſtra mihi corporis cuſtodes dederit, quam in Deo ſpem habeo confidentiamque, pereat ac imminuatur. Bene quidem, inquit rex, at quòd in meam te tutelam protectionemq; ſuſceperim, mearum partium eſſe credo, tuæ ſaluti, incolumitatiq; proſpicere. Non multò poſt tempore Rudolphi conſtantiam, & ad mortem oppetendam, ſanguinemq; pro fide ſua profundendum animum promptiſsimum apud Optimates ſuos deprædicabat; non eum eſſe Mullarum in doctrinæ traditæ defenſione zelum. *Cuſtodiam ac ſtipatores dare Rudolpho vult, ſed non admiſit.*

Interim Rudolphus eò Regem inducere conabatur, vt firmiter ſecum ſtatueret, Chriſtiana ſacra ſuſcipere: quòd enim illum nutantem fluctuantemque ſubditi cernerent, eadem amplecti nō audebant, ſed fruſtra. Quamuis enim totus in hoc incumberet, perſuadere nequaquam potuit. Videbat enim ſe, hac ſuſcepta fide, vxorum grege priuandum, & reliquis quibus aſſueuerat vitiis nuntium remittendum; quod Chriſti religio penitus hæc abhorreat. Ceterum toto illo quo in Mogor commoratus eſt tempore, ac pręſertim anno vltimo, quo ſolus fuit, vitam Rudolphus inſtituebat, qualem veteres eremi incolæ. fruſtum panis ſine vllo prorſus obſonio cibus erat, & frigida potus, terra lectulus; alia inſuper pœnitentiæ genera exercebat; potiſsimam dies noctiſque partem precibus impendebat, vt luce rex cœlica illuſtratus cœcitatem poſſet ſuam intueri. In lingua etiam Perſarum, quo commodius regem fide imbueret, addiſcenda erat aſsiduus. Et *Vitæ Rudolphi auſteritas.*

quamuis omni vitæ tempore orationi assueuisset, eo tamẽ quo inter barbaros vixit, quàm maximè. Integros sæpe dies eidem dedicabat; domo enim nõ egrediebatur, nisi dum rex adeundus erat: & eo quo se vesperi ad orandum composuerat loco, manè persæpe reperiebatur. Tantas igitur molestias, labores, incommodaq; sustinuit, vt in grauem inciderit morbum, è quo moriturus videbatur. Diuina tamen solamina, quibus indies reficiebatur, omnem quam tolerabat difficultatem leniebant, minuebantq;, vt cum Apostolo dicere non immeritò posset: *Cùm infirmor, tunc fortior sum.* Et sanè postea nõ rarò testatus est, eo potissimum tempore, ex voto sibi vitam fluxisse, & maiori tum animi pace tranquillitateque se perfruitum, quam toto vitæ præteritæ curriculo: vt ad martyrii gloriam, quam haud multò post obtinuit, sensim illum disposuisse videatur Deus. E Mogor enim, non velut è media barbarie, sed virtutum omnium ludo domũ redibat. Hinc non ob virtutes modò, sed & alia dona cælitus accepta apud Saracenos, & Gentiles magno in honore fuit. Mullæ tamen mortali eum prosequebantur odio, quòd eos omni in disceptatione, quæ in multam sæpe noctem extrahebatur, deuictos obmutescere cogeret. Tantam porro hic doctrinam simul & modestiam Rudolphus ostendere, vt Gentiles ipsi demirati Angeli illum nomine decorarẽt. Sed perfidi Mullæ sæpius illi insidias struebant, & necem parabant; at quòd regem metuerent, conceptum animo scelus exequi non sunt ausi. Illius enim virtutes ac præsertim humilitas ita regem oblectabat, vt nõ minori eum reuerentia, quàm amore prosequeretur. Quanquam nefa-

Incidit in morbum.

Illum Deus solatur.

nefaria vitæ consuetudine, prauisq; illiciis impediretur, & inprimis arrogante superbia (diuinos enim honores ambiebat, & Propheta haberi ab omnibus desiderabat) quominus pia Rudolphi monita sequeretur. Ergo cum operam & oleum se perdere Rudolph⁹ videt, Prouinciali indicat, frustra infecundo sementem Euangelicam cōmitti solo, cum nulla fructus affulgeat spes. Respondit Prouincialis, à Rege vt abeundi facultatē peteret, obtentaq; quam primum in viam se daret. Negauit hanc initio rex; sed apud se, illius morum suauitate captus, retinere virum conabatur: tandem precibus victus concesſit. Sed eo pacto, vt communicato cum Prouinciali negotio, impetrataq; illius facultate in Mogor se rediturū sponderet. Non abnuit Rudolphus. Abeuntem igitur rex multis est nouis beneuolentiæ signis officiisq; prosecutus, magnam auri argentiq; vim offerens. Sed nihil admisit Rudolphus, Religiosa causatus vota, vt qui mundum & diuitias iam pridem penitus deseruiſſet. Vnum tamen à Rege postulauit, vt Moscum Christianum cum vxore simul & liberis, qui à longo iam tempore in captiuitatem redacti, asſiduo Saracenorum commercio Mahometicis ex parte institutis asſueuerant, Goam bona illius cum venia abducere secum liceret. Concedere hocce munus regia mater noluit, quòd vtiles reipublicæ forēt: Rex tamen suum in Rudolphum affectum testaturus, petitis annuit. Secum igitur Goam abduxit, & Christiano hic deinceps ritu vixere. Hi sunt nempe thesauri, quos è potentis & Magni Mogor aula Rudolphus auexit.

Petita Rege discedendi veniam & impetrat.

Quid è Mogor retulerit.

CAPVT XII.

Magnus Mogor iterum Socios euocat, qui non maiori edito fructu, quàm alij, re infecta propediem Goam redeunt.

Iterũ Deus regem salutis suæ commonet.

SEptennio aut amplius è Mogor discesserat Rudolphus, cum nouos iterum stimulos Regi subiicit Deus; quibus illum è profundo peruicaciæ somno sanctis inspirationibus immissis excitabat, vt scilicet tetra infidelitatis caligine relicta ad clarum fidei lumen transiret, eiusque deinde promulgandæ per vniuersum imperium facultatem concederet. Deiparæ hoc intercessione factũ sit verisimile, quam singulari rex honore hactenus coluerat. Hinc anno M. D. X C. audito Christianos annuam assumptionis illius memoriam agere, suo illam ritu celebrare decreuit. In hanc rem thronum sublimem erexit, in quo effigiem Sacratissimæ Virginis, à Patre Rudolpho acceptam, collocatam ab omnibus voluit Satrapis ac proceribus magna animi pietate exosculari. Dicebant Optimates filium regis primogenitum sancto huic operi initium dare debere; ceteros tum vltro secuturos. Imperata quàm promptissimè facientem reliqui secuti sunt, quorum pietatem rex egregiè compensauit. Qui enim in Deiparæ se obsequio promtos demonstrarunt, Equites aurati facti sunt. Eodem ipso tempore omnia fana (quæ Arabica voce Alcorana dicuntur; neque enim sola Mahometana lex hoc dicitur nomine, sed & turrita quædam culmina, è quibus sacrificuli & mystæ Pseudoprophetam inuocãt, & plebem ad orationem conuocant,) vrbis regiæ solo æquauit. Mosquea quoque, quæ impii seductoris delubra sunt, in equilia & elephantilia, regio iussu cõuersa sunt.

Deiparæ imaginem colit.

Alcorana & Mosquea destruit.

Quod

Quod verò vxorcularum grex impedimento prius fuisset, cur generosè fidei nomen non dedisset; omnibus repudiatis (quas regni sui primoribus collocauit) vnam sibi copulauit. Præconis etiam voce edixit, nequis in posterum Mahometanus, ante quintum decimum ætatis annum, masculos circumcidat, vt quã amplecti velint legem, maturo consilio, eligere possent.

Vxores repudiat.

Appellit interim in regiam Hypodiaconus Græcus, Leo Grimonius, qui in patriam rediturus, Goam petebat. Illius aduentu recreatus rex, ad se euocauit, quòd rerum quæ apud alias gentes agebantur noscendarum percupidus esset; atque idcirco cum è peregrina quis regione appulisset, quid vidisset audissetq́; percontabatur. Valebat Grecus hic ingenio, multarum peritus rerum. Placuit proinde regi. Hunc ergo ad Indiæ Prætorem legare decreuit, aliquot ab illo denuo Societatis Patres periturus. Literas ergo simul & munera Prætori destinauit; alias item Patribus Societatis & præsertim P. Prouinciali, quas suo subiiciam loco, additis etiam muneribus. Quina item aureorum millia Græco dare voluit, vt in egenos Goanos distribuerentur: sed cum satius esse responderet Græcus, vt Mogoribus illa cederent; audiuit, nolle regem, quòd omnes satanæ forent mancipia. Ostendit tum Hypodiaconus longi itineris interuallum, & è nummorum pondere periculum. Bene monenti rex gemmas aliaq́; pretiosa cimelia minoris ponderis danda curauit; quo minori negotio Goam ad egenorum subleuãdam inopiam deferret: quorum pretium duo aureorum millia excedebat. Commodè Goanis diuturna fame presßis cecidit hæc eleemosyna;

Leo Grimonius Græcus subdiaconus.

Mittitur Legatus à Magno Mogor ad Indiæ Prætorem.

ſyna; extremæ enim neceſsitati multorum hac ratione ſubuētum eſt. Vt verò tutum Patrum, quos petebat, iter foret, literas ad Præfectum Cambaianum aliosque regni ſui Proreges, hoc argumento miſit.

Potentiſſimi Mahumetis, magni Regis & Domini Folleriј diploma.

Omnibus Ducibus, Viceregibus, Gubernatoribus, Quæſtoribus, aliisq́; regni noſtri Præfectis, Salutem.

MAgnis D. Leonē Grimonium officiis ſum proſecutus; ſummoperè cupiens idem vt ab omnibus imperii Præfectis præſtetur. Illius enim auxilio alios Soc. Patres Goa me impetraturum confido: quorum me ope doctrinaq́; à mortuis excitandum eo modo exiſtimo, quo illorum magiſter Ieſus Chriſtus, è cœlo in terram delapſus, mortuos plurimos ad vitam reuocauit. Idcirco horum doctiſsimos integerrimosq́; euocaui, vt hiſce doctoribus lumen fidei Chriſtianæ perſpiciam, hiſce ductoribus ſemitam regiam, qua rectâ ad Deum illi perueniunt decurram. Quapropter omnes regni mei Præfectos beneuolos ſe erga D. Leonem Grimonium & Patres euocandos oſtendant, & vbicunq; locorum tranſierint, honorificè habitos omni officiorum genere proſequantur; cuſtodiam iis militarem à qua opidatim deducantur, aſsignent; de rebus tam ſibi quàm equis neceſſariis aliisq́; abunde prouideant: equidem ſumptus præſtabo. Videant inſuper, vt ſoſpites & incolumes ad me perueniant, ac ne quod in corpore reculisq́; quas ſecum laturi ſunt, detrimentum accipiant. Volo adhæc vt Dux Canchena in manus Ducis Raizzæ ſaluos ſiſtat, atq;

hic

hic & alii duces eo ſemper modo deducāt; donec ad regiam perueniant. Præfectus Cambaiettæ Giabiblica omnia illis ad iter tam in eundo quàm redeundo neceſſaria ſuppeditet. Vectigalium præfecti ac publicani nullum ab iis portorium, quocunq; loco cū ſarcinulis tranſierint, exigant, ſed immunes ab omni tributo eſſe ſinant. Nemo autem, huic edicto contrauenniendo vllum Patribus nocumentum afferat, aut moleſtiam exhibeat, ac quæcunque ſecum tulerint, ſine vllo maleficio ſunto. Si quam ab aliquo Præfectorum ſibi iniuriam quomodocunq; irrogatam dixerint; næ ille capite luet. Exactè igitur, quidquid hocce edicto continetur, ſeruari cupio; ne quam ſcilicet in corporibus & ſarcinis iacturam patiantur, per vniuerſum imperium ab omni tributo, exactioneque immunes tranſeant, & fida militum cuſtodia ad vſq; regiam comitante incolumes iter conficiant. A Cambaietta ergo Amadabam, hinc Paianum, inde Gelum, poſtea Guiparem, deinde Bicanellam deducantur. Bitanella Bitaſſerem, inde Mullum, ac tandem Lahor ad regiam noſtram perueniant. Hoc ſiquidem itinere illos deduci volo; quos ſpero propediem in regia adfuturos, vbi à me meiſq; omni quo par eſt honore recipiendi ſunt.

Leo Grimonius Goam cum perueniſſet litteras primò Prætori dedit, deinde Patribus ſuas; quæ in hunc ſenſum perſcriptæ fuere:

In Nomine Domini.

POtentiſsimus & inuictiſsimus Echebar iis, qui in gratiam Dei admiſsi ſunt, deq; donis Spiritus S. guſtarunt, Spiritui Meſsiæ obedientibus, hominesq; ad Deum deducentibus, Sal. *Literæ Magni Mogor ad Patres Goanos.*

Vos

Vos, ego, Patres, rerum intelligentes, quorum verba ab vnoquoque & audiuntur & admittuntur, quòd à viris à mundo penitus sequestratis, quiq; honores & dignitates mundi iam omnino procul castis, proficiscantur, alloquor: Vos, inquam, per veras, qui semitas inceditis alloquor, & significo, omnium me mundi religionum, tum variorum Gentilium, tum etiã Mahometanorum vnica Christianorum excepta, quæ sola Dei lex est, ideoque à pluribus & colitur & amplectitur notitiam habuisse. Quoniam verò Patres Societatis singulari affectu prosequor, eorum moribus & conuersatione inprimis delector, hinc illorum opera hanc edoceri cupio. Appulit huc iam nuper D. Leo Grimonius, vir sanè egregius & disertus; hic à me de variis interrogatus rebus scitè ad singula respõdit, magno & meo & mystarum meorum gaudio. Retulit is permultos in India Patres esse singulari tum iudicio, tũ doctrina insignes. Quæ cum ita se habeant, poterunt Reuerentiæ vestræ, quamprimum vt meas acceperint, sine vllo metu ad regiam nostram commigrare; vt è vestra cum sacrificulis meis, quos Cacizios dicunt, disputatione, vestræ & illorũ doctrinæ, iuxta amborum meritum, imò vestram præcellẽtiam ac de illis victoriam, comparationem instituam, itaque illi à vobis veritatem discant. Si verò in hac vrbe regia commorari ac sedes figere voluerint, domicilium illis parabo, in quo maiori cum honore, priuilegioq; futuri sunt, quàm vlli hactenus, qui huc venêre Patres. Vbi verò discedere voluerint, liberam illis abeundi facultatem concedam, & pari cũ honore ad suos transmittam. Vestrum igitur est in hoc mihi satisfacere libentius, quã hisce

hisce meis literis scriptis nouilunio Mensis Iunii, postulo.

Prouincialis, qui Goæ tum forte erat, lectis hisce literis, & simul è legato bona regis dispositione, prout videbatur, ad Christiana sacra suscipienda paratissimi intellecta; postulatis annuere decreuit. Quocirca Eduardum Leitonum, Christophorum Vegam, simul & alium, qui sacris non erat ordinibus initiatus, eodem destinauit. Anno igitur M. D. XCI. Goa profecti; tandem Lahorem ad regiam peruenêre: Magno illos excepit honore, & singulari est beneuolentia prosecutus. Ludum paulò post aperiri volebat, in quo nobilis iuuentus vnus item è filiis suis & nepotibus, legendi scribendique Lusitanicè artem addisceret. Ad aliquod tempus Patres in regia substiterunt, inani conuersionis illius spe illecti; sed cum priorum exemplo operam se & tempus perdere, regemque nihil certi statuere cernerent, Goam redire statuerunt. Vetuerat tamen Prouincialis Eduardum inde iniussu suo recedere. Rediit illius bona cum venia Christophorus de Vega; de quo tamen Goam reuerso Prouincialis denuo in Mogor remittendo cogitauit. Adeo namque regi placuerat, vt priusquam inde discederet, iureiurando promittere cogeret, se, nisi Prouincialis obstaret, propediem eodem reuersurum. Sed quòd exigua regiæ conuersionis spes affulgeret, & Patres nullum ibi fructum ederent, & alio in loco eorum opera necessaria foret; omnes Goam, re infecta, reuocati, redierunt.

Mittuntur Patres in Mogor.

Iterum Goam redeunt.

CAPVT XIII.

Tertiò Patres Societatis iam petente Magno Mogor, mittitur cum duobus sociis Hieronymus Xauerius: quid in via illis acciderit.

QVamuis hinc Echebar rex singularem erga Christianorum sacra, illorumq; præcones, à veritate cognita, vt credendum est, iam conuictus, affectum declararet; illinc tamen praua illius vita nefariaq; agendi consuetudo ita virum illaqueabant, voluntatem vt sanctæ legi subiicere haud posset. Vt non inscitè Propheticum illud de ipso dici potuisset: *Venerunt filij vsque ad partum, & virtus non est pariendi.* Aliquot tamen post annos à posteriorum Patrum decessu, nouum Goam legatum destinauit, quo iam tertiò Patres in vineam suam euocabat, à quibus legem diuinam edoceretur. Prætori igitur Indiæ tam acribus verbis, & ardens desiderium testantibus scripsit, vt Prouincialem ad se quàm citissimè euocaret, piisque regis postulatis vt annueret, rogaret. At Prouincialis, cum iam secundò Patres frustra iter hoc molestum suscepisse, & re infecta rediisse cerneret, auscultare initio noluit. Veruntamen cognito, P. Generalem velle, vt in tam potentis Regis aula aliquis sociorum, tum ad Christianos inquilinos iuuandos, tum alias ob causas, ageret, re cum consultoribus domesticis, magniq; iudicii Patribus communicata, tandem assensum dedit.

Isaia 37.

Magnus Mogor tertio Goam legatum misit.

Hieronymo igitur Xauerio Nauarro, magni Xauerii nepoti hæc prouincia concredita. Præerat hic tum Goæ Domui Professæ; cui ille, si qua est, dignitati haud grauatus cessit, vt hanc prouinciam adiret, quam à longo sibi (vt ait) tempo-

Hieronymus Xauerius cum aliis duobus Mogor adit.

tempore committendam præuiderat. Sensit ille tum nouum animi robur cælitus sibi, ad omnes labores necessarios tolerandos, subministrari; vt hoc onus velut à Deo impositum, quàm libentissimè in humeros susceperit. Socios habuit Emmanuelem Pinnerium Lusitanum, & Benedictum à Goes fratrem Coadiutorem: Ducem habebant Armenum, qui Rudolphum Aquauiuam eiusq́ socios primò deduxerat.

Rebus igitur ad iter necessariis comparatis Goa triremi Damanum versus soluunt; inde Cambaiam vel Guzzaratum perueniunt, hic aliquod fructus, quem colligere è missione sua sperabant, specimen habuere. Tantam illis quippe spiritus consolationem Deus communicauit, vt labores & molestias etiam nondum toleratas remunerari, & stipendium ante militiam soluere voluisse videatur. Circa festa natalitia Cambaiam opidum alio nomine Cambaietta nuncupatam, regni illius caput anno M. D. X C. I V. appulerunt, quæ quòd instarent, hic celebrare decreuerunt; centum hic quippe Lusitanorum familiæ commorabantur. In aula itaque domus, ad quam diuerterant, altare concinnarunt ad sacra celebranda; tamque scitè pararunt, vt ipsimet Gentiles spectandi gratia admirabundi confluerent. Gaudebant hac Patrum mora Lusitani; omnes siquidem peccatorum exomologesi facta magno animorum fructu cœlesti Eucharistiæ pane refecti sunt; atque vnus præsertim, qui iam à multis annis hic sacrificulum Gentilium agebat, multis à dæmone peccatis implicitus: sed cum tanto peccatorum dolore in viã reductus est, à Deo tactus intrinsecus, vt

Cambaiam venit.

repente se cum coniuge, quam deseruerat, ad vitā deinceps inter Christianos agendā compararit. Hæc aliaq; tantum illis spiritualis gaudii cumulum attulerunt, vt P. Emmanuel Pinnerus literis suis testatus sit, nunquam se tanto perfusum spiritus solamine, quanto his ipsis diebus, quibus inter medios barbaros cōmoratus est. Lusitanis quotidie sacra celebrabant, & in area de rebus diuinis verba habebant. Quod verò omnes simul Lusitani ædicula hac subitanea comprehendi non possent, per interualla hi ad sacra prima, illi ad secunda confluebant; magnusque indies concursus fiebat. Tribus hic hebdomadis hęsere Patres tum Lusitanorum causa, tum quod Sultanus Morad, Magni Mogor secundogenitus iis ipsis diebus cum ingenti exercitu, quem patris nomine aduersus Melicum regem Decani ducebat, appulisset. Is itaque audito Patres postridie, id est, vigilia natiuitatis Cambaiam aduenisse; rogat vt in arce se inuisant. Se enim illorum videndorum desiderio teneri. Non procul à Patrum diuersorio distabat arx. Patres Sultanum cum paruo comitatu (cæteris extra vrbem relictis) in arce diuertere, salutatum adière. Suscepit hos ille beneuolentia non minori, quàm Pater solebat. Sed quia nox ingruebat, dimissis post aliquot vltro citroq; sermones Patribus, acceptis prius ab vrbe ducētis aureorum millibus, tum in signata pecunia, tum auri lamellis, recessit Surate versus. Emporium est eiusdem regni trans Damanum opidum.

Sultanus Morad secundogenitus Magni Mogor Cābaiam venit.

Salutatur à Patribus.

Vix leucam confecerat, quin Patres ad se denuo hora post noctem mediam tertia euocauit, quod sanè permolestum fuit; eo quippe die Circumcisionis Dominicæ memoriam Societa-

In castra eos vocat.

cietati Iesu inprimis solennem agere decreuerant. Sacris ab vno peractis itineri se accinxerunt, in castra peruētum eo ipso tempore, quo omnes præfecti militares felicem illi de more diem precatum veniebant. Stabat in tentorio sublimi, vt ab omnibus conspiceretur. Cùm aduenissent Patres, eundem illi honorem detulere, caput profunde inclinando. Inter cæteros dein duces stabant, qui statuarum instar, defixos in eum oculos tenebāt. Hoc facto subierunt tentorium, quod erat in plano pauimento, muri instar aut propugnaculi, locum communientis: huius in medio tentorium defixum erat, cum lectulo, vndiquaque peruium. Hic maiori quàm prius beneuolentia ac plausu illos excepit; multaq; & varia est percontatus. Petebat inprimis num in Lusitania nix esset, glacies, feræ, vrsi, lepores, aues ad aucupium edoctæ, falcones, accipitres, aliaq; huiusmodi. Cum esse affirmarent, conuersus ad suos ait: Ergone hæc etiam sunt in Lusitania? quo audito, cuncti palmas manuum admouerūt terræ, & deinde capiti; quod honoris à Principe delati quòd eos alloqueretur, apud hos argumentum est. His aliisq; futilibus quæstionibus propositis, Patres ad locum progresi, vbi elephantum conscensurus esset, discedendi ab eo copiam petunt valedicentes. Allati hic mille quingenti manudi (nummi genus est hic frequens; hæcq; summa sexcentis libris Gallicis aut circiter æquiualebat.) Tum ad Patres conuersus, non ignorare se ait, illos nec pecuniam, neque aliud quidlibet accipere: at quia pauperes essent, & ad reliquum iter conficiendum multa requirerentur, hæc quæ dabat, accipi eleemosynæ nomine se velle. His dictis in ele-

phantum insiliit, mox in alium maiorẽ montis instar. Quòd verò metueret, ne Patres pecuniam datam non reciperent, suis mandauit, vt Armeno Comiti eam traderent. Domum reuersi inuenerunt illos mille quingentos manudos, simul & tres rhedas, sex boues ad sarcinas deferendas, ac tres equos, quos per viam conscenderent. Ea certè pecunia ad iter conficiendum inprimis fuit necessaria. Armenus enim publicas litteras non habebat, quibus illos per Cambaiam deduceret, sed per Schindum.

Pecuniam illis & equos suppeditat.

Absque hoc enim fuisset, vlterius progredi non potuissent. Quatuor aut quinque dumtaxat equorum millia Sultanus secum tum habebat; sed viginti millia, simul & elephantos quadringentos, septingẽtos camelos, quadraginta vel quinquaginta dromedarios, quatuor boum millia, quindecim tormenta bellica maiora, quatuor mediocria, & aliquot minora præmisisse dicebatur. Ingenti bellum hoc animo suscipiebat, dum vniuersum regnum Decani se subiugaturum sperabat. Sed quod rerum imperitus esset, & iuuenculorum consiliis, neglectis seniorum, acquiesceret; parum faustum res habuit successum: vnde augurabantur Patres, infelicem belli exitum futurum vti reuera fuit; vti suo referetur loco. Natura humanus erat & munificus, sed praua adolescentulorum consortia illum iam deprauarãt. Mahometanis Mosqueis addictus non erat, hinc vix illa vnquam ingressus est; venationi, lasciuis amoribus, deambulationibusque supra modum deditus. Iter suum interim prosequuntur Patres, sed non per Schindum, vti voluerat Rex, & ipsi quoque inprimis desiderabant;

rabant; quòd loci præfectus ieiunium solenne nondum finiisset. Nam interea dum ieiunio vacant, aliis vacare rebus omnino nefas est. Quorum nonnulli ad viginti, triginta interdum dies extendunt, cæteri septimanæ vnius aut duarum ieiunio contenti sunt. Quinque omnino menses huic Patres itineri impenderunt, cum tamen Goa ad vsque Lahor, vbi Magni Mogor regia est, nonnisi bimestre sit iter.

Ducentarum triginta leucarum itèr terrâ per Mogoris ditionem confecerunt; sed non sine ingenti molestia. A Cambaia enim ad vsque Lahor deserta arenaria sunt, arida & inuia, sed viginti leucis cis Lahor fertile & fecundum solum. Rari per viam occurrunt fontes aut amnes; sed exsucca arena: quæ sæpe per aëra vento agitata viatorum oculos replet, ac nonnunquam obruit. Hinc qui hoc iter instituunt, tum hanc ob causam, tum prædonum metu, in comitatu plurimorum, quem vulgò Cafilam, vel Carauanam nuncupant, proficisci solent. *Iter Patrũ molestum.*

Vnus hic ex vniuersa turba ductor seligitur, vt supra, cum de comitatu Armuziano agerem, dicere memini; duo aut tria interdum millia conueniunt. In hoc verò Patrum comitatu, quadringenti cameli, centum currus, totidem equi numerabantur; vt taceam ingentem pauperum multitudinem, quæ pedibus iter conficiebat. Profectionis vbi tempus aduenerit, tertiò tympana pulsat ductor. Ad primum pulsum, tentoria, in quibus de nocte quieuêre complicantur. Ad secundum cameli instruuntur & currus. Ad tertium comitatus progredi solet. *Carauana quomodo iter instituat?*

Per noctẽ cum proficiſcuntur, ne forſan quis de via deflectat, aſsiduò tympana pulſantur; cùm ſubſiſtendum, ſigno quoque dato indicari ſolet. Atque hoc non modò, cum noctu quieſcendum, verum etiam puteis per viam occurrentibus; qui ad quadraginta aut amplius vlnarum profunditatẽ aliquando extenduntur; è quibus boum currulium operâ aquam hauriunt. Vnus è Patribus ſuis in litteris teſtatur, magna ſe aquarum penuria hoc itinere laboraſſe; quæcunque enim occurreret, ſalſugine marinæ nõ cedebat. Vix hoc mihi, inquit, quiſpiam perſuaſiſſet, niſi reipſa expertus eſſem, cũ tanto à mari locus hic diſtet interuallo. Vehementem etiam æſtum per viam pertulere; deerant etiam ad vitam neceſſaria: quod deſerta & inculta ſit regio. Medio tandem Martii Amadabam venêre: tria hic obſeruatu digna viderunt. Erat in publica via Iogue, ad quem magnus vndiquaque concurſus hominum fiebat. Ob vitæ namque auſteritatem ſanctimoniæ ſibi apud omnes nomen compararat. Eſt enim hæc auſteritasIoguis ſolennis & aſsidua, ad aliquod ſaltẽ tempus, vt alio loco diximus. Hic porro adeo ſuperbus & inſolens erat; vt à Sultano Morad, de quo ſupra vocatus, venire detrectans magna ſuperbia ac faſtu dixerit: Veniat ipſe ad me Princeps; hoc quippe mea meretur ſanctimonia. Arroganti irritatus reſponſo Princeps flagellatũ exilio multauit, digniſſimo arrogantiæ ſupplicio. Alterum fuit monumentum ſplendidiſsimũ ſeſquileuca ab vrbe diſtans. Erat hoc Cacizii Reguli cuiuſdam Guzzaratenſis magiſtri ſepulchrum. Regulus hic doctori hoc ſuo monumẽtum exſtruxerat, ipſeque cum tribus aliis in alio ſacello humati erant.

Amadaba ciuitas.

Lib. 1. c. 4.

Superbia Iogue cuiuſdam.

Monumentum inſigne apud Barbaros.

erant. Vniuerſa moles elegantiſsimo & politiſſimo de marmore exſtructa; pauimentum etiam marmoreum. Tribus conſtat areis, in quarum vna quadringentæ quadraginta columnæ marmoreæ numerabantur, ſingulæ altæ pedes tricenos, cum ſuis epiſtyliis & baſibus opere Corinthio, verè regio. Ex vno latere ſtagnum erat, quod foro Vlyſsiponenſi, vulgò *Rozzio* dicto, magnitudine non cedit; idq; totum mirifico artificio elaboratum, multis feneſtris interſtinctum, è quibus in ſtagnum deſpectus erat. Opus inter Barbaros minime Barbarum. Viderunt hic item permultos Mahometanos & Mahometanas, Mechani ad Mahometis ſepulcrum religionis ergo properantes. Perlepidam ab iiſdem rem didicere. Vetuit impoſtor hic Mahometh, ne qua mulier innupta iter Mecham ſuſcipiat; omnes tamen tam iuuenculæ quàm vetulæ huc peregrinationem quotannis inſtituunt. Verum, ne in legem impingant, matrimonia ineunt, ne excludantur, ſed domum reduces, inita, ſi placuerit, diſſoluunt.

XIX. Martii Amadaba profecti, XXIV. eiuſdem ſub veſperã Patanam venerunt. Quòd verò pridie Paſchatis eſſet, triduo ibidem ad feſta Paſchalia peragenda ſubſtiterunt. Multi Chriſtianorum, qui Carauanam ſecuti erant, peccatorum confeſsionem inſtituerunt. Multum negotii habuere cum quibuſdam Armenis, qui Gregorianum Kalendarium non admittebant: tamen, tum timori (quia per Luſitanorum ditionem illis tranſeundum erat) tũ veritati cedentes cum Patrib⁹ Paſcha celebrarunt; præter pertinacem quendam ſenem doctorem: hic quinis aberrare ſeptimanis Patres *Patana vrbs.*

 dice-

dicebat, & suum ipse Pascha Dominica ante Ascensionem celebrauit. Iter prosecuti in varias incidere vrbes & opida, sed vastata ac diruta pleraq; ac præsertim Mosquea, quæ nullo restaurabantur loco. Tandem V. Maii, anno M. D. X C. V. Lahor peruentum, cum III. Decembris, anno superiore Goa soluissent.

CAPVT XIV.

Quo Magnus Mogor affectu Patres exceperit, quam erga fidem Christianam propensionem ostenderit, conuersionis suæ spem dando.

DE Patrum aduentu rex factus certior, vnum è Præfectis mox ad illos destinauit, qui lętum illis itineris gratularetur successum, regemq; illorum aduentu maximopęre gauisum significaret. Haud magna interposita mora, salutatum illum iêre Patres, quos amicè & honorificè excepit. Singulos magno amoris, beneuolentiæque signo amplexus est; idem fecit & filius primogenitus, qui tum trigesimum & primum agebat annum. Signis & verbis illorum se aduentu lætari ostendebat, de commodo illis quoq; prospexit diuersorio, in quo ipse olim diuerterat, flumini proximo, vtpote quod nonnisi quindecim distat pedum interuallo. Quietus hic locus erat à populari tumultu penitus remotus; vt nemini accessus pateret, nisi quibus illum Patres permittunt. Nam regiæ custodiæ impediebant, ne quis illac iter haberet, quòd fenestræ palatii regii in vicum foris despiciant. Vespere eodem quo appulerant die à rege euocati sunt, quibus ipsas Saluatoris & Beatissimæ Virginis imagines à Patre Ru-

Quomodo Rex Patres exceperit.

tre Rudolpho acceptas monſtrauit; quas tanta ille reuerentia brachiis ſtringebat, quanta vix vllus Chriſtianus. Conſpectis imaginibus, in genua prouoluti Patres, vt par erat, honorem exhibuere. Quos imitatus Regis nepos è filio primogenito, genu flexo manus quoque iunxit. Quo ſpectaculo recreatus auus, filio, puelli patri: Ecce, inquit, filiolum tuum. Oſtendit deinde libros à Patribus etiam dono datos; quorum hic catalogus: Biblia regia quatuor linguarum, Concordantiæ, Summa Theologica Diui Thomæ quatuor diſtincta Tomis, alius eiuſdem contra Gentes, & Iudæos & Saracenos tractatus. Soto, D. Antoninus, Hiſtoria Pontificia, Chronica Minorum, Syluester, Nauarrus, Caietanus, & hi quidem duplices. Habebat adhæc Ordinationes Luſitaniæ, Alphonſi Albuquercii Commentarios, Conſtitutiones Societatis IESV, Exercitia Spiritualia Beati Ignatii de Loiola, eiuſdem Societatis auctoris, Præcepta Grammatices Emmanuelis Aluari, alioſque plurimos. Quotquot vſui eſſe poſſent, vltro ipſe Patribus dedit, qui eos ipſos, quos iam recenſuimus, ſumpſere. Cæterum tam Rex, quàm Princeps bene, beneuoleque illos habuere; quin & obſeruatum, Regem nulli ſuorum, quantumuis viris primariis, tantum honoris detuliſſe, quantum Patribus. Hos enim ſibi aſsidere voluit quàm proximè, quin & in eodem ſedere puluino, in quo ipſe cum Principe conſidere ſolet. Quadam die cum in porticu deambulans, in area palatii, in qua Præfecti, Magiſtratus & Optimates regni, Regem allocuturi conuenire ſolent; Patres, qui Regem allocutum venerant, inter cæteros ſtantes conſpiceret; quamprimum illos ad ſe euoca-

Dedit eis libros.

euocauit, magnaq́; humanitate excepit, suum vltro caput inclinando, & commodo illos loco constituendo, quem honorem ne regibus quidem & principibus sibi adstantibus defert, imò ne iis quidem, qui ipsum adeunt regnum illi suum subiicientes. Huius ergo venit quidam XXVIII. Augusti die, anno superioris sæculi XCV. sed non tanta illum beneuolentia excepit, quanta Patres. Hic enim cum conclaue, in quo Magnus Mogor considebat, ingrederetur, vt primum in illius conspectum venit, inclinato capite procedens, manibus & vultu terram feriebat; deinde paulatim accedendo eandem sæpius reuerentiam exhibebat; donec propius accederet. Tum toto corpore excutiebatur, num quod telum clanculo gereret. Regis tum pedem tangebat, qui sine vllo prorsus motu aut alio beneuolentiæ signo, manu collum illius strinxit. Et sane magni hoc erat, cum aliis ne tantum quidem exhibeat.

Munus regi datum. Nouus deinde cliens exsurgẽs inter reliquos dynastas ac belli duces locum accepit, quem & deinceps retinuit. Obtulit hic, vt obiter tangam, donum ducentis aureorum millibus æstimatum. Donum fuit, bini gladioli, cum vaginis, ex auro puro, gemmis permixtis, quas aurum decorabat. Duæ item phialæ aureæ mediocres, alia item grandior, solido item ex auro. Equus, cuius phaleræ ac bullæ aureæ gemmis insignitæ. Dedit insuper equos alios centum quinquaginta, equas decẽ, camelos quinquaginta, holoserico viridi & carbasino instratos, tapetes item quatuor, quorum singuli binis aureorum valebant millibus. Et magnum fuit beneuolentiæ signum, donaria hæc à Mogore acceptari. Huic muneri successit aliud, à

Sulta-

Sultano Morad filio, qui tum Guzzarati erat, transmissum, quod non minoris esse pretii, quàm superius dicebatur. Quinquaginta namque misit elephantos, centum quinquaginta aureorũ millibus æstimatos, vehiculum item aureum, & alterum argenteum, aliaque nonnulla ex matricibus margaritis confecta, & præterea quidquid pretiosum nãcisci potuerat. Missum quoque munus fuit à Prorege Bengalano, quod octingentis aureorum constabat millibus. Inter cætera misit tercentum elephantes. Atque hæc propemodum quotidiana erant: vt, quæ singulis septimanis illi darentur (vt suis in literis P. Pinnerus testatur) millionem auri excederent; ac præsertim in solennitate quadã, quam Nerosa dicũt. Tum quippe varia illi vndiquaque donaria mittuntur. Et sanè à duce quodam militari accepit, tum munus quingentis ducatorum millibus æstimatum. Colligere hinc licet quantas Rex hic diuitias coaceruarit.

Aliud à filio missum.

Aliud à Vicerege Bengalano.

Sed hisce relictis, videamus, quo in rem Christianam fuerit animo; quam singulari affectu prosequebatur, vt magnã Patribus conuersionis suæ spem iniecerit. Cum enim imagines aliquot Christi ac Deiparæ Virginis, ex optimis, quæ ex Europa deferri solent, nactus esset; decenter admodum & reuerenter eas habebat. Magna voluptate eas rarissimis & intimis ostendere solebat, brachiis easdem ad vsque fatigationem sustinendo: sunt enim grandiusculæ. Quadam die ad festum venit, quod celebrabant Patres, & cum Litanias recitarent, Christiani regis instar, flexis poplitibus iunctisque manibus supplex aderat. Non parum temporis spectandis considerandisque imaginibus templi impendit, deque illarum mysteriis sciscitabatur.

Quin

Quin & ad Assumptionis Deiparæ solennitatem celebrandam, suas illis imagines commodato dedit, cum vix verbulo easdem petiissent, vltro quoq; misit pretiosissimos pannos tum aureos, tum sericos, quibus sacellum exornatum fuit. Refert superiora Hieronymus Xauerius in epistola ad R. P. Generalem XX. Augusti, anno M. D. XC. V. missa, additq; Regem singulari erga Beatissimam Virginem esse affectu. Idem de Principe esto iudicium, inquit, qui duci illorum grauiter succẽsuit, quòd nullam Deiparæ sibi imaginem Goa attulisset: alii quoq; eòdem proficiscenti quædam sibi coëmturo, id præsertim iniunxit, vt insignem quandam Deiparæ cõpararet. Quod verò vna cum Patribus Pictor Lusitanus in Mogor traiecisset, primò voluit sibi ab eo Deiparæ effigiem è maiori quam secum Patres tulerant, imagine depingi. Viderat eo quo cum Patre in Patrum oratorium venerat die, puerulum IESVM, & Crucifixi imaginem, similes sibi mox ex ebore à suis statuariis parari voluit: Magno quoque Princeps hic Patres amore ꝓsequebatur: hinc quidquid à Rege peterẽt, illo patrocinante impetrabant. Primo quo eum allocuti sunt die, necessaria se promisit ad templum erigendum daturum, egitque cùm patre vt aream in illius fabricam cõcederet. Idem & postea confirmauit, quin & se daturum operam, vt certos pater viros constitueret, qui rem executioni mandarent. Rex facultatem insuper dabat, vt quotquot Christo nomina dare vellent, Baptismo expiarent; quin & Mahometum, adnectit P. Xauerius, prorsus exterminauit, nullum vt Lahore Saracenorum sit fanum. Si quæ olim fuere, illo iubente, in equilia, horreaque publica redacta

Rex cum filio erga Deiparam affecti.

Rex Patribus facultatem dat omnes, qui vellent, baptizandi.

redacta sunt. Alcorana quoque solo æquata. Diebus quoque Veneris, (qui dies Saracenis feriatus ac solennis) quadraginta vel amplius in conspectum suum adduci iubet porcos, vt irritati, exstimulatique inter se depugnent, eorumque dein dentes auro iubet illigari. Quod Mahometanorum odio, probroque fieri certum est; hoc quippe animal detestantur & abhorrent.

Mahometanismum in regno profligauit.

His aliisque fit, vt Mahometicæ legis hic iaceat auctoritas, quæ prius maxima erat. Quali verò ipse religione sit, difficulter statui possit: nam etsi Mahometo non adhæreat (opera hoc quippe indicant) & Ethnicorum superstitioni fauere videatur. Adeo vt horum maior apud illum quàm illorum sit auctoritas. Ethnicus tamen penitus non est. Verum enim colit & agnoscit Deum; cœli terræque conditorem, at Solem etiam adorat. Sunt qui (addit idem) sibi persuadeant, nouam illum procudere sectam velle, illiusque esse caput; ac plures iam sectatores habere, plerosque aut assentatores, aut auro illectos. Deus haberi vult vel Propheta, miraculaque se facere iactat, pedum ablutione ægros curando. Mulierculæ iam vota illi faciunt, vt vel proles sanitati restituatur, vel eius beneficio aliam suscipiant. Si fortè votorum compotes fiant, votiua illi offerunt donaria velut nummi; eaque ille, quamuis perexigua, libentissimè admittit. Hæc sunt, quæ Pater Xauerius de hoc Rege scribit: Vide quò non insana hominem abripiat ambitio, cum supremi Monarchæ, qui deponit potentes de sede, & extollit humiles, metu non coercentur. Sunt qui, inquit idem, Vertearum illum sectatorem dicant,

Vt sanctus haberi vult.

de

tionis de violato ieiunio veniam petierit. Cæterum quamuis Rex ac filius maior natu construendæ Ecclesiæ copiam dedissent, Patres tamen, certis de causis, horum se promissorum immemores fingebant. Donec quinto Augusti, quo S. Mariæ ad niues festum agitur, rursus vt templum pararet, & omnes vltro Christo nomina dare volentes, baptismo lustrarent, veniam dedit. Quam cùm Patres scripto consignari confirmarique vellent, scripto opus esse negauit, præsertim in loco, in quo ipse ageret; viuam enim se scripturam esse. Tamen haud multo post literas amplissimas ac luculentissimas, in eandem rem parari iussit. Ad hæc P. Xauerius cum bonæ Cambaianorum ad semen Euangelicum recipiendū dispositionis recordatus, à Rege litteras petiisset, quibus Patribus legis Christianæ docendæ, subditis verò eiusdem recipiendæ copiam faceret; illius voluntati ilico Rex acquiescens, Regio diplomate facultatem hanc stabiliuit. Quod, aut saltem transsumptum illius, Goam ad Prouincialem destinauit, qui aliquot eôdem Patres, vt Primo Tomo dictum emisit. Porro ipsi suarum literarum facultate, in vrbe Lahor, publicè ac liberè fidem Christianam promulgare cœperunt; idque tanto cùm fructu, vt in Septembri eodem anno aliquot baptismo tinxerint, alios ad ipsum pararint; qui etsi ex primariis non sint, animæ tamen sunt pretioso agni immaculati redemptæ sanguine. Hinc magnificere eas Patres, quòd primitiæ essent neophytæ vineæ Christi, dum, qui dedit initium, incrementum etiam amplissimum daturum indies sperant.

Rex facultatem concedit templi construendi.

Dat facultatem fidei in Cambaia docenda.

CAPVT XV.

Magnus Mogor dum peruicax Deo non auſcultat, caſtigatur: quid in illius imperio Patres ad fidei Chriſtianæ augmentum & fecerint & paſſi ſint.

Regis in fide nutatio. HINC quidem in Chriſtianam religionem propendere videbatur rex, vti ex iis, quæ iam cõmemorata ſunt, colligere eſt, vt & eam ceteris legibus præferret, ſpem, quæ daret, eiuſdem etiam amplectendæ; illinc tamen tanta illius erat ambitio, qua & Prophetæ ac diuinitatis nomen affectabat, vt eius humiliandi, collumq́ue iugo legis Chriſti ſubdendi nulla ſpes affulgeret. Mahometanum quidem dogma illi ſordebat, Solem tamẽ adorabat; adeo vt quater de die preces ad eum ſupplex funderet, mane dum ſtrato ſurgeret, meridie, ſub noctis crepuſculum & cõticinium. Ac tum centum quadraginta, aut amplius illius elogia præconiaq́ue depromebat, quæ globulis gemmeis, Roſariorum noſtrorum inſtar cõnexis annumerabat. Interdum quidem Chriſti Deiparæq́ue imaginibus honorem exhibebat, de collo quoque reliquiarum theca è catenula aurea dependebat, *Vt Deus adorari vult.* ſimul & agnus cereus, ac B. Virginis icuncula: verum quotidie mane in regiæ feneſtra comparens, è qua ab omnibus conſpici poterat, ab vniuerſis aſtantibus, in genua prouolutis, ritu quodam ſacro, qualem idolis ſuis deferre gentes ſolent, adorari amabat; vt taceam interim votiuas preces, quas ſupra illi placere diximus. Hinc tanta ſubditorum de regia religione dubitatio atque opinionum varietas, vt cui ſectæ adhæreſceret, ſtatuere non poſſent. Vnde crede- *Nouam inducere vult ſectam.* bant nonnulli, nouam illum inducere velle, ideoque omnigenum legum peritos ad regiam conuo-

conuocasse, vt è singulis aliquid mutuatus nouam ipse procuderet. Videns quippe se, Christi instituta sequendo, vitiis quibus iam paulatim assueuerat, nuntium remittere debere: huiusmodi doctrinarum permistionem facere velle videbatur, vel omnes vt bonas admittere, vt si quam forsan inueniret, quæ asiduos conscientiæ stimulos, sine vlla vitæ mutatione dispelleret, hanc amplecteretur. Sed, quòd vera quies atque animi tranquillitas, sine vera fide haberi nequeat, frustra laborabat. Hanc vt diaboli illusionem ac fraudem illi auferret Deus, qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, aliquot ei flagella castigationesque immisit, quibus illum è peruicaciæ veterno excitare conatus est. Prima fuit, clades Sultani Morad, quem in Guzzaratum cũ numeroso exercitu aduersus Melioum Decani regem (ad quem olim Chaul ciuitas, quæ iam Lusitanico tenetur præsidio, quinquaginta aut amplius à Goa occidentem versus disidens leucis spectabat) profectum diximus. Filius igitur regis bello occubuit, simul & plurimi duces bello clari. Is ad eum delatus nuntius eo die, quo solennitatem celebrabat, quam nouum dicebant diem, Sole Arietem ingrediente; vt hinc colligere liceat, ob impium Solis cultum hanc illi cladem immissam. Sed non propterea suo sapuit incõmodo; at idem prosecuturus bellum, alterum filiorum, sui illi dato gladio, ac quadringentis aureorum millibus in viaticum asignatis, eodẽ emisit: ipse interim superstitioni suæ mordicus adhærebat. Immisit igitur alterum flagellum Deus, ipso Paschatis festo, anno M. D. XC. VII. eodem penè tempore, quo simile Chinensis rex per-

Prima regis castigatio fuit Sultani Morad clades & mors.

viso illum negotiis iam vacare, de conuersione per otium agere, atq; hinc accepta cælitus beneficia, illinc flagella immissa, quò illum ad agnitionem sui Deus pelliceret, in mentem reuocare decreuit. Sperabat siquidem hoc pacto illum inducere paulatim, vt maturè & non leuiter, vti hactenus iis, quæ salutis erant, auscultaret, & in animum iam admitteret; itaque solidum fidei Christianæ suscipiendæ propositum assumeret. Xauerius interim in grauem incidit morbum, quo bimestri fuit diuexatus, quo virum affectu rex prosequeretur, facilè tum patuit. Neq; enim de rebus necessariis dumtaxat prospexit abunde, ac medicum illi suum sæpe destinauit, sed ipse decumbentem etiam inuisit, quod singularis fuit beneuolentiæ argumentum: neminem siquidem inuisere solet. Sed conualescente Patre, rex ipse ad finem æstatis ex morbo cœpit decumbere. Xauerium interdum ad se æger euocauit, ac suum decumbenti conclaue intrare voluit, quod & maximis regni Satrapis permittere nequaquam solet. Labente igitur tempore, commodam nancisci Xauerius Regi de iis, quæ proposuerat loquendi occasionem non potuit, nisi postquam Lahor iam rediisset. Tanta porro in Caximiri rerum penuria ac fames tum erat, vt matres deficiente cõmeatu, quò se & prolem alerent, venales liberos exponerent. Funesto hoc motus spectaculo Xauerius, plurimos coëmit qui salutari aqua abluti puram mox animam creatori reddebant. Saracenus visa illius in innoxiam ætatulam compassione, suum illi gratis dedit filiolum; sed matri illum restitui data in alimentum pecuniæ summa. Quod verò eidem conferre Baptismi Sacramẽtum non fuis

Hieron. Xauerij morbus & regis.

Fames Caximirana.

fuiſſet auſus, veritus ne ſuperſtes in barbaro hoc ſolo Chriſtianam non duceret vitam; ecce mater ſummo mane fores pulſat, Xauerium aduocat, moribundum filiolum vt baptizet poſtulans. Paruit, comitantibuſque Luſitanis nonnullis ac patre annuente baptizauit. Sed mortuum pater etiã voluit circumcidere; ſed ſacrilegum hoc facinus impediens Xauerius poſtridie Chriſtiano ritu terræ mandauit. Idipſum & puero trimulo contigit, qui ad Patres à matre Mahometana delatus ſtatim à Baptiſmo exſpirans in cœlum euolauit. Sed ad propoſitum redeat oratio. Rex æſtate iam elapſa Lahorem vnà cum Patre Xauerio reuertit, impetrata cum ſocio præeundi venia, ne aulicis tumultibus impedimentiſque inuoluerentur. Quod rex haud illibenter conceſsit. Varias itinere hoc moleſtias ſubierunt, tum famis, tum frigoris, tum etiam viæ perdifficilis; tranſeundum quippe fuit per ſemitas adeo aſperas atq; anguſtas, vt ſolum equitem admitterent: vt lentè incedendum fuerit, ſæpeque iter interrumpendum, elephanto ſarcinis onuſto montes conſcendere non valente; qui pedibus fatiſcens, ne oneri ſuccumberet proboſcidi, velut ſcipioni innitebatur.

Hinc multi infantes Baptiſmo tincti ſaluati ſunt.

Elephas proboſcidi innititur vt ſcipioni.

Poſt multos anfractus & labores tandem XIII. Nouembris Lahorem peruentum eſt, vnde XIII. Maii diſceſſerant anno ſuperiore. Sereniore hic vultu ac maiori beneuolẽtia Pater cũ ſocio tum à ciuibus exceptus fuit, quàm ante. Lapidibus ſiquidem impetere ſolebant, aliaque inhumanitatis oſtendere argumenta. Paucos poſt dies rex cum principe ſecutus eſt, pleriſque equorum, elephantorum, famulorumque in via amiſsis. Nec minus vitæ diſcri-

men adiit Princeps. Venaturus leones is abierat, elephanto femina nullis dentibus armata vectus, quæ leunculos necdum adultos proboscide obtriuerat. Accedit interim leæna, rabie & furiis efferuescens, in Principem irruit, sanguineo dente petit. Telum is accedenti infigit; sed mortale non erat vulnus. Hac plaga accepta furens ferientem petit, dentibus, vnguibusq; dilaniatura; sed fistulæ sulphureæ, quam ad manum habebat, glande non inani conatu traiecit: nec hoc quidem vulnere tametsi letali, audaciores spiritus ferociamque eruit; verum maiori impetu in elephantum insiliit, tam vicino hosti, vt spuma, quam rabies exciebat, Principem inijceret. Hic periculo factus audacior, arreptum sclopum tanto impetu belluæ impegit, vt attonita & consternata in terram rueret. Iacentem miles gladio confodit, quo vulnere emortua est: prius tamen seipsam vlta percussorem discerpsit. Hoc è periculo eduxisse Principem videtur Deus, vt, cum rebus Christianis sit addictissimus, eo forsan instrumento vtatur ad multorum salutem, Ecclesiæque augmentum, vbi paternum regnum adierit.

Leænæ rabies amissis catulis.

Natalitiis Christi festis, Benedictus à Goes Xauerii socius, præsepe & incunabula Saluatoris Bethlemitici in templo recens exstructo, tam eleganti, piaque curiositate concinnauit, vt non Christiani modo, sed & Saraceni, & Ethnici passim ad spectandum confluerent. Tantus porro spectantium fuit concursus, vt ad octauam Epiphaniæ incunabula in altari manere opus fuerit. Exhibita nocte natali à quibusdam adolescentibus pastoralis ecloga, Persica lingua, natiuitatem Dominicam repræsentans, sententiis aliquot Indostanis permixtis.

Præsepe Bethlemiticum.

mixtis. Placuit hæc incolis ſimul & Saracenis, vt plerique longe aliam de Chriſtianis, eorumque lege opinionem, quam prius conceperint. Nonnulli præ animi ſenſu in genua prouoluti Chriſtum in imagine adorabant, quaſi verè in præſepi reclinatum. Sed Ethnicis hoc drama placuit magis quàm Turcis; hinc illorum nonnulli votis ſe Dei matri obligare, & ſinguli pro facultate donarium aliquod offerre.

Inter cæteros attulit munuſculum mulier gentilis; quæ doni cauſam rogata reſpondit; Petii à Bili Maria, hoc eſt, à Domina Maria (ita enim Beatiſsimam Virginem nominant) filiolum; voti compos facta, in accepti beneficii memoriam hoc illi munuſculum defero. Neque ſola plebs & infima multitudo erga fidei noſtræ myſteria afficiebatur, ſed & proceres, & Optimates. Quos inter vnus, neſcio quid poſtulaturus, duos obtulit cæreos, quatuor pedum, ea ſpiſsitudine, vix vt duabus manibus ſtringi poſſent. Ex his vnum clauſis in modum orantis & meditantis oculis, Patri Xauerio obtulit, vt in cultum & honorem Saluatoris Ieſu Chriſti (ita dixit) arderet. Eodem ritu dedit & alium, vt in honorem Dominæ Mariæ accenderetur, Deinde in eleemoſynam triginta aureos erogauit, quos in Chriſtianos indigentiores, Patres diſpertiti ſunt. Ipſe etiam Princeps, regni heres, inſignem erga fidem noſtram affectum demonſtrat, præſertim cum data occaſione eandem tueatur, ac pro viribus defendat, ſuumq; in Chriſtum ac Deiparam amorem publice profiteri non ſit veritus, illorum namq; imagines in conclaui tenebat, quarum aſpectu inprimis delectabatur. Si quam Luſitani, aliive Chriſtiani, qui in regia

Mulier ſterilis ethnica, Deiparæ ope fit ſecunda.

Principis erga fidem affectus.

agebant, imaginem ex India Lusitaniave nancisci similem poterant, eandem illi quamprimum deferebant, cum scirent pergratum hoc illi officium fore. Sed vnica eum à fide nostra suscipienda impediebat libido, carnalisq́ voluptas; hinc quadam tempestate Patribus ait: Si plures Euangelium vxores admitteret, à plurimis reciperetur, cætera namque illius instituta ac dogmata sancta sunt, & cum ratione coincidunt. Et sanè mirum nemini debet, si in temperanda libidine, tantum difficultatis sentiat, cum trigesimosexto ætatis anno nondum completo, viginti iam vxores sibi copularit. Sed iam satis de Principe, ad Regem redeamus.

Interim literas à Patre Prouinciali rex accepit, quas Xauerio ille miserat regi offerendas. Atque vt nefas est in oriente, vacuis in regis cōspectum prodire manibus, Prouincialis nomine duas illi imagines scitè elaboratas obtulit è Iapone transmissas. Vna Christum Dominum; B. Ignatium Loiolam exprimebat altera; quæ illi pergratæ fuere, & inprimis B. Ignatii; quòd noua esset, & inuisa hactenus. Cuius ea esset effigies, percontatus est. B. Ignatii esse respondit Xauerius, hincq́ sumpta occasione, vitam illius paucis enarrauit. Placuit regi narratio, eamq́ Persico transferri voluit idiomate, quo ad subditos etiam fructus dimanaret. Interuenit sermonibus hisce princeps, visaque imagine, postulauit eam tantisper sibi concedi, dum similem à pictore fingi sibi curasset. Alio die cùm regem Xauerius salutandi causa adiisset, tradidit illi litteras à P. Prouinciale acceptas, vt coram proceribus illas publicè euolueret. Fecit, primò Lusitanicè, deinde in Persicam linguam transferendo. Inter legendum,

Litera P. Prouincialis ad Regem.

lætari

lætari se externis quibusdam signis rex ostendebat, quòd Prouincialis ob collata in socios beneficia & beneuolentiam infinitis se nominibus regiæ Maiestati deuinctum, ideoque omnibus suis, vt pro regia incolumitate Dominum Iesum precarentur, edixisse, scriberet. Ad quam sanctissimi nominis prolationem cùm caput detegeret Xauerius, summaq; reuerentia inclinaret; rex exhibitæ à Patre S S. nomini Iesu reuerentiæ rationem redditurus, apprehensa illius dextra, circumstantibus aperuit; apud Christianos scilicet nomen hoc religiosum esse, atque ideo Patrem inter legendum caput aperuisse, tum ad legentem conuersus, itane se res haberet, petiit; ita esse dixit Xauerius. Lecta Prouincialis epistola, legit & P. Monserrati, qui cum Rudolpho primus in Mogor profectus erat, & post sexennem captiuitatem, vt supra suo loco retulimus, iam Goam reuerterat. Captiuitatis causam scire Rex voluit, curve tam inhumanos se erga illum Turcæ exhibuerint. Vnicam horum causam ait Xauerius innatum Saracenis in Christianos ac præsertim in Socios, odium; quos quomodocunque possunt, pessimè excipiunt, quòd sectæ impiæ pro viribus aduersentur: cùm econtra diligere eos oporteret, quòd salutis eorũ desiderio in præsentissima se vitæ pericula coniiciant. Neque multum temporis intercessisse, cum P. Abrahamus Georgius, eiusdem Societatis, Æthiopiam aditurus, ob fidei Christianæ confessionem & Mahometanæ repudium, cæsus esset. Offendit plurimos hoc sermone Saracenos adstantes; hinc ex eo numero, quidam Patrum intimus, monuit, vt cautè & prudenter de Mahometana lege ageret. Nullus quippe, inquit, hic

Item P. Monserrati, cur à Turcis hic captus sit.

Saracenorũ in Christianos odium.

hic adest Maurus, quin tuum sitiat sanguinem, cum legem hanc criminaris; atque ego ipse, qui tibi sincerus & integer amicus sum, quoties te Mahometo aduersantem, illiusq; dogma calumniantem audio, sic indignor, vix vt manum contineam, quin ferro te petam. Adeo mihi displicet hic sermo.

Cæterum Rex quamuis de re Christiana loquentes libentissime audiret, stolidæ Solis adorationi ita deditus erat, vt illius ad manum semper imaginem haberet, quam quotidie sub Solis ortum adorabat. Deinde tanta illius in fide suscipienda erat fluctuatio, vt quo vergeret, nesciret. Narrabat quodam tempore Patri Xauerio, à viginti se annis triginta pueros, priusquam vllas efformare voces possent, loco cuidam inclusisse, & adhibita custodia impediisse, ne nutrices, quæ lactabant, patriam illos linguam edocerent. Itaque experiri se voluisse, quodnam idioma iam grandiores natu loquerentur, atque illius gentis leges sequi, cuius lingua loquerentur, decreuisse. Sed irritum hoc tentamen fuisse; nullum enim distincte & intelligibiliter proferre verbum potuisse; ideoq; se legem mutare ac religionem nolle.

Aduersitas Patribus imminet. Ea licet Regis in Patres esset beneuolentia & amor, non deerant tamen aduersitatum procellæ & turbines insurgentes. Referam è plurimis vnam, quæ hoc habuit exordium. Armenus erat in Lahor Christianus, sed moribus Saracenus aut Gentilis potius. Hic mortuæ vxoris neptem incestuoso sibi matrimonio volebat iungere. Assensum præbere nolebant Patres; Regis igitur hoc auctoritate imperioque obtinere voluit, aut saltem illorum simulationem. Euocantur igitur à Rege: cumque subitæ

euocationis causam suspicarentur, non ferro & armis, sed patientia & precibus (armis sane validissimis) armati ad regiam properant, Deo re per orationem, prout breuitas temporis patiebatur, commendata, vitam ponere potius parati; quàm incestui assentire. Iuere Xauerius & Pinnerus, Benedicto à Goez domi relicto, qui tametsi aulam exosam habeat, hac tamen nocte illorum esse socius voluit, quo supplicii & coronæ martyrii ob assertam veritatem, si opus foret, subeundi esset consors. Repulsam passus, interea dum Patres in regia versarentur, Christianos & Catechumenos puerulos, quos poterat, conuocauit, eosque ad mortem pro fidei Christianæ confessione generose oppetendam animauit. In terga deinde flagellis sæuitum, & oratio instituta, vt Patribus vires subministraret Deus, quò cunctos inimicorum impetus retunderent, & Regi incestum Armeni promouenti, animose resisterent. Sed secus quàm putarat, rei fuit exitus. Quamuis enim omnem Rex moueret lapidem, vt matrimonio huic Patres assentirent; viso ad mortem hoc nomine subeundam illos esse paratissimos, vlterius instandum minime censuit; offendit illum tamen liberior Xauerii responsio. Petierat Rex, ecquod scelus foret duas sorores, aut alterutrius filiam in coniugem accipere, & suam sectam sequi? (Armenus enim videns se Christianum hoc impetrare nō posse, regium dogma admiserat) respondit Hieronymus Xauerius: Relicto, hoc esse, cœli tramite, infernalem insistere; & Armenum, & quotquot impiam hanc sectam sequerentur, indubie inferis deuotos. Displicuit Regi viri libertas, qua legem à Rege adinuentam, coram

Rex consensum in incestum extorquere à Patribus vult.

Liberum Xauerij responsum.

coram omnibus proceribus, condemnare videbatur. Dissimulauit tamen indignationem, & vultus compositione cōceptum animo rancorem texit. Non minorem verò intrepida hęc libertas in animis omniū circumstantium admirationē excitauit; dum Christianos promptos & paratos vident ad sanguinem pro legis suæ defensione fundendum, longe aliâ quàm quæ Mauris est constantia, qui ne minimum incōmodum pro Alcorani sui tuitione & obseruatione sustinent. Re tota ad principem delata, Armeno ob fidem eiuratam succensuit, ostenso non obscuris signis desiderio castigandi hominis, in paternam indignationem vereretur.

Multi baptizati in Lahor. Sed in locum Armeni huius, qui fidem abiurauit, anno M. D. X C. V I I I. multi infideles in Lahor eidem nomina dederunt, & Baptismo tincti sunt, sed nonnisi ii, quibus vitæ longioris nulla spes esset: Aliis enim baptismus initio nō conferebatur, ne forte à fide, si diutius viuere contigisset, deficerent. Est quippe gens inconstans, & in horas nutans. Horum tamen duo, morti proximi, baptismo suscepto, vnà cum animæ vita, salutem sanitatemq; corporis nacti sunt. Saraceni quoque nonnulli suos Lahorem duxere filios vt salutari baptismi aqua tingerentur, cuius compotes facti quamprimum emorientes, cœlum petebant. Quidam è primoribus cum eadem ipsa hora, qua Christus mundi Saluator è Virgine natus est, vxor illi filiolum peperisset, templo illum coram præsepi Dominico intulit quem mox ablui voluit, ipse quoque cum vxore in Catechumenorum numerum adlectus, Christianæ fidei mysteria doceri voluit, vt iisdem satis ambo instructi bapti-

baptiſmo tingerentur. Non eadem fuit alterius matris ſors, ſed melior prolis. Mulier hæc Mahometana cum ipſa Paſchatis vigilia prolem enixa eſſet viginti poſt dies eundem à Patribus baptizari petiit. Sed cum vicinæ eam & propinqui iniuriis proſcinderent, quòd prolem Chriſtianam haberent; indignata ſibique ipſa ſuccenſens, ſed fruſtra, filio necem parat, venenum lacti immiſcens. Pridie enim Aſcenſionis Dominicæ, anno M.D.XC.VIII. decimooctauo à ſuſcepto baptiſmo, & quadrageſimo à natiuitate die, cum die & media, grauiſsima tormina conuulſionesq́ ſtomachi toleraſſet, quod fletu, lacrymiſque ac totius corpuſculi inſolita agitatione declarabat; Chriſti fidem non loquendo, ſed moriendo confitens, animam reddidit. Puer hic, teſte P. Pinnero vultum adeo ſplendidum elegantemq́ habuit, vt qua in cœlo fruebatur gloria, inſolitus fulgor declararet.

Martyriū puelli innocentis.

Eodem penè tempore Echebar Rex Lahorem reuerſus, præmiſſo in bellum aduerſus Melicum regem Decani, qui Sultanum Morad, regis ſecundogenitum profligaſſet, filio altero, ipſemet magna militum manu ſtipatus expeditionem aggredi voluit. Lahore igitur Agram contendit, quæ vrbs regni cognominis, quod paulo ante vi ſubiugarat, caput eſt. Hæc cẽtum vel circiter à Lahore diſtat leucis meridiẽ verſus, quò curſum dirigebat. Regnum quippe Decani magis ad meridiem vergit. Tanto porro apparatu, comitatuque profectus eſt, vt ad tentoria illius deferenda octingenti elephantes, & ſeptem camelorũ millia non ſufficerent: quod nulli mirum videri debet; illius namque ſecretarins ſeptingentos camelos & ſeptuaginta ele-

Rex Mogor ad bellum proficiſcitur.

ta elephantos, ſuis rebus onerauerat. Xauerius comperto Regem in expeditionem propendere, ſe, ſi videretur, comitem obtulit; idq; multas ob cauſas, ac præſertim vt conceptam de Christiana religione opinionem, & in ſocios obſequium affectumve nõ intermitteret. Placuit Regi hæc Patris oblatio, eumque eſt amice amplexatus. Dari illi ergo pecuniam, equos, camelos, ſimul & elephantos inſterni, cunctaq; quæ poſtularet, parari iuſsit. Vnum ſibi & ſocio camelum ſufficere dicebat Xauerius, ſed quaternos accipere coactus debuit. Hæc Regis expeditio vicinos Reges perterruit; nec immerito. Valebat enim viribus, & magna hominũ multitudine limitibus illorum imminebat. Agram vbi peruenit, ad annum ſubſtitit. Interea Xauerii non quieuit induſtria. Copia quippe illi à Rege facta alios Lahorem ſocios euocandi, vt ibidem ſedem figerent, ac Patri Pinnero, qui illic ad neophytos in fide & pietate continendos remanſerat, conciliarentur. Non porro abs re videbitur P. Xauerii cũ rege colloquium XVI. Iulii anno M.D.IXC. inſtitutum paucis complecti. Oportune ergo regem adiens, ſoli magni momenti rem ſe communicare velle, ſi modo Regiæ Maieſtati videretur, ſignificat. Rex à frequentiori turba ſemotus Xauerium, quid velit, percontatur. Tum ille, literas à Prouinciale noſtro accepimus, inclyte Rex, hocce argumento: Quinquennium iam in regia egiſtis, quo patrium idioma addiſceretis, ipſum percallere vos iam nemini dubium eſt. Regem igitur rogabitis, cùm Euangelicæ prædicationis audiendæ cauſa vos exciuerit, quid de vobis ſtatuere velit, vt quid mihi de vobis agendum ſit, eadem opera intelligam. Hiſce literis perlectis,

Xauerius illum ſequitur.

Alios Patres Lahorem euocat.

Xauerij cum Rege colloquium

perlectis, Xauerius de suo hæc adiddit. Et sane nō parum angit nos, tanto in regia vestra tempore sine vllo prorsus fructu versari. Omni ergo animi contentione poscimus, vt beneuolas nobis aures, vti, dum huic primò appulimus, Maiestas Regia spoponderat, accommodet, vt quæ salutis sunt, ediscere queat. Hoc quippe ad veritatis cognitionem, quam ediscere se velle testatur, inprimis necessariū est. Tū rex: Fateor veritatis vos cognoscendæ desiderio à me euocatos, vt quod rationi conformius & conuenientius; deindè amplectar. Sed modo Decan proficiscor, & haud procul Goa sedem figam; tum omnibus me negotiis expediam, vosq; per otium benignus audiam. Deinde hæc subiunxit: Huius ergo vos euocaui, sed sine interprete vobiscū agere decreui, & aurem præbere monentibus. Parumne vobis in me videmini profecisse, cum eo, quo Saraceni in regno præualebant tempore, omnis Christum, verum esse Deum confitens mox neci daretur; & modò vos libere, sine vllo metu, ipsum & confiteri ac prædicare possitis? Ita se rem habere non negabat Xauerius, eoque nomine singulares gratias agebat; iterum obsecrans, vt Christianæ fidei expositionem, tum suæ salutis, (quam inprimis exoptabat) tum subditorum ergo, tum inprimis vt aliquem laborum fructum caperent, benignus audiret. Facturum se spopondit, atq; ita Patres à se dimisit. Sed iterum Lahorem redeamus. Pinnerus interim dum Xauerius Agræ cùm Rege abesset XXXVIII. Catechumenos baptismo lustrarat, atq; inter eos tres vrbis incolas gentili prius superstitioni deditos. Amici & consanguinei piæ horum voluntati obstare conabantur, sed illi inuincibili XXXVIII. *Gentiles Lahore baptizati.*

constantia obstacula omnia perrumpebāt. Affines namque occulta consilia & conuenticula inire, dum metuunt, ne si alii publice Christianam legem amplecterētur; in legis hoc suæ dedecus infamiamq; redundaret. Sed ea neophytorum fuit constantia, vt satanā, eiusq; asseclas omnes superarint: vt ipso Pentecostes die vna cum aliis anno M. D. X C. I X. magno omnium plausu & lætitia baptismo admoti sint. Strata erat & obtecta, qua huic sacro agmini incedendum erat, ramis, frondibus & viriditate herbarum via, plantatis vtrimq; arboribus, hac vt ratione viridans densam opacamq; siluam referret. E Patrum domo egressi composito ordine, supplicantium ritu palmas manibus gestabant, Christianis vtrimq; latera claudentibus. Præibant omnigena musica instrumenta, tympana, tubæ, buccinæ, tibiæ, factoq; gyro quodā & ambitu per stratum & consitum floribus vicum ad templum progressi sunt. Quibus cum P. Pinnerus iniecto humeris pluuiali ac superpelliceo, vt vocāt, occurrisset, benignè eos excepit. Ad hanc pompam apparatumq; solennem huic ciuitati nouum & insolitū, tanta Ethnicorum multitudo confluxit, vt quam in partem se ille cōuerteret nesciret, tantusq; erat strepitus & murmur acclamantis populi, vt sacris perfungi nō posset. Tandem præmissis ante valuas consuetis ritibus in templum inducti & magna alacritate, ac candidati huius agminis gaudio baptismo tincti. Varia & obseruanda in hac sacratiori actione contigerunt; sed ne longius abeam, adolescentulæ sextum decimum necdum ætatis supergressæ annum vnicum afferam exemplum. Hæc igitur cū reliqua multitudine ad sacros hosce & solennes ritus aduolans,

Catechumenorum processio.

Baptismus puellæ notatu dignus.

lans, aliorum videns capita aqua tingi, iisdem se permiscens, palam eodem petiit sacramento expiari. Sed cũ de Catechumenorum numero non esset, respondit Pinnerus, alio tempore vbi amplius profecisset, & instructa esset, quod petebat nõ difficulter impetraturam. Ad hæc illa desiderio efferuescens: Et quid mihi deest? Catechismum, & ad fidem spectantia iam audiui. Quapropter Christianis adiungi volo, neque templo, nisi baptizata recedam. Illius perspecta constantia, perseuerantiaq; Pinnerus, vbinam fidem edocta esset, percontatur. Tum, inquit, cum alii docerẽtur. Periculũm fecit catechista, & satis sufficienterq; illam instructã comperit. Illius itaq; precibus cedens baptismum contulit, Gratiæ illi nomine imposito. Hæc demum reuersa, clamoribus, contumeliis, omniq; iniuriarum genere, hanc ob rem, à parentibus obruta, omnia æquo animo pertulit: eoq; furor & rabies progressa, vt domo eiectã necessario alimento priuarent, templi aditu interdicerent, fustigationem insuper ac verbera cõminarentur, si quid horum ad Patres referret. Maurus ergo, maligno agitatus dæmone, quo eam à Christianis sacris omnino auerteret, illius nuptias ambiuit; dum sperat eam à suis derelictam, mox desperatione actam assensum daturam. Sed Christiana adolescentula sacrilego matrimonio obstitit, dicens se baptismo tinctam, & sanctiori lege ab illius coniugio prohiberi. Hęc cum ad Pinneri aures peruenissent, curauit illam ad se vocari, vt ad constantiam, si forte nutaret, adhortaretur. Illa breuiter & libere professa, etiamsi mors appetenda foret, se cõstantem in fide Christiana permansuram, nec promissæ in baptismo sponsionis obliturã.

Ob fidem variè affligitur.

Certus itaq; de illius constantia Pater ad ædes cuiusdam Christiani coniugati destinauit. Interim Maurus, qui nuptias ambibat, magnos clamores & turbas cōcitauit, eoq; furentis deuenit insolentia, vt qui Indostanorum ingenia naturamq; ignorasset, non parum timore perculsus fuisset. Parentes ergo cum animaduerterent nihil prodesse denunciationes & minas, quas obiecto regis imperio & infamis Mahometi indignatione, spargebant; vrbis Præfectum adierunt, Pinnerum criminantes, quòd insciis & inuitis parentibus filiam baptizasset. Misit hic ad Patrem, qui rei veritatem & caput inquireret, & puellā ad se euocaret, eandem de re tota examinaturus. Præfecti volūtate comperta, Maurus, qui nuptias ambibat, multis stipatus, domum Christiani circumcingit, credēs se iam manibus tenere, quam petebat vxorem. At Pinnerus detectis insidiis, fido validoq; comitatu alia via, magno Mauri cum dolore puellam destinauit. Verum cum postmodum intelligeret, varia esse quæ obtenderentur argumenta, Iudicum fidem obtestantibus aduersariis, quòd factum Alcorano regiisq; legibus aduersari dicerent, adductis etiā in suam sententiam, omni mora præcisā, ad consessum Iudicum accessit; ac disponente Deo tum appulit, cum præfectus multa à puella quæreret. Cui illa viriliter & animo plusquam muliebri, Christiana sum, neu hunc maritum agnosco; apprehensoque Pinneri pallio: Istum, inquit, vt Patrem habeo. Rogata, cur Mahometi legem repudiasset; quod falsam & plenam erroris, ait intelligerem, solumq; Iesum Christum verum esse Deum scirem. Vidisses ad hæc responsa stridentes dentibus Saracenos, & præ pudore erubescen-

bescentes, quin & præ bile candescentes, stupentes & attonitos, conspecta adolescentula infirmæ adhuc ætatis tam constante, tamq; in fide Euangelica perseuerante, quasi cum lacte nutricis religionem imbibisset: cum tamen vix quadraginta diebus Catechismum frequẽtasset. Victrix tandem satana eiusq; asseclis superatis, magna Dei tum gloria tum aduersariorum confusione euasit. Præfectus namq; illius visa constantia, quam amplexa erat, legis sequendæ copiam fecit: Eam igitur ad templum reuersã Pinnerus Christiano matrimonio iunxit, neq; obstitere importuni Mauri clamores, eam sibi in vxorem deposcentis. Is rei fuit exitus, atq; is rei Christianæ in Magni Mogor regno ad finem anni M. D. XC. IX. status. Hanc deinde missionem Patres nostri assiduò frequentarunt, plurimique in Lahor, vbi socii vt plurimũ resident, Christo aggregati. Sed quod rei caput erat, conuersio regis Echebar minime successit, qui ad finem Octobris, Anno M. D. C. V. in eadem fidei fluctuatione anceps (nisi forte resipuerit) diem clausit. Patres supremo illius morbo comperto illum quidem seriò admonere voluissent, eamque ob causam regiam adierãt: at quod letalem esse morbum, & morti adeo vicinum illum non crederent, in aliud tempus opportunius monita distulerũt. Sed (proh dolor!) viuum deinceps non videre. Nam biduo aut post venenum, quo obiisse creditur, præcordia ita occupauit, nullum vt magni momenti negotium tractare potuerit. Ita Deus deserere solet eos in morte, qui viui ipsum deseruere, & sanctos, quos immisit afflatus neglexere. Sed hæc hactenus de regno Cataiæ detecto iam nonnulla depromamus.

Victrix euasit.

CAPVT XVI.

Hieronymus Xauerius cum in Magni Mogor regia versatur, in regni Cataiani notitiam venit; quid de eodem intellexerit.

PRiusquam Echebar rex Lahore Agram peteret; ecce tibi, Hieronymo Xauerio cum Principe in regia colloquente, sexagenarius subito apparet institor, religione Mahometanus. Principe salutato, interrogatus, vndenam veniret, iam recens se è regno Xetaiæ venire affirmauit; quod Xauerius idem esse omnino credit, quod Cataiense; quorum meminere M. Paulus Venetus in Itinerario, & Aito Armenus in historia, ac nuperi scriptores, qui in Tartaria idipsum aut nō procul inde constituunt. Princeps vlterius percontatus, quodnā id regnum foret, quantoq́ue ibi esset tempore commoratus petiit. Tredecim, inquit alter, annis, in regni Metropoli, quam Xambalum appellabat; quæ eadem omnino cum Cambalu: quàm auctores superiores quatuor & viginti aut triginta & duo (aliorum supputatione) milliaria in circuitu patere dicunt. Hanc Regum sedem esse, quorum maxima potentia, mille namq́ue quingentas regnum hoc vrbes habet, ac nonnullas frequentiores. Vidisse Regem sæpius se asserebat, at hunc nisi scripto compellari, vel dum quid petitur vel aliud significatur, non respondere verò, nisi Eunuchorum semper astantium interuentu. Petebat Princeps, qui regnum hoc ingressus esset? titulo, inquit, legati à rege Caygareno destinati; se tamen in primo regni limite à præfecto loci detentum, donec regem inspectis prius literarum sigillis, de aduentu illius certiorem reddidisset. Tunc namque nuntium citatis equis ad regem missum; qui infra

Xetaia vel Cataia regnum.

Xambalu vel Cambalu Cataia corpus, eius circuitus.

M. Paulus Venetus lib. 1 Itiner. c. 7. Ortelius in Tartaria.

mensem reuersus regiam adeundi facultatem attulit. Mutatis.n.ad singula loca equis, more Europæo, quàm celerrimè ad locum, etiá dissitum perueniunt. Vt quotidie centum Italica milliaria vel vigintiquinque trigintave leucas nostrates conficiant. Toto sibi itinere nullam irrogatam dicebat iniuriam, quod omnes locorum iudices suum cuique ius exacte administrent; & in prædones grauiter seuereq; animaduertant. Rogatus quæ incolarũ esset forma, pulchriores se nullos vnquam vidisse asseuerauit, Rumisq; etiam, id est, Europæis (hoc namq; nomine Orientales, Turcas, Europæos, Constantinopolitanos, & Græcos, à Romæis, orbem olim vniuersum & maxime Europã, suo frenantib⁹ imperio, deducta deriuatione nuncupant) pulchritudine præstare. Promissam viri, inquit, plerique alunt barbam, viri æquè ac mulieres candido colore sunt. Plerosq; aiebat esse Isauitas, vel Iesauitas, id est, Christianos: hoc enim nomine à Iesu origine deducta, hic dicuntur, quasi Iesuitas dixeris; vt in primigenia Ecclesia, à Christo Christiani nominabantur. Rogatus, omnes num Iesauitæ forent? Nequaquam, inquit: Sunt etiam plurimi Mussauitæ, id est, Iudæi; quòd Moyses illorum lingua Mussau dicatur. Sunt quoq; Mahometani nonnulli. Rex autem, petebat Princeps, anne Mahometanus? Nondum, inquit Mercator, sed breui speratur futurus. Quod autẽ colloquium interrumperetur, Princeps Xauerio gratificaturus, mercatori diem constituit, quo ad regiã rediret; velle enim se & alia de regno hoc inquirere. Sed moræ pertæsus Xauerius cognoscendiq; ardens desiderio, ante præstitutũ tempus vltro mercatorem adiit, quam incolæ religio-

Incolæ plerique Christiani sunt.

gionem profiterentur accuratius inquisiturus. Plerosque mercator iterum dixit esse Iesauitas, seque cum eorum plurimis familiariter egisse. Hos templa habere, & nonnulla magnitudine immensa, in quibus fictæ pictæq; imagines, atque inter cæteras crucifixi Saluatoris, conspicerentur, & has magno in honore haberi. Singulis templis sacerdotem præesse, quem sui colerent & muneribus variis condecorarent. Petebat Xauerius, num quis hic Episcopus foret? quid Pater vellet, non intellexit mercator. At cum planius rem exposuisset; inter sacerdotes quendam esse aiebat, auctoritate qui cæteris præesset. Illorum quoque referebat continentiam illibatamque castitatem, & ludos literarios, in quibus iuuentus excolebatur, quæ deinde ad sacros ordines eleuaretur. Hi omnes regio aluntur ærario; illius etiam opibus noua struuntur templa & ruinā minitantia restaurantur. Patres insuper, id est, sacerdotes, tunicis induuntur nigris, & pileum gestant, qualem Xauerius, sed paulo maiorem. Si quem per viā salutauerint, caput non aperiunt, sed manus ante pectus iungunt, digitis sibi mutuo implexis. Pallia nonnunquam gestant, sed feriatis, festisq; diebus puniceo colore vestiuntur. Cæteri qui sacerdotio insigniti non sunt, nigris vt plurimum vestiuntur, sed festis diebus puniceis. Regem addebat sæpius templum adire, q̃ Christianus foret, esse quoque vtriusque sexus plurimos, qui ab aliis & strepitu populari semoti solitariam rigidamq;, perpetuo in cælibatu vitam ducerent. Esse & alios, qui domi suæ perpetuam castitatem colerent, ac nullo se matrimonio iungerent. Incolas vt plurimum locupletes & opulentos esse; regnum argentifodinis

Templa habent & imagines.

Sacerdotum castitas.

Vestis.

fodinis abundare, è quibus maximos Regem eduxisse thesauros, & in munitissimis regni vrbibus asseruare. Quadringentos hunc semper paratos habere elephantos, ad bellum exercitatos, qui è Malaca deferebantur. Multos etiam institores Peguanos cōmercii gratia in Cataiam traiicere, & medio iter omne anno confici. Hæc è literis Xauerii ad Prouincialem anno M.D.XC.VIII. Iulii XXVI. Lahore datis deprompta sunt. Sed dein Agram cum rege reuersus, ab aliis, qui in Cataya se fuisse dicecerent, eadem quæ mercator retulerat, inquirens, vera esse comperit; vt literis suis sequenti anno Kalendis Augusti ad eundem Prouincialem datis testatur. Sunt qui iter in Cataiam per Bengalam & Garagati regnum, in quo Magni Mogor imperium terminatur, patere dicant. Sed mercatores, qui viarum norūt compendia, Lahore Caximiram petunt, ac deinde per Rebati regnum (cuius Rex Magni Mogor socius & amicus) rectâ Caigarenum tendunt; atque hinc facilis & breuis ad primum Cataiæ emporium, quod à Christianis mercator incoli aiebat, via patet. *Via in Cataiam.*

Iisdem in literis suum cum rege hac super re colloquium Xauerius commemorat. Superior noster, Inclyte rex, certior factus est, plurimos in Cataiæ regno Christianam religionem profiteri. De quibus abhinc trecentis aut amplius annis nihil dum certi in Europa compertum habuimus; cum quòd à reliquis Christianis magno sint locorum interuallo disiuncti; tum verò quòd omnis regio, qua transeundum est, bello hactenus assiduò flagrarit. Tres quatuorve nostrorum eodē missos vellet, qui rei Christianæ hic statum explorarent, incolasque pro

viribus in viam ſalutis reuocarẽt. Noſtri quippe inſtituti eſt, contemtis periculis, per orbem ad animas Deo lucrifaciendas, diſcurrere. Tum rex patria lingua, *Rahat met Xoda*, id eſt, Dei ſuper te benedictio deſcendat: & elata nonnihil voce, Societatis inſtitutum & ſcopũ dilaudauit. Xauerius deinde progreſſus vlterius, Prouincialem, ait, comperto non eſſe iter in Cataiam compendioſius, quam per Regiæ Maieſtatis imperium, flagitare quam poterat maximè, ne, ſi alios Lahorem ſocios deſtinaret, eò mittendos, regi graue foret, in protectionem illos ſuam ac tutelam admittere. Veniant, inquit rex, meum inſuper legatum addam, qui cum tuto ſe dare itineri queant. Et ſane, adnectit Xauerius, percõmode: quidquid enim à Cambaia ad vſque Lahorem interiacet, Magni Mogor ditioni paret, inde in Badaxam tenditur, cuius rex Mogori vectigalis, tres Lahore olim habebat filios, qui vna cum aliis dynaſtarum & optimatum filiis Luſitanicã à Patribus primis linguam edocebantur. Patrum ergo hi fuere diſcipuli, atq; is qui modo Badaxæ regnum tenet, horum frater eſt. Adeo vt huius ope, & Magni Mogoris accedentibus literis, facilis in Cataiam, vt diximus, pateat via. Hæc ſunt quæ anno M. D. X C. I X. P. Hieronymus Xauerius ex aula Magni Mogor ſcribebat; at illius dein ſocius Benedictus à Goez eodem, ad iter regionemq; detegendam miſſus: ſed quod nondum eò peruenerit, nihil dum compertum eſt. Sunt porro qui Cataiam Chinenſe regnum exiſtiment. Sed hac de re vberius in Chinenſi, quam iam exordimur, hiſtoria loquendum.

M. Mogor opem pollicetur iis, qui in Cataiam mitterentur.

CAPVT

CAPVT XVII.

De regno Chinarum, de latißimis illius terminis; de nomine, item fertilitate atque opulentia.

QVæ de China commemoranda sunt, adeo quidem ampla lateq; patentia sunt, vt admirationem apud nonnullos potius quàm fidem habitura videantur. Tantorum tamen, tamq; grauium auctorum ea sunt confirmata testimoniis, nullus vt sanæ mentis maturique iudicii, mea quidẽ sententia, veram dubitandi occasionem habere posse videatur; cum tot oculati testes, & quidem religiosi, eadem auctoritate sua & calculo confirment. Primus ni fallor, qui nostra ætate Chinensium res tradidit, fuit religiosus Ordinis D. Augustini, qui quæ scripto mandauit, è fratrum suorum, qui regionem ipsi adierant, vt suo post referemus loco, monumentis mutuatus est. Tantopere porro scriptum placuit, vt ex Hispanica lingua in peregrinas, Chinensis historiæ nomine, translatum sit linguas. Est & aliud scriptum de Chinensium admirandis, quod ab Alexandro Valignano Neapolitano, qui ob singularem, qua pollebat, virtutem, prudentiam, regendiq; peritiam, vigintiquinque & amplius annis, Indiæ prouinciam aut rexit, aut visitauit, compositũ & in Europam transmissum nonnulli volunt. Quod verò, officii causa, sæpe ex India in Iaponem, aut vice versa, traiiceret, & plerumque in transitu Chinā adiret, hinc quæ ad regionis situm & mores pertinebat, accurate inquisiuit, ac scripto committẽs, in Europam destinauit. Permulti deniq; Patres Soc. qui post annum seculi superioris 82. Chinam subierunt, & ad interiora regni profecti sunt, in suis postea literis multa de moribus, institutis, legibus, reipubl.

Qui de China scripserint.

forma,

forma, ac regni potentia perſcripſere: ac præſertim P. Iacobus Pantoia, in literis Paquino, quæ regum ſedes, anno M. D.C.I I. menſe Martio tranſmiſsis; in quibus, velut ex propoſito, ac teſtis oculatus cuncta Chinenſium inſtituta enarrauit. Nam ſexcentas & amplius leucas, in regni interiora profectus, regiam ſæpius ſingulari priuilegio, ac rariſsime, prǽſertim ethnicis, dari ſolito, ingreſſus eſt. Ex his aliiſque ætatis noſtræ ſcriptoribus ea quæ dicenda occurrunt, deprompſimus. Vt verò certo quodam ordine ſcribendi procedat ratio, ad quatuor eandem capita reuocabimus: primum regionis ſitum, limites, fertilitatem & opulentiam complectetur: alterum prouincias, vrbes, & opida, incolarum multitudinem, induſtriam, mores, inſtitutaq́ continebit: tertio regis potentia, diuitiæq́, reip. forma, quam ſeruari vult, ac quæ inde commoda, incommodaque proueniunt, recenſentur. Vltimo Chinenſium declarabitur religio, videbimuſque num Chriſtianam olim religionem edocti ſint. Ad primum igitur procedamus.

Chinæ limites. Chinenſis regio (vt hodie vulgo dicitur) vltima terrarum Aſiæ, & plus aliis orientem reſpiciens; ac proinde & Africæ & Europæ. Ab Oriente alluitur vero Oceano Orientali: nam Indicus, quem Priſci Eoum dixere, proprie Orientalis non eſt, cum qui Chinam alluit, Indico magis ad Orientem ſpectet, & ille, huius reſpectu, Occidentem potius reſpiciat. Ad Meridiem limes eſt promontorium, quod Luſitani terram altam nuncupant; in decimooctauo latitudinis ſeptemtrionalis hoc ſitum eſt gradu, ex oppoſito Ainanis inſulæ, gemmarũ piſcatu nobilis, quæ regi Chinenſi paret. Ab hoc promonto-

montorio maris ora Septentrionem simul & Occidentem versus, extenditur ad aliud vsque promontorium, quod celeberrimũ est, & quo nullum magis ad Orientẽ vergit. Vulgo Liampus dicitur, sed Nimpus à proximo opido, (vnde nomen duci apparet) dicendum esset. Inde ora maritima magis ad Occidentem vergens, cum peninsula ex aduerso Chinæ sita, sinum efficit Adriatico similem. Nam vt hic Italiam ab Istria, Sclauonia ab Albania distinguit; ita ille Chinam à regione Coraiana, in qua Iapones olim, in Chinam traiicere per hanc dum parãt, bellum gerere solebant. Peninsula hæc prouinciæ Nanquinensi opposita est, atq; inde æstuarium, quod vtramque ripam intercurrit, Sinus Nanquinensis appellatur. Sed maritimã oram septentrionem versus decurrendo, tandem ad Tartarorum (quos Chinenses Taquis dicunt) fines peruenies: his namq; à parte septemtrionali, partim etiã Occidentali contermini sunt. Omnes ætatis nostræ Cosmographi Chinã ab austro in Boream metientes inter decimumoctauum aut nonum latitudinis australis gradũ & quinquagesimumsecũdum aut tertium; regniq; caput Paquinum in quinquagesimo constituunt. At P. Iacobus Pantoia, cum ibidem versaretur, exacto astrolabio dimẽsione facta, nõ nisi in quadragesimo altitudinis gradu positum testatur; cum hinc ad vsq; vltimos terræ limites, vix tridui sit iter, quod ad tres non extendetur gradus. Adeo vt illius supputandi ratione totius Chinæ septentrionem versus dimensio, quadraginta duos aut paulo amplius gradus complectatur; itaq; decem ad dimensionem vulgo creditam gradus desunt. Ea vero parte, qua Sinæ Tartaros attingunt, ingentem illum-

Promontorium Liampus.

Corai regnum.

Sinus Nanquinensis.

illum murum (de quo postea loquemur vberius) ædificarunt, quò & vtramque regionem separet, & hostiles incursus impediat. Murus hic Chinarum limes, ad septentrionem, & partim ad Occidentem: cætera parte vicini sunt genti trans Gangem commoranti (quam Geos nuncupant) barbarie & feritate notæ. Humana quippe vescuntur carne, sanguinemque humanum potant. Totum corpus candenti inurunt ferro, & notis quodammodo compungunt, quò venustiores appareant, varias auium, animaliumq; figuras cute præferentes. Vnde nonnemini videntur ii ipsi, quos M. Paulus Venetus in Cangigu statuit prouincia, eisdem quippe sunt moribus. In asperis hi celsisque commorantur montibus, indeque vicinos depopulaturi fines, nonnunquam egrediuntur; & equestri interdum certamine cum Chinensibus, ac frequentius cum Lais (gens est magis ad austrum vergens; Chinensibus etiam magis ad Meridiem, contermina, & montibus arduis, asperisque ab iisdem distincta) decertant. Omnis quæ cis montes regio, ferax ac fecunda est, tum asiduo incolarum labore subacta, tum natura fertili. Irrigatur siquidem flumine Asianorum omnium facile maximo, quod Cambaiani Sistor, Siani Mecon, id est, Aquarum ductorem nuncupant. De hoc simul & Lais primo egimus Tomo. Denique ad Meridiem China Cochinchinam respicit, quæ ad mare vsque extenditur, è regione Insulæ inanis, à qua exordium duximus.

Gei populi barbari.

Hi sunt igitur Chinæ limites, quæ incolarum etiam iudicio, pene quadrata est: Longitudine siquidem (à Meridie ad Septentrionem sci-

nem scilicet) sexcentas, maris oram legendo, leucas complectitur; at si recta procedatur linea, nonnisi quadringentas quinquaginta: quadringentas latitudine, ab Oriente ad Occidentem dimetiendo. Hoc & Chinenses ipsi norunt; nam à montibus, qui ad Occidentem regni limites sunt, ad vsque Eoum mare quatuor & sexaginta Ichanes, id est, diaria computant; quodlibet vero diarium nonnisi sex leucas ac quartam alterius partem (quales sunt nostrates, quæ quatuor Italica milliaria complectuntur) continet. Sicut enim nos iter per milliaria, leucas, diariaque metimur, ita Chinenses per *Lÿ*, *Pús*, & *Ichanes* distinguunt. *Lÿ* interualli continet quantum æqua planitie, die puro ac sereno vox humana percurrit: decem *Lÿ Pu* vnum constituunt; quod duobus Italorum milliaribus cum medio respondet; si vnicuique Lio bina stadia, aut ducentos quinquaginta dederis pedes: decem *Pús* Ichanem statuunt, qui Chinensibus vnius iter est diei: Itaque singuli Ichanes sex cum dimidia leucas conficient; Sexaginta verò quatuor, quadringentas, atque hæc Chinæ latitudo, quæ, vti diximus, longitudini prope par est.

Lÿ, Pu, Ichan mensura viarũ in China.

Sunt qui credant huius regionis non meminisse Ptolemæum, cum Sinensium regnum describit; ipse verò mihi persuaserim, (meliora dum exspecto) aliam visis loci terminis, quos constituit, non esse. Trans Indiam enim extra Gangem Sinenses ad Septentrionem statuit; Seres illis vicinos ait, & regionem Priscis Sericam nuncupatam; quæ eadem, meo quidem iudicio cum Tartaria.

Lucena de vita P. Xauerij lib. 10. c. 7.

Vt taceam interim nominis vtriusque

Chinæ

Chinæ & Sinæ affinitatem, quæ prope eadem. Et ſane doctiſsimi quique æui noſtri Scriptores, non alio hanc, de qua agimus, regionem, quàm Sinarum, Ptolemæi exemplo, nomine appellant. Tametſi verò Sinas ab Oriente ac Meridie incognitam regionem reſpicere tradat; non idcirco de alia loqui regione credendus eſt: nam licet hac vna forſan in deſcriptione errarit (quod vniuerſum illud mare, quo China ab Oriente alluitur, nondum detectum foret) in aliis tamen terminis ſcopum tetigiſſe comperitur; niſi quod Æquatori eam viciniorem ponat, quàm reuera ſit. Sed hunc & aliis in locis errorem commiſit. Cum tamen eas ipſas regiones eſſe, de quibus loquitur, certiſsimum ſit. Credit autem Hieronymus Oſorius Iſaiam capite vndequinquageſimo harum regionum meminiſſe, dum ait: *Ecce iſti de longe venient, & ecce illi ab aquilone & mari, & iſti de terra Cenim*, vt quidem Hebræus textus præfert; quamuis Hieronymus *Auſtrali* tranſtulerit, ac de monte Sinai, quem ſæpius Scriptura *terram Cineorum* nominat, interpretetur. At ſeptuaginta Interpretes Oſorii opinionem etiam fulciunt: loco *Cenim* namque *Sinear* aut *Samaar* videntur legiſſe, ac de Perſide intellexere; atque ita regionem, Orienti viciniorem, ac forſan Chinam, quæ omnium maxime Orientalis, deſignare voluerunt. Eſt & alia in nomine difficultas, Chinane an Sina dicendum ſit. Ptolemæus enim & alii Scriptores, regionis huius incolas Sinenſes nō Chinenſes nuncupant; ac veriſimile videatur, nomen hoc à regni Metropoli, quæ, teſte Stephano, libro de vrbibus, olim Sinæ (quamuis Thinæ Ptolemæo ac Straboni) nominata, deriuatum. Equidem Stepha-

Lib. 7. Geogr. c. 3.

In Paralip.

Stephano suffragor, & à Sinæ nomine, Orientalium ritu, regioni vniuersæ nomen inditum autumo. Stephano ergo Ptolomæus & Strabo corrigendi. Ratione vero non caret, à plerisque hodie regnum Chinam, incolas autem Chinenses appellari. Nam quamuis Lusitanos, nomen hoc, vt & alia corrupisse nonnulli velint; equidem illos culpa libero. Certum quippe est, illos Orientalium, quibus Chinam longe ante quam Lusitani eodem proficiscerentur, nota erat, loquendi hic pronuntiandique consuetudinem secutos. Porro omnis Oriens, etiã ante Lusitanorum commercia, Chinenses Chios dicebat: hinc & permultæ in Archipelago Orientali insulæ, Batechina nomine dicuntur, quasi dicas, terra Chinensium. quin & incolæ Ceilani olim, ob Sinarum cum indigenis, quos Gallas dicunt, permistionem, vt tomo primo diximus, Chingalæ nuncupantur. Persæ quoque Cinnamomum *Dachini* nominant, id est, Chinense lignum, & Græci cinnamomon; ex *amomum*, quod aromatici ligni genus, & *Cina* condito vocabulo, forte an quod cinnamomum è China expectari crederent. Et sane, modo vera sunt, tradit Garcias ab Horto in suo de simplicibus aromaticis libro; Chinensium olim *Lib.1.c.15.* naues Armuziam appulisse, & inter cæteras merces cinnamomum Ceilano aduectum vendidisse, quod lignum Chinense dicebant, (vnde forsan Persæ, dum ab illis emerent, *Darcheni* id appellarunt,) ac deinde Alexandriam translatum, vt carius diuenderent, Græcos emptores Cinnamomum id, quasi lignum odoriferum Chinæ dixeris, appellasse. Hæc quidem Garcias. Quæ vera ne sint, non constat; constat

tamen, ab omnibus Orientalibus *Chijs* illos aut Chinenses nuncupari, at ipsi se Toanginos vel Tanginos, regionem vero Toamam vel Tamam, omissa ô vocali, dicunt. Sunt qui nomen Chinæ inditum illis volunt à certo quem inter salutandum obseruant ritu. Sibi inuicem enim per viam occurrentes, manus ita iungunt, vt sinistram in pugnum contractum dextra tegant; quas deinde iunctas pectori applicantes, caputq; ac reliquum corpus inclinantes, sæpius vocem, *Chij*, *Chij* ingeminant, qua quos salutant, pectore inclusos habere se declarant. Quã eorum consuetudinem cum viderent externi, Chios (vt nonnullorum opinio est) eosdem appellarunt. Alij ab vrbe Chincheo, quæ mora maritima in vicesimo quinto altitudinis septentrionalis sita est gradu, hoc nomen regioni inditum putant. Huius namq; vrbis incolas imprimis constat in Occidentem ac meridiem nauigationem instituere solitos, multasq; insulas & prouincias Chinensium imperio adiecisse, vt totius Oceani Indici potiorumq; Indiæ Emporiorum breui dominium occuparint; atq; ideo Orientales, qui præter Chincheanos, nullos huius gentis nouerant, illorum nomen, etiam alijs imposuisse, Chiosq;, vel vt nos dicere solemus, Chinenses, regnumq; Chinam appellasse: quemadmodum & Tabienci, ab vrbe regia paquino, quæ & alio nomine Taibinum dicitur, à nonnullis nominantur. Mihi vero, Chinæ nomen ab antiquo Sinarum, nonnihil immutato, vt & in alijs plerisque videre licet, deductum, videtur probabilius.

China ferax, & cur

Ceterum regio, quod potissima illius pars tempe

temperatæ subiecta sit zonæ, non aëris modo temporie & clementia gaudet; sed simul inclytæ fertilitates gleba frugum omnis generis fundit copiam bifero triferoq; orizæ aliusque frumenti prouentu. Accedit ad eximiam soli fecunditatem summa cultorum industria: & infinita est multitudo; quippe subolescente indies prole, & in alienas regiones migrationibus interdictis. neq; in tanta mortalium copia cessare cuipiam licet. Itaq; rustici homines nullam agri partem incuria squalere patiuntur. Saltus & colles pinu, castaneis, vitibusq; hordeo, frumento, milio ceterisque segetibus, oriza imprimis, (quod ex ea panis, vt nobis è frumento, paretur; quamuis tenuiores è milio conficiant) nitent. quamquam è vitibus more nostro non exprimunt merum, vnas, velut passas, quodam condimenti genere in hiemem aduersare mos est. Orizam ad hæc aqua, nullo adhibito condimento macerant & coquunt; calidam semper bibunt, seu aquam aut aliud quoduis potionis genus quod orizâ coctum.

Ceterum ex herba quadam expressus liquor admodũ salutaris, nomine Chia, calidus hauritur; quem ditiores sæpius, etiam extra sitim gustant, & alijs se honoris causa ad euntibus si alicuius auctoritatis sunt, eumdem velut exquisitum quid propinant. Oleum oliuarum ignorant, sed aliud ex herba Ingiolina nobis vel Sisama vocitata, vnguen exprimunt, quod oleo putant sapidius, oleum vero oliuarum olfacere illis graue nedum gustare. Illorum vnguini nostrates facile assuescunt, quamuis nostrum sapidius initio

videatur, vt Pantoia, qui periculum fecit, testatur. Pascua sunt etiam gregibus alendis vberrima, & in hortis egregie cultis, cum alia nostri orbis poma, tum etiam noua conspicias. Sed pro regionum diuersitate, diuersi quoque sunt fructus. Cantonensis siquidem prouincia, ceteris calidior, fructum profert, quem septentrionalis regio, quod frigidior, ignorat. Aurea namque hîc mala reperias, quæ Europæis non cedant; saporis quippe sunt iucundissimi ac dulcissimi, ipse quoque editur cortex: melopepones quoque sapidissimos, magnitudine nostros superantes. Pruna hic sunt, quæ Lechias indigenæ vocitant, quæ præterquã quod saporem habent exquisitum, etiam magna copia sumpta, nullum stomachi nauseam tormenve comedenti afferunt. Siluæ toto non desunt regno, hinc varie quotidie omni loco parantur naues: & certe adeo lignum hic vile, vt nauem dimidio minoris quam alibi quis paret. Garcias ab horto Lusitanus medicus excellentissimus, qui Goæ triginta amplius annis commoratus, plurimorum Indiæ prætorum medicum egit, suo de simplicibus aromaticis & medicis, in Oriente haberi solitis libro; omne Rhabarbarum, quod in Indiam, Persidem, Europam deuehitur, ait è China asportari. Hinc quippe Arabes & Persæ ipsum petunt, & per Tartariã ac Persidem Amuziam deferunt, quod inde Aleppum, Tripolim, Alexandriam Ægypti, ac deinde Venetias aut Massiliam, & ad alia Europæ loca deportatur. Ipsum & Pantoja suis asserit litteris. Simplex illud, quod à medicis radix Chinensis dicitur, varijsq; morbis depellendis perutile, in sola reperitur China, vti & alia

Lechias pruna.

China Rhabarbarum optimum gignit.

alia Medica simplicia; de quorum vi, virtuteq́ Gotanographi multa tradidêre. Saccarum hîc abundat, & quidem Hispanicis magna comparetur quantitas. abundat & mel. apibus enim delectantur. hinc vile ipsum vti & cera. Caro hîc non deest, nec enim desunt boues, oues, arietes, capri aliaq́ pecora. porcina delectantur inprimis, hic plurimi, hinc porcorum greges. Gallinæ, anseres, aliaq́ attilia, & imprimis anates, Cœlo hic fœtu proueniunt, horum enim facilem excludendorum, ac minimo pascendorum artem callent, vt suo dicemus loco. Ferina hîc passim venalis, tum siluis educta, vt cerui, lepores, cuniculi, (quos accipitro venantur) tum quam volucres suppeditant, atque hæc etiam quam minimo diuenditur. Appulerunt in vrbem quandam maiorem Patres, in qua bos, ouis, & aues eodem singula emebantur pretio; septem scilicet octone in libram denarijs persolutis (pondere quippe singula veneunt.) Nanquini quoque, tametsi in orbe regia, volucrum libra, tribus solummodo denarijs (nostra supputandi ratione) venibat. Libra porro nostrate maior est; vicenis namque & binis vncijs, nostra nonnisi sedecim constat. Paquini, vbi regum sedes est, quamuis cariora sint omnia, libra quæ nostrati non cedit, tribus venit assibus. Pisces quam minimo comparantur, non modo in locis mari, fluminibusque proximis, sed in interiori etiam regione: Lacubus enim regio abundat, qui pisculenti toto anni tempore; è fluuijs etiam petuntur, eo quo post dicemus modo. Nam Quini piscis, qui denas appendebat libras, regali argenteo venibat, & truttarum maximarum libra sex

denarijs. Poma fructusq; arborum vili etiam pretio diuendi solent; ducenta pruna Armenia vno diuendita asse ac denarijs octo. Nuces hic frequentes, eæq; omnigenæ, castaneæ, auellanæ, pinei nuclei, & ficus: sed hæ nostratibus dissimiles sunt, sapore tamen non cedunt at superant. Equi inde petisoliti nostratibus minores sunt, sed robore & incessu præcellunt. Quamuis autem omnia hæc in China reperiantur, non omnia tamen prouinciæ habent singulæ, sed quod vni deest, ex aliâ petitur. Mutuo enim inter se gaudent commercio, & vltro citroq; frequentissime fluminum adminiculo toto regno facile commeant. Chinenses enim Dei naturæq; donis non contenti, alios fodêre riuos, è flumine maiori lacunis, ad facilius commercium deriuatis.

Chinensium industria.

Hinc suo societatis patres, Anno M.DC. ab vrbe Macao, quæ in Cantonensi sita prouincia, Paquinum vsque, sexcentarum leucarum itinere semper per flumina nauibus ferendis accommoda, & in se inuicem defluentia nauigando peruenere; semel dumtaxat in terram exscensione facta ad ingentem fluminis cuiusdam anfractum euitandum.

Deniq; regnum vniuersum nonnisi vnicus quodammodo videtur hortus, fluminibus, lacubus, stagnis, fontibus vbiq; irrigatus: horum etiam hic non parua copia, nec limpidorum modo & aquam potui suauissimam suppeditantium, sed & medicorum, qui per metalliferas terræ venas manando, dispellendi morbos vim continent. Auri, argenti, aliorũq; metallorum venis China etiam non caret; aurum tamen non tanti quanti nos faciunt. non enim in commercia mutua illius vsum habent,

bent, sed argenti non signati, & æris, eo quo post dicemus modo. Gemmas è Sinu Ainanensi plurimas colligunt; ac vasa, quæ vulgo Porcellana vocitantur, (quibus non Chinenses modo, sed & Philippinarum, Malacæ, nouæq; Hispaniæ incolæ vtuntur indeque in Europam deuehuntur) plurima hic parantur; vt infinita quotannis naues eisdem alio deuehendis onerentur. In montibus, in quibus sola ligna proueniunt, saltus ac nemora densissima, non aprorum modo, damarum, leporum, cuniculorum, aliarumq; ferarum receptacula, sed & leonum, rhinocerotum, vrsorum, tigrium, similiumq;. Et imprimis martarum, aut murium exoticorum, quorum pellibus vestes faciunt, quas & permagni exteris diuendunt. Est in China, aut non procul inde animal, quod mosci materiam suppeditat; quod odoramenti genus veteribus tam Græcis quam Latinis incognitum fuit, nares tamen quam iucundissime afflat: & sane Chinense moscum ceteris præfertur. animal est vulpis magnitudine, siluas incolere solitum; hoc assiduis virgarum, fustiumq; verberibus enecant, vt toto sanguis diffundatur corpore. Cadauer putridum & iam aridum frustratim, non detracta pelle disscindunt, sacculosq; inde parant, quos Lusitani Papos nuncupant. Pantoia vero è ventriculo animalis cuiusdam feri, quod fele paulo grādius, educi moscū credit; nec in China ipsum, sed in regione ꝓxima reperiri. Cibettā haud dubie intelligit: vel si idem omnino animal cū eo ꝙ descripsimus; credendū nobilius ac ꝑtiosius moscū ventriculo aluoq; educi; vtq; maior illius sit copia, verberibus ipsū, quo ad cetera mēbra diffūdat odor, enecari. Chinē-

Chinenses argentum pluris quā aurum faciunt.

Vnde moscum paretur.

ſes tamen Luſitanis ipſum, quamuis alio eductum loco diuendunt. Linei ac goſsipini panni viles hic item ſunt. Plebeij tela nigra goſsipina vt plurimum veſtiuntur. Lanarum hic quoq; ingens copia, ſed inprimis ſerici. Bombyces enim infinitos alunt, è quibus ſericum ſcite ſatis parant; Europæi tamen palmam ferunt. Hinc omnigenos pannos ſericos, tenuiores ſimul & ſpiſsiores texunt; ſed color quo tinguntur, quamuis initio niteat, breui euaneſcit. Ditiores ſericas plerumque veſtes geſtant, etiam in publicum prodeuntes, vel amicos inuiſuri, vel ex muneris inſtituto, in publico loco ſpectandi. Tametſi vero plurimi ſerico induantur, non tot tamen, teſte Pantoja, quot nonnulli tradunt. Alterius omnino regio non indiget, non modo in ijs, quæ ad vitam tolerandam neceſſaria ſunt, verum & ijs, quæ ad luxum deliciaſque comparata ſunt. Quocirca nullum, meo quidem iudicio, regnum eſt, quod tantas aliunde diuitias comparet; nam omnia domi nata alijs diuendunt, & pręter piper, ac lignum odoriferum, è quo domorum tigna parant, quæ ex India deferuntur, nihil aliunde coëmunt. Sed facile his careant, vt & externorum commercio, ſed inexplebili pecuniæ flagrant deſiderio. hinc libenter cum Luſitanis & Hiſpanis negotiantur. hi namque è Philippinis, nouaq; Hiſpania argentum, illi piper ac ligna odorata ex India deferunt.

Sericum Chinenſe.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Prouinciæ, orbesq́ Chinarum, Incolarum frequentia, industria, mores, instituta describuntur.

IN tredecim Prouincias, ac duas regum sedes, Paquinensem & Nanquinensem, quę separatæ prouinciæ præfecturæque sunt, incolæ Chinam diuidunt. regias autem sedes nuncupant, quod rex hodie Paquini, olim Nanquini regiam habuerit. Singulæ prouinciæ metropolim habent, & à qua suum prouincia plerumq; nomen trahit, vt Cantona, Nanquinum, & aliæ; interdum aliud prouinciæ ac metropolis nomen est. In metropoli Prorex cum concilio, regijsq; præfectis plerumque commoratur; in Cantonensi tamen prouincia, in vrbe Xanquino, sedem habet. Scriptores nonnulli vrbium ac opidorum muro cinctorum, quæ in singulis prouincijs sunt, recensent nomina. Sed quod certus statui numerus nequeat, & fastidium lectori afferre nolim, earum recensione abstinebo. Harum tamen permagnum esse numerũ, ea quę iam dicturi sumus, facile demonstrabunt. Muratas vrbes in quaterna quinaue distinguunt genera. Prioris generis *Fu* dicuntur, atque hæ cæteris, tum ob iurisdictionem ac priuilegia, quibus à rege donatæ sunt, tum vero ob incolarum numerum ac dignitatem nobilitate præstant. Huiusmodi in singulis prouincijs octo, decem, duodecimue numerantur, atque harum vna ceterarum caput. Tales in vniuersum centum ac quinquaginta in toto sunt regno. Secundi, *Cheu* nominantur; suum hæ quoque ius ditionemque habentes, sed non adeo amplam ac priores: harum non minor,

Quinque vrbium muratarũ in China genera.

forsan maior est numerus. In tertium genus conijciunt illas, quæ nulla iurisdictione gaudent, etsi magnitudine non cedant alijs; has *Hieu* nuncupant. mille centum ac viginti harum est numerus. Est & aliud duplex genus, quæ proprie militares sunt. priores *huy* vocant, in quibus præter duces, milites q; præsidiarios, cum vxoribus, prolibus, famulis, ac mancipijs, simul & mercatores, & mechanicos, quorum opera in re militari opus, nemo commoratur. Huiusmodi sunt in vniuersum quingentæ, minus septem. Alteræ *Iluy* nuncupantur, & hæ ab vrbibus limitaneis, vel interiorib. dependent, ac militari præsidio ad regni tutelam tenentur, suntque suarum, Cheuarum, & Ilieuarum quodammodo arces. hæ ad bis millesimum, sexcentesimum fere numerum pertingunt. at quod à tribus illis generibus distinctę non sint, hinc vrbium regni facile subduci numerus non potest. Ceterum dum Sinæ aliquem è locis muro cinctis nominant, addere ad finem nominis, pro vrbis qualitate augmentum vocabuli *Fu*, *Cheu*, *Huy*, vel *Iluy* solent, vt *Cantonsu*, id est, Cantonensis vrbs, atque ita de ceteris.

Opidorum, Pagorumque in China numerus.

Opidulorum, pagorumque, muro non cinctorum, infinitus prope est numerus: sed parui fiunt; at permulti adeo magni, vt cum vrbibus nonnullis comparari queant. Singuli ad vrbem aliquam referuntur, in qua regi vectigal pendant, rerum suarum ius prosequantur, legesq; ad vniuersam prouinciā spectantes, institutaq; accipiant. Vt autem vrbiū, pagorumq; Chinensium multitudo pateat, epistolę P. Pantojæ articulum hic inseram; ait namq;, neminem, nisi forte corā viderit, crediturum dua-

rum

rum triumue horarum spatio vrbem flumini imminentem, præterlabēdo vix enauigari posse; ac mox alias quam minimo interuallo, vt vna in alterius conspectu sit, occurrere. & toto illo sexcentarum leucarum itinere, quod à Macao Paquinum vsq; instituit, vtramq; fluminum ripam, vrbibus prætextam fuisse.

Hinc quanta incolarum sit frequentia, facile videri potest. Sed & aliunde eadem cognoscitur. Catalogum habent, in quo omnium regi tributum pendentium nomina descripta sunt: nam præter vectigal, agris prouinciæ indictum, singulis quoq; annuum tributum capitibus impositum; vt quamuis præter corpus nihil habeant, annuū tamen pendere vectigal coguntur. Hinc in vrbibus singulis, opidis ac pagis iudex est eorum, qui tributum pendere tenentur. Ab hoc tamen immunes sunt omnes regij ministri ac præfecti, tā iudices, ac rerumpubl. rectores, quam qui regio præsunt ærario. Deinde duces omnes ac milites cum vniuersa familia, quorum permagnus est numer⁹. Tradunt quippe nonnulli ad sex milliones, ac septingenta millia illos ascendere. Deniq; non omnes in catalogum referuntur, sed ex singulis familijs aliquot, exempli causa, è denis tres aut quatuor. Vt hocce commentario vix tertia incolarum pars contineatur. His tamē libris hominum septuaginta milliones, ducenta septuaginta millia & ampli⁹ comprehensa scribit Alexander Valignan. de quo sup. iā locuti sum⁹.

Cæterum multis in rebus incolarum perspici potest industria, inprimis quod loca natura infecunda ac sterilia, reddant fertilissima, & ad vitam humanam necessariorum fera- *Chinensium industria in parandis aquis.*

feracia. Ad quod aquarum è fontibus, lacubus, ſtagnis, paludibus, fluminibus emanantium abundantia mirifice iuuat, quas priuſquam in mare ſe exonerent, per varios riuos ac Calyprintheos anfractus, induſtria paratos deriuant; partim vt irrigetur ſolum, partim ad commerciorum vſum: Vix vt alicuius nominis ſit vrbs, ad quam flumine non minus quam terra pateat aditus. Lacus quoque, paludes, aliaſque ſtagnantes aquas ſtare non ſinunt, ſed liberum ijs vitalemque curſum parant, vt & telluri proſint, & ne ſaluti hominum atque animalium, tetram exhalando mephitim noxiæ ſint. Et ſane regio eſt quam ſaluberrima: nam ſi annalium monumentis fides adhibenda, abhinc bis mille annis, nulla per regnum graſſata lues eſt aut peſtilentia. Vtrimque fluminum ripæ vrbibus, pagis, villis ac prædijs pulcherrimis, quæ ad Loytias (quo nomine doctiores nominantur) aut alios optimates ſpectant, quodammodo conueſtiuntur. Horum namque plerique domos rurales habent, ad quas ſub æſtiuos ſe calores, tum vt in otio lectioni quietiores ſe dedant, tum vt delicijs ruſticis ſe oblectent, recipiunt: Aquæ igitur Chinenſibus & voluptati ſunt & emolumento. quæ ſi terram inundent, non impune habent; tanto namque cymbarum, nauigiorum, nauium, triremiumque numero eas quodammodo caſtigant ac compeſcunt, vt terræ inſtar habitari videatur. Sunt qui alias, præter ſcapham, aut nauim, (cui ſua imponunt) facultates non poſsident; vt Biantis illud dicere non immerito queant, *Omnia mea mecum porto.* vt enim hoc olim Philoſophus de animę,

quæ habebat, bonis, heroice dixit; ita hodie Chinensium plurimi; dum quidquid possident, vno contineatur nauigio. Tamen laute satis rem agunt; quia & liberi, ad quos nauigium hoc cum reliquis hereditate deuoluitur, toto vitæ tempore honeste hinc victum consequuntur. neque enim habitationi duntaxat totius familiæ, sed & alijs, dum ex vno loco in alium traijcere volunt, nauis deseruit, quum & officinæ vicem supplet, in his enim faber ferrarius, lignarius, carpentarius, alijque huiusmodi, velut in vrbibus ac terra, opificium exercent. Præter officinam sunt & alia receptacula. hic enim & gallinas, anates, anseres aliasque aues, quin & porcorum greges saginant. Quod vero omnem admirationem superat; hortos quoque ac viridaria, velut pendula, ad terræ inuidiam circa proram parant. Tabulas maiores ac trabes è prora emittunt, his cados terra oppletos imponunt, hic mala punica, & aurea, & poma communia conserunt; flores quoque odoris suauissimi, herbasque culinarias ac medicas, vt parandis ijs, quæ ad victum ac vestitum necessaria sunt, naue egredi non sit necesse. quæ enim ipsi non habent, ab alijs nauicularijs emunt. vt non pauci hic reperiantur, qui adeo raro aquas deseruere, atque alij qui easdem ingressi sunt. Horum nauigiorũ nonnulla transuehendis viatoribus destinata sunt, alia commeatui ad vrbes vel mercibus deferendis. Sunt & alia quæ anchoris solidata locũ vix vnquam mutant, ita hæc deposita & collocata, vt vrbem mari innatare diceres. Nam ad lineam quodammodo vtrinque dispositis nauibus, in medio apertus locus velut platea relin-

Nauigia priuata. relinquitur; dum flumen amplum, varia, veluti angiportus, interualla interstitiaque per plateam maiorem hinc inde transcurrunt. In singulis plateolis omnes eiusdem artis opifices non secus atque in opidis simul stabulant. In nauium medio locus patet capacior, ad quem mercatores, alijque qui emendi vendidique gratia huc confluunt, conueniunt. Atque hæc vera ac genuina expositio est ænigmatis, quod hac de re Lusitanus commentus est, dum inter cætera Chinæ prodiga vidisse se, aiebat vrbes mari innatantes, quæ ad nouilunium ex vno in alium locum commigrabant.

De nauigijs haud dubie id exponendum, quæ vrbem quandam in mari repræsentant: quæ singulis mensibus ad nundinas, tum hoc, tum illo loco merces suas diuenditura, conueniunt: in aqua enim non minus quam in terra nundinæ esse queunt. Vt vero nauigiorum numerum facilius Lector & intelligat & credat, addam hic quæ Pantoja in suis tradit litteris: Memini eodem ipso die mane, cum Nanquinum intraremus, quingentas alias nauem nostram iucundo sane spectaculo præcessisse, vt eodem quo nos tempore appellerent; harum pleræque varijs onustæ erant mercibus, vrbi necessarijs. Addit deinde, hoc illas modo toto die & ire & redire solitas. Hæc quidem de priuatis nonnullorum nauigijs.

Regiæ naues. Sunt & aliæ naues, regis paratæ sumptibus, eæque triplices. Primæ in vsum cedunt Mandarinorum; sunt hi magistratus, regijque

que conſiliarij ac præfecti, tum ad ex muneris præſcripto, huc illucque proficiſcendum, tum ad animi recreationiſque cauſa enauigandum. Hæ adeo amplæ atque inſignes, vt ſpectanti voluptatem adferant. Cancellos ac feneſtras pulcherrimas habent, panno ſerico velut cortina tectas. Circumquaque foris ambulatra ſunt, interne vero atria egregie depicta, & auro argentoque fulgentia; vnguine tamen ductili, quod Charanum vocant, ac ſpeculi inſtar relucet, inducta; vti & tabulæ foris. Tubis ac tympanis inſtructæ ſunt, quæ dum Mandarini vrbem prætemauigant, pulſantur; hoc illos ſigno adeſſe indicatur, vt naues obuiæ locum hiſce cedant, ac viam reiectis obſtaculis aperiant. Longitudine noſtris triremibus ſunt pares, ſed latitudine ſuperant. altitudo quæ aquam non ſubit, maior: maiuſque proinde pondus admittunt.

Naues Mandarinorum earumq; pulchritudo.

Alterum regiarum nauium genus eſt, quo tributa illi quotannis è nonnullis prouincijs deferuntur; ſunt enim quædam, è quibus orizæ aliarumque rerum tributum, à quâ Paquinum deuehi nequit, quod pecunia compenſant, cæteræ vero in eadem omnino ſpecie, quæ vndiquaque miſſa colligitur, ac præſertim oriza, de qua nemo non ſibi prouidet, ipſum pendunt.

Ideoque vrbes ſingulæ tot habent nauigia, quot ad tributum deferendum, videntur neceſſariæ. Vbi diſcedendi tempus iam aduenerit, vnicuique nauium claſsi Mandarinus regius præeſt. In ſolo Nan-

qui-

eo ipſo tempore Paquinum pergebant, infinitas pene naues, neceſſaria deuehentes, obuias habuere, rates adhæc ingentes ducentorum pedum trabibus compactas. his inædificata erant habitacula tum Mandarino inferiori, cui rerum harum cura concredita erat, tum nauiculariјs, qui omnem ſecum familiam, officinam, & facultates, vti porcos, gallinas, anſeres trahunt; quod anno ſæpe integro iter conficere nequeant. Hinc luce clarius eſt, non eſſe hyperbolica commenta, quæ de infinita nauium Chinenſium multitudine traduntur; cum in ſolum regis regiorumq; miniſtrorum vſum tanta ſit comparata copia. Bellicas interim naues in ora maritima portubuſque ſemper ad piratas propulſandos paratas, & mercatorum pertranſeo, quæ per mare huc illucque ſuas diſtracturæ merces diſcurrunt: nam de ſolis per flumina nauigantibus loqui animus fuit.

Quoniam de Chinenſium in aqua induſtria iam agere cœpimus; omittere viſum non fuit, ſcitam illam per coruos aquaticos piſcandi rationem; quos illi piſcatui, vt noſtrates aucupio accipitres, aſſuefaciunt. Hiſce igitur quod collum oblongum, roſtrum aduncum habeant, dum piſcatum abeunt, fauces ita coarctant, vt reſpirare quidem, piſces vero deglutire nequeant. Illi in aquas dimiſſi, piſciculis guttur replent, tum demum ad piſcatores, in cymbis aqua ex parte repletis, illorum reditum expectantes, aduolant, atque prædam faucibus concluſam, in aquam euomunt. *Piſcandi per coruos ratio.*

Si quem maiorem piſcem offendant, ita ro-

ſtro illum exagitant ac pungunt, vt apprehenſum tandem extra aquam ſuſtollant. Tum piſcator, ad prædam propulſatâ cymbâ, reticulum virgæ alligatum ſubijcit, quo dimiſſam à coruo prædam excipit. Hac arte piſces ſæpe libram cum dimidia appendentes captant. Tres horas hoc pacto conſtrictis, piſcator tandem vinculum faucium laxat, & in aquas dimittit, vt ſibi prædam captent. Inani quippe ſunt ſtomacho. nam præterquam quod tribus illis horis magnam moleſtiam ſubierint, pridie diarium illis cibum (milij pauxillum) quo maiori auiditate piſcibus inſidientur, ſubtrahit. Illi repleto piſcibus ſtomacho ad cymbam redeunt, vbi caueæ ad triduum includuntur, ne fatigentur; ac tum rurſus ad piſcandum redeunt.

Huius piſcationis emolumentum. Sed meſsis hæc piſcatioq; nonniſi tribus anni durat menſibus, Februario, Martio, Aprili. hiſce quippe piſces marini aduerſo flumine obluctantes mare deſerunt, vt oua excludant. Non iucunda modo, ſed & vtilis hæc eſt piſcatio, nō piſcatoribus modo, qui piſces facili comparatos diuendunt, ſed & regi; qui è ſingulis coruis tributum accipit, commoda nō minus eſt, hoc enim pacto piſces habent ij, qui à mari ac fluminibus abſunt longius; quia viui in aqua ex vno loco in alium deferuntur, qui deinde lacubus viuarijſq; domeſticis, (quæ frequentia in China) impoſiti ſuccreſcunt, ac deinde in cibum cedunt. Omni ergo anni tempore recentes, in locis etiam à mari longo interuallo diſtantibus, piſces habentur. Et ſane in Chinenſium epulis cum carne plerumque apponitur piſcis.

At

At qua anates, anseres, gallinas, aliasque aues alunt industria, non minus admiranda est. Neque enim more nostro oua femellis supponunt, sed fimo bubalino vel anatino, qui calet quam maxime, eadem imponunt; vel hiemali tempore, caueæ impositis tenuem sarmentorum alteriusq́ materiæ ignē facile concipere natæ, igniculum subijciunt: dein comperto exclusionis tempore, oua singillatim collidunt, pullosque omnigenos exclusos tam industrie ac scite fouent, vix vt vllus emoriatur. Dein caueæ maiori includunt, in qua maiores aues pullos sub alis fouent ac contegunt: hic escam apponunt. vbi suo sibi marte victum quæritare norunt, emittuntur, vt vna cūm maioribus per agros ac prata pascantur. *Quomodo aues alant Chinenses.*

Nulla hic glociens gallina auditur, incubans nulla. Sed toto anni tempore oua ponunt. hinc maxima illorum, vti & auium hic copia. Anates quam minimo alunt; nam vt primum sibi escam conquirere norunt, in agros oriza consitos emittuntur, è quibus zizania sine vllo prorsus seminis damno tollunt. vt quorum sunt agri, etiam munusculum, velut beneficio accepto, aliquid pullarijs offerre soleant. Sunt enim plerumque pauperculi, nec alias non raro facultates norunt, quam nauiculam, in qua caueas arundineas habent, quæ proræ cooperculo & longitudine & latitudine respondeant. vt sæpe quatuor anatum millia his complectantur: noctu his includunt, mane dum ad pastum emittendi tempus aduenerit; ponticulum arundineum substernunt. hunc tanta velocitate pertranseunt, *Quomodo anates alant.*

vt velut moræ impatientes, volando alter alterum præuertere conetur. toto die huc & illuc per agros iuxta fluminis ripam euagantur. Sub vesperam tympani pulsu in cymbam reuocantur; ad cuius sonitum ita assueuêre, vt propria semper adeant cubilia, quamuis sæpe variarum cymbarum greges simul pascant. Tum pons iterum sternitur, quo caueam subeant, ad quam gregatim ac celerrime properant. Quod vero hæc anatum altura & facilis sit, & paruo constet, hinc viles sunt anates; quodque magna sit copia, omnes pene, etiam plebecula, eisdem vescuntur.

Imprimendi ars apud Chinenses priusquam apud nos in vsu.

Quod vero ad artes mechanicas spectat, in Chinensibus sane Aristotelis confirmari videtur opinio; dum Orientales ait ingenio potius & industria, quam animi robore & fortitudine excellere. In primis inclyta illa librorum, excudendorum ars ante apud hos, quam Europæos in vsu fuisse comperitur, vt testantur abhinc aliquot annorum centurijs edita volumina: ante ducentos vero annos illam ignorauit Europa, teste Sabellico; qui illius inuentionem nobili viro, Ioanni Gutembergio, Germano ascribit. Illorum tamen excudendi ratio à nostra, in qua sparsi hinc inde characteres in verba colliguntur, distincta est. Alphabetum enim & characteres non habent; at scribentes figuras aliquas, vt in Hieroglyphicis suis Ægyptij, quibus rem ipsam, non verba designabant, exarant. Adeo vt hæc scribendi ratio toto intelligatur regno, quamuis varijs prouinciæ pene singulæ linguis ac dialectis distinguantur: eo omnino modo, quo notis arithmeticis signatos numeros intelligimus, quam-

quamuis in Gallia, Germania, Italiaque diſtincta ſit, illorum pronunciandorum ratio. Cum igitur litteris careant, illorum typographica à noſtro nimium quantum diſcrepat: figuras namque exprimendas ligno vel lapidi inſculpunt, quas deinde chartæ imprimunt, eo prorſus modo, quo nos imagines ligno vel æreæ laminæ inciſas. Tradit Pantoja pro ſingulis, quæ imprimenda ſunt folijs, figuras tabulæ ligneæ incidere, & quidem vtrimque; & eâdem operâ vtrumque tabulæ latus, ſed in diuerſa charta, figuras exprimere, deinde chartam verti, vt & à parte poſtica imprimantur, at figuras hic nigredine tinctas eſſe, chartam vero puram. Sed imprimunt & figuras albas in charta nigra, idque hoc ritu. Figuras lapidi profunde ſatis inſculpunt, chartam deinde madefactam huic ſuperimponunt, quam deinde molliter dulciterque imprimunt, vt lapidis vacuitatem intret, itaque reliquâ ſuperficie ſit dimiſsior: deinde quoddam atramenti genus hunc in vſum paratum, leui manu ſuperinducunt, vt litteræ permaneant albæ (quod profundiores) ac cætera nigricent.

Chinenſis Typographica ars à noſtra diſtat.

Hæc ergo imprimendi ratio eſt: è qua colligere eſt, quanto noſtra ſuperet interuallo, quantoque accuratior & ſubtilior. Idipſum & de tormentorum bellicorum inuentione dicendum. quamuis enim abhinc multis annis illorum hic vſus fuerit, (ſi nonnullorum ſcriptis credendum. ſunt enim qui tradant primum illorum apud Europæos inuentorem, hinc artem petijſſe) ingens tamen inter Chinenſia & noſtratia tormenta diſcrimen eſt. Illa enim breuia ſunt, tamque latum ori-

Tormentorum bellicorum inuentio Chinenſibus aſcribenda. Hiſtor. regni Chinenſ. p. 1. l. 3. cap. 15.

ficium habent fundo basique respondeat. Nonnulli tamen præstantia se ac scite parata vidisse testantur. Qualiacumque demum sint, hinc illorum perspici ingenium & industria potest.

Neque enim verisimile fit, hanc illos à nobis inuentionem esse mutuatos, cum vix vllum cum externis, ac potissimum Europæis, habeant commercium, & nonnisi ab anno M. CCC. LIV. vel vt sentiunt nonnulli, M.CCC.LXXX. illorum apud nos vsus cœperit. Si illorum credendum annalibus, iam abhinc aliquot annorum millibus in China in vsu fuisse comperiuntur. Horum namque inuentionem regi Viteio, qui illorum calculo, longo ante Christum, regnauit tempore, ascribunt; & hanc illum artem à spiritu quodam terræ cauernis egresso didicisse. Porro alium fuisse dubitandum non est, quam spiritum illum tartareum, iuratum naturæ nostræ inimicum, qui in perniciem mortalium funestum hoc in orbem instrumentum inuexit. Regem quoque hunc magicis imbutum fuisse artibus tradunt; & sane non improbabile id videatur, si modo vera sunt, quæ de illo narrantur. Sed de his satis; in Chinensium industria recensenda iam pergamus. Picturæ vtcumque periti sunt, sed vmbras ac lumina inducere nequeunt; statuas tamen elegantes sculpunt, simul & æri norunt incidere, Imagines æreas item fundere, quin & encausto pingere.

Chinensium industria ab artibus mechanicis.

Denique in pluribus artibus mechanicis excellunt; quibus natura, ad hasce percipiendas, singularem contulisse ingenij solertiam

ſubtilitatemque videtur, vt quam breuiſsimo tempore eaſdem percipiant, & admirabili dexteritate habitum illarum mox acquirant. Nemo in vniuerſo eſt regno, quo is demum cumque defectu corporis deformis ſit, quin artem aliquam aut opificium calleat. Cœci ipſi, claudi ac debiles artem ediſcere tenentur, qua victum ſibi comparent, hinc quam pauciſsimos hic reperias mendicos. Pueri namque à primis annis operi aſſueſcunt, & varias artes ediſcunt, vt ſi vna victum parare nequeant, aliâ ſaltem ſuccedat.

Hinc fit, vt operoſiſsima quælibet vili pretio coëmantur: par vtriuſque ſexus in ijs operibus dexteritas, par ſolicitudo, & domeſticæ rei augendæ ſtudium nihil tam vile terra, vel mare ſuggerit, quod illis inutile ſit. Quæ reliquæ nationes, vt friuola futiliaque abijciunt, à Chinenſibus ſedulo colliguntur, vt animalium oſſa, piſcium ſpinæ, fructuum nuclei ac putamina, ex ijs ſphærulas, annulos, icunculas & alia ludicra affabre conficiunt.

Vrbium Chinenſiũ pulchritudo.

Sed ipſarum vrbium præcipue pulchritudo mira, in quibus & ædium artificium & elegans proportio conſpicitur. Nauigabilibus impoſitæ fluuijs pleræque admodum profunda & lata foſſa, mœnibuſque cinguntur quadrati ab imo lapidis, lateritiæ ad ſummum ſtructuræ. Lateres autem in eam duritiem ac firmitatem breui tempore coaleſcunt, vt ferramẽtis poſtmodum labefactari vix poſsint. additæ ad proſpectũ pergulæ ac mœnianæ & occultę deambulationes, quą prę fecti oblectationis cauſa pererrent, ac libero agrorũ fluminiſq;

vicini conſpectu fruantur. Ad obliquos autem ictus modico interuallo turres & propugnacula prominent, artificioſis contecta faſtigijs, feneſtris & podijs elegantibus adornata. Pomœrium intra extraque vrbem libero ad circuitum ſpatio ſenis in ordinem equitibus patet. Ex ijs mœnibus cum quædam ante bis mille annos conſtet annalibus, aut traditione extructa; nullam tamen in eis rimam aut ſinum, aut labem aſpicias, ſed iam recens conſtructa diceres. In ſingulis quippe vrbibus curatores regij ſarta tecta exigunt, & mœnibus alijſque locis publicis curandis inuigilant.

Platearum diſpoſitio.

Vrbis vero totius ea ferme dimenſio eſt. Latiſsimæ viæ duæ ſe interſecantes, tanta latitudine, quindecim vt equitibus liberum ſit iter, rectiſsimo tractu vt ad lineam ductæ videantur, & perpetuo, vt cum vrbe deſinant, & præcipuas quatuor portas aperiant, ab hiſce vijs rectis aliæ dein aliæque tranſuerſæ priuata & publica ædificia vicoſque diſtinguunt, & ab vtreque latere viarum excurrunt porticus, quæ commeantem plebem & fabrorum atque inſtitorum apothecas ac tabernas à tempeſtatum iniuria vindicent.

Quæ ita per orbem diuiſæ, vt qui vnius artificij ſunt, vna in regione ab alijs ſeiuncti habitent, vt qui primam tabernam viderit, de cæteris mox diiudicare queat. Iam vero, è lapide trifores vt plurimum & quidem ſummo artificio perfecti cum inſcriptionibus, fornices, & velut arcus triumphales paſsim viſuntur, quæ monumenta, magiſtratu abeuntes, regij perfecti relinquunt.

Templa etiam cum turribus culminibuſque ſpectan-

ſpectantur pulcherrima & maxima; at non tantus eorum decor & magnificentia, quantus Europæorum. Magiſtratibus autem ipſis, celeberrimo loco ſtant ampla & operoſa prætoria, regio parata ſumptu, cultiſsimis hortis, capacibus piſcinis fontibuſq; pellucidis, & varijs aquarum deriuationibus ad omnem animi remiſsionem, vſumq; domeſticum inſtructa. Nec deſunt auiaria ac ferarum ſepta, & operis topiarij tonſiles ſiluæ luciq; denſiſsimi, & diſtincta floribus prata: vt ſingulæ prætorum præfectorumq; domus oppidi propemodum inſtar obtineant. Mercatorum ædes in vnicam tantum contignationem aſſurgunt, elegantes tamen ſunt & commodæ. nam vel pictura decoratæ vel opere albario candoris eximij è Charano parati. Gummi genus eſt, arboribus, quas vel China vel Iapon profert, magna copia deſtillans, noſtro vernici non abſimile; hoc quidquid inunxeris, ſpeculi inſtar renidet. Colorem quemcumq; admittit; nec temporis vetuſtate fulgor perit, niſi ſecundarium ſit. Non in dealbandis modo parietibus (vti apud nos calx) vſui eſt (tametſi eo tincti parietes chartæ politæ inſtar reluceant) ſed & pingendis, dum varijs immiſcetur coloribus. Auium enim, arborum, florum, ſimiliumq; picturis atria pingi gaudent. Naues item, ac præſertim Mandarinorum magiſtratuumq; intra extraq; Charano inunguntur. Sed ad lineam redeamus. A primo domorum ingreſſu panditur atrium, armarijs binis hinc inde diſpoſitis, in quibus inanium deorum ſtatuæ collocantur. feneſtræ non in vias, ſed in hortos proſpiciunt; hic enim ſunt viuaria piſcium; materia in ædi-

Prætoria magiſtratuum.

Charan quid ſit.

ficatione vtuntur mire leuigata, & certo lenocinij genere in auri colorem ac splendorem adducta, idq; aquæ cuiusdã vermiculatæ adminiculo; forte è Charano, de quo iã egimus paratę. Pari læuore tegulũ est, tã intus quam foris, calce spissatum atq; commissum ad pluuias arcendas; durantq; sæculis tecta talia, nisi igne consumantur, extremi imbrices è marmorato pereleganter elaborati sunt ad aquã emittendam. Ad singulas vero ianuas viridi opacitate arbores ad lineam directæ consurgunt, quarũ gratissimo aspectu, quasi pabulo quodã, oculorum acies, quamlibet fatigata, reficitur. Ad ventum excludendũ fenestras habent; ad frigidiorem per æstiuos calores aurã inducendã hoc vtuntur commento. Subterraneum in ædibus specũ, vt nos cellas vinarias, effodiunt in quẽ fenestrarũ aliorumq; spiraculorũ ope frigidã aurã admittunt: quam conclusam, intensiorem aut remissiorẽ, prout lubuerit, vel per omnes ædiũ partes admirabili machinatione dispensant. Huncin singulis ædibus specũ reperies. Tanta quippe omniũ similitudo vt qui vnas conspexerit, de ceteris facile diiudicare, paruo discrimine queat: idẽ de vrbib⁹ singulis iudiciũ esto. Nisi q; nonnullę quæ fluminibus alluuntur, ad subuectionis euectionisq; commoditatẽ, canales nauiũ capaces introrsum admittãt, marginatis vtrimq; semitis ad terrestre iter adstructis; quales multis locis in Europa cernimus.

Pontes plurimi in China. Lapidei & lignei quoq; pontes egregie facti, nõ ad oppida solũ, sed etiã in agris plurimi, tantæ nonnulli amplitudinis & magnificẽtiæ, vt à Romanis illis rerum dominis exstructi videantur. quæ flumina ꝓpter altitudinẽ impetumq; pilas

las

las arcusq; reijciunt; ea cōfertis ac cōtabulatis nauibus velut ponte iunguntur: sin ex imbri vehemētius intumuerint, solutis interim ordinibus, viatorē, gratuitæ cymbæ, regis impensa, transmittunt. Vias publicas Chinenses comōdas parare solent comeantibus. stratæ pleræq;, curatorēq; habent regiū. voraginibus & hiatibus terrę, & stagnātibus aquis, locisq; palustrib⁹, quęq; alia ad iter impedimēto sunt, publice occurritur. quin etiā asperrimis locis ad mōtiū latera excisis cautibus vię patescūt, magna molitione sumptuq;. Comeantibus a. nō iumenta modo, sed etiā varij generis cisia, lecticę, pilēta deseruiunt, accedunt rhedę ac vehicula, partim eqs iuncta, partim etiā, vbi cāporū æquora patiuntur velis euntia. (modo vera sint quę pleriq; tradunt.) nec vero minus perite ac scienter aurigę, q̄ nautę gubernacula moderātur, & varia velorū inflexione prolato vel reducto, ꝓut opus est, pede ventos excipiunt; gubernaculoq; quo lubuerit, eadē propellunt. Hoc incredibile cuiquā videatur, nisi incolarum ipsorum testimonio compertū esset, & vasa porcellana horū etiam imaginē præferrent vt taceam interim grauissimorum ætatis nostræ Scriptorum testimonia. Porro inter cetera monumenta ædificiaq; Principem facile locū occupat insignis ille murus, qua Tartaris Sinę contermini sunt, ad illorum incursus repellendos, exstructus. Mirum sane & heroicum opus ac continuum, vt veterum pyramidum & colossorum moles, quas velut mundi miracula celebrauit antiquitas, sordere ac vilescere videantur. Ad trecentas pene is leucas, vt plerique commemorant, extenditur, & duos qui in extremo sunt

Via publica.

Murus aduersus Tartaros exstructus.

ſunt limite, montes combinat. Adeo porro ſpiſſus, altus & latus, vt montes, quorum vicē ſupplet, vbi deficiunt, æmuletur. Septem vt nonnulli aſſerunt, vlnarum craſsities eſt interne ac ſuperne; aliquibus in locis turres habet, in quibus Chinenſes perpetuo ad muri tutelam, primumq́ Tartarorum impetum, interim dum copioſiores ad bellum conſcribuntur copiæ, propulſandum, excubant. Crebræ hic & minutæ viſuntur arces, quas equites præſidiarij occupant, ad hoſtem retundendum. Sed iam ſatis ſuperq́ de Chinenſium locuti ſumus induſtria, iam de illorum forma, habita, moribus inſtitutiſq; agendum.

Pueri tenelli elegantes ſunt, nec Europæis candore cedunt, vt in Çantone idem ſit incolarum color qui Hiſpanorum; quoq́ magis ad Septentrionem vel Meridiem vergunt, magis aut minus æneo colore vel candido ſunt; adeo vt Paquinenſes Italis aut Gallis perſimiles ſint. Tametſi autem puerili ætate candidi, elegantes ac pulchri appareant ad virilem vbi peruenerint, Europæis difformiores fiunt. Omnes namq́ vultu lato & plano nigris oculis & ijs admodum exiguis vultui conformibus, ſimis naribus, rara barba; ex vtraq́ naſiq́ menti parte rari hinc inde pili exſtant. Sunt qui oculos grandiores & barbam denſam, ac vultum elegantem ſatis habent; ſed hi rariſsime, ideoq́; alienigenis prognati dicuntur. Olim quippe, cum externi libere in Chinam commearent, non pauci hic ſedes fixêre. Miraculo eſt ſi quis cæſios habet oculos, eosq́ illi vt myſticos habent, ac varia de ijſdem comminiſcuntur, dum hos gemmas & theſauros abſconditos detegere poſ-

re posse putant. Philautia ita laborant, vt sibi dissimiles vt fœdos despiciant, & si quem dif-formem effingere velint, promissa illum barba, oculis & naso grandiori ac succinctis vesti-bus depingant. Omnes enim, etiam milites, talari vtuntur. viri æque ac feminæ longis sunt crinibus; illi accurate comptos, & in verticem collectos illaqueant, ac reticulo ex equinis eleganter texto setis inserunt; illius in medio pro-lixior dependet capilli pars, quæ mulieres non dedeceret. Reticulum hoc pileo tegunt ex ea-dem confecto materia qua vestis. Sed varia horum forma. regius pileus à ceteris penitus differt; Mandarinorum quoque singuli iuxta dignitatem alium & alium gestant. Calcei e-iusdem coloris ac materiæ qua vestis, quos de-core constringunt ac nodant. Plebeij ac pau-peres lino seu gossipio nigro tegunt corpora. Vestimenta per hiemem gossipio rudi nec pa-rato suffulciunt. Primarij ac diuites sericeis floccis, qui & frigus propulsant, & ob copiam viles sunt. Sagis ad veterem Galliæ consuetu-dinem vtuntur, media sui parte crispis ac ru-gosis, ceterum fusa & explicata lacinia; accedit talaris tunica laxis manicis. hæ antrorsum pa-tent, sed sapum ab læua parte confibulant. Qui è regia stirpe sunt, vel superiore aliquo magi-stratu funguntur, vt præfecti locorum, circa balthcum maxime, ceteri limbo tenus, hanc acu pingunt, auro argentoq; illustrantes. Cali-gas induunt affabre factas, & elegantes cothur-nos, & calceos bombicino obstragulo perpo-litos. Vestimenta primarij per hiemem pretio-sis muriumScythicorum pellibus, quas martas vel sabellinas vocamus, quarum hîc ingens co-

Vestis Chi-nensis.

pia,

pia, calore admodum ſuaui, & ventis impenetrabili denſitate ſuffulciunt. Hæc illos veſtis tantopere oblectat, nullum vt in orbe veſtimentum ſuo putent decentius aut elegantius. Et eſt reuera graue ac ſeuerum, & præſertim Mandarinorum, vt ſuo videbimus loco. Cur autem etiam viri promiſſam cæſariem alant, hæc eſſe dicitur ratio, quod credant ea ſe tamquam anſa in cœlum aliquando ſublatum iri; ſacrificuli contra, abradunt & barbam & capillum, quod ſine tali adiumento ſidera ſe conſcenſuros confidant. Suis enim operibus viam potius quam capillis parari. Laneos pannos nō conficit China, quamuis lana non deſit. Cuius rei nullam apud auctores rationem comperi: induſtria quippe non deeſt, cum è ſerico aliaq; eoſdem parare norint materia. Illos quos Luſitani inferunt, ſimul & camelinos, telamque tenuem, quæ in India texitur, carò coëmunt. Specula & omne vitreum magni quoque fiunt.

Cur longā geſtent Cæſariem.

Mulierum Chinenſiū habitus.

Mulierum Chinenſium & Hiſpanarum idem pene eſt habitus. illæ circa curam capitis multæ ſunt, crines diu pexos concinnatoſque in ſummo circumligant vitta gemmis auroque diſtincta: reliqui corporis ornatus minime laſciuus. Plebeiæ nonnullis in locis ſuccincta veſte, virorum inſtar vtuntur, nullum vt diſcrimen ſit, niſi in vertice & pedibus. Præcipuam decoris ac formæ laudem in tota China in pedum breuitate & exilitate ponunt; atque ob idipſum tenellos ab infantia faſcijs perquā arcte conſtringunt: quam puellæ moleſtiam æquo animo ferunt, quod quæ pede exiliore, pluris alijs fiat. hanc qui conſuetudinem induxere, mulieres claudas quodammodo ac pedi-

Cur pede ſint exiliore.

pedibus debiles reddere voluere; ne hinc inde per vicinarum ædes (vt nonnullis in locis mos obtinet, ac sæpe non sine pudoris detrimento) vagarentur, sed rei domesticæ curam gererent. Et sane rarissime in publicum prodeunt, nisi forsan plebeiæ & secundariæ. Nobiles matronas semper domi reperies; si quando foras prodeunt amicos inuisuræ, gestantur in sella, prætentis ex omni parte velis, sed, occultæ speculationis causa, reticulatis ex ebore auroque fenestellis ad latera oppositis; succollant serui magna vndique stipante familia. In fenestris ac ianuis non comparent, sed monialium instar domi manent, nullus vt externus easdem conspiciat. Si quem maritus ad conuiuium vocat, vxores non intersunt, imo ne visuntur quidem, nisi forte conuiua sanguine sit coniunctissimus. Deprehensum adulterium æque viri ac fœminæ, capite luitur; fœneratores vtpote reip. noxij, cum alijs pœnis, tum pecunia mulctantur in fœnore deprehensa. debilibus tantum aut cæcis, ex infima plebe, ad sustentandam inopiam, aliquid vsuræ nomine exegisse, impune est. Suarum quisq; mercium institor descriptum indicem, pharmacopolæ etiam singulorum simplicium, quæ appellant, specimen ipsum coguntur præ tabernæ foribus habere propositum. & sæpe ab ædilibus inspiciuntur, neq; componendi miscendiue nisi præsens necessitas vrgeat, neque composita diutius asseruandi cuiquã omnino ius est. Vocales & gesticulatorias aues enutriũt impensa cura, venduntq; præter naturales colores, vario etiam vestitu ornatuq; distinctas. Annum è lunaribus periodis ita conficiunt, vt

Quomodo Chinenses annum distinguant & quando incipiant.

vt tertio quoq; anno ad duodecim vnam addant, vt solari lunaris cursus respondeat, vti nos singulis quadriēnijs annum bissextum inducimus. Principium à Martij mensis nouilunio auspicantur. Eum diem publica hilaritate ac plausu concelebrant, munera sibi & sportulas inuicem mittunt, apparatissimis dein epulis, noctu præsertim, exquisitissime interponuntur ludi. Comœdias ac Tragœdias, aliasq; Scenas exhibent sumptuosas, vel fabulis in præsens à Poeta confictis vel actionibus è vetere historia repetitis, petoristæ, aretalogi, præstigiatores, mimi, tibicines, cantores ac citharœdi non desunt. Parietes fornicesq; viridi fronde, micantibus rosis, & pretioso per astromate vestiuntur, fragrant odoramentis ac floribus viæ; accensis funalibus ac laternis arbores, pergulæ, fenestræ collucent. Musico concentu atq; harmonia omnia circumquaq; perstrepunt. Hæc anni auspicium celebrandi ratio est, diem porro natalem priuata gratulatione & gaudio, conuiuiorumq; apparatu domi quisq; celebrat.

Salutandi modus.

In salutando & adeundo religiosi admodum sunt, ac vnusquisq; pene diuerso salutatur ritu primores hoc pacto salutant, alteram manuum salutati inserunt manicæ, (sunt enim laxiores) deinde arcuatim vtramq; iunctam extendunt, identidem sese ad terram vsq; summittunt, certantq; verborum officijs inter se. In visitando is qui aditur locum honestiorem (qui hisce sinister, illis dexter est) adeunti tribuit. atrium ingressus adiens sedem patrisfamilias, atq; ille vicissim aliam adeunti, opportuno dignoq; loco statuit. Paterfamilias adeuntis

euntis ſedem in medio collocat atrio, (nā quo à parietibus omnibus remotior eo & dignior) aliam ſibi ex oppoſito ponit, vt facie ad faciem colloqui queant. Vbi paucis inter ſe locuti, coctæ mox è Chia aquæ potus infertur. quem potum omittere nefas eſt: is ſecundo aut tertio inferendus antequam colloquium ſoluatur, additis fructibus ac condimentis nonnullis. Cochleari porro ſumitur. Si longiores adiens moras trahat ferculum mox aliud adfertur, in quo exacta & temporis & adeuntis habetur ratio. Pauxillum hinc deguſtatur, niſi forte prandij cœnæue tempus inſtaret, tunc enim largius comeditur. Antequam adeant, ſi familiares dumtaxat ſint, non vero affines aut conſanguinei, famulum cum ſchedula, quam Paitram (id eſt, viſitationis ſchedulam) nuncupant, præmittunt. Suum huic aduentum inſcribunt, eiuſq; alterum certiorem reddunt. Hic quoq; tam adeuntis quàm aditi habetur ratio, ac pro vtriuſq; dignitate, Paitra maiori minorique ſubmiſsione exaratur. Vbi aduentus certior factus eſt paterfamilias, adeuntem, qui paulo poſt adeſt, excepturus prodit, Si vero rarius alter alterum viderit, quotidianam adituri non induunt veſtem, ſed aliam in hunc paratam vſum, & formæ alterius. Hac ſi adiens non vero quotidiana indutus ſit, excipere illum prius alter non auderet, aut vllum oſtendere beneuolentiæ ſignum, quam ſimilem habitum ſumpſerit: adeuntem igitur deſerit, ac viſitatoriam quam celerrime induit: hac ſumpta certare verborum officijs incipiunt. In exeundo idem ordo ſeruatur; præcedit namq; viſitans quem pro illius dignitate,

Quis ritus viſitandi?

Qq alter

alter longo vel paruo spatio, vel ad ianuam vsque, etiam extra fores, comitatur. Si foras prodierit, exspectat, donec visitans equum vel gestatoriam sellam conscenderit: tum vterq; sublatis brachijs & manibus manicæ insertis valedicit. Vt visitans domum venit, famulum mittit; ac similiter alter ad visitantem, qui dominorum vice gratias agant; hic ob exhibitum sibi visitationis obsequium, ille ob beneuolentiam qua exceptus. Munus missuri, schedulæ quod mittunt inscribunt, idq; verbis quam honestissimis: siue autem alter id admittat, siue remittat, siue partem detineat; schedulam aliam rubris lineis inductam simul & litteras, quibus de munere gratias agit, remittit. Quod si admittat, latori dat honorarium, alteriq; æquiualens, aut maius mittere donarium tenetur.

Conuiuiorum qua rati.

Hæc de salutandi visitandiq; ritu. Conuiuiorum autem ratio talis est. Inuitatis singulis, si splendida sint, duæ parantur mensæ, huic carnem simul & pisces, illi fructus & condimenta inferunt. Si vero communia, propria singulis mensa aut summum binis apponitur. Exquisitissima hic inferunt fercula, & lautissima, quæ paulatim, quo calida sint apponunt. Paitra quinq; aut sex ante diebus inuitantur, ac dies præfinitur. Si inuitatus adesse nolit aut nequeat, alia schedula se purgat. Sin minus, adfuturus censetur. Præfinito diè mane inuitans famulũ rursus ad inuitatos destinat, vt inuitationis memores venire non grauentur; deinde sub conuiuij tempus alium, inuitatum qui roget num venire allubeat. Nisi trina hæc inuitatio præcederet; inuitatus non compareret. Ad conui-

conuiuium vbi ventum, de loco honestiori ingens certamen, hisce locum occupare volentibus, illis excusantibus; adeo vt non parum temporis sæpe elabatur, priusquam conuiuæ locum occuparint, locum vnoquoque inferiorem sibi deligente aut saltem simulante. Vix quidquam hic degustant, vt colloquendi potius quam conuiuandi causa instituta conuiuia videantur. Parum quippe cibi sumunt, atque exiguis vasculis porcellanis, crebro haustu, sitim sedant. hoc modo, simul & colloquendo, quatuor aut quinque interdum horas conuiuio intersunt, vt esurientes domum concedant. Postridie conuiuæ Paitram ad inuitantẽ mittunt, qua de exhibito conuiuio gratias agunt. His alijsq; officijs ac rebus potissimum vitæ tempus Sinæ impendunt, in amicis visitandis munusculis mittendis, & conuiuijs parandis; ac maxime sub anni auspicium hisce incumbunt; nam tum ad quindecim dies his vacant. Dein in die natali, tum si quod iter instituturi sunt, tum etiam post sospitem reditum; denique nullo non anni tempore. In cibo sumendo miram honestatem ac religionem seruant. digitis cibos attrectare rusticitatis putant, ideoque mantilibus, vti nostrates, non indigent. Concisa minutim fercula mensæ inferuntur, quæ conuiuæ bracteatis panillis, vel eburneis, hebenaceis, argenteis, aureisve fuscinulis, scitissime in os inserunt. quæ comedendi ratio, & honestissima, ac meo iudicio, commodissima; modo nonnihil quis assueuerit. Mensæ mappa non insternuntur, sed varijs, siluestriũ maxime rerum, florũ, auium figuris pinguntur ac certis linearũ ductib⁹, capreolatim ex argẽto vel auro

Comedendi ratio.

discurrentibus: Serica frontalia ad humum vsq; depēdent vtrimq;, lacinijs fimbriisq; pretiosis exornata. Calidam semper potant, & fructus raro degustant. Hinc sana illorum corpora, & à morbis immunia. Legumina tamen & herbas crudas, vti nos lactucas, comedunt quàm sæpissime. imo maxima pars aliud cibi genus non degustat; quod paruo parentur; & paucissimi (præter Mandarinos) carnem aũt pisces, quamuis honestissime vestiantur. Oriza aqua macerata aut milium cibus pene quotidianus, atq; hoc sese inferciunt, vti Europæi pane. frumentum quidem tellus progignit, sed panem ex eo more nostro non conficiunt, sed liba dumtaxat & tortulas azymas, aqua feruenti coctas, crustis carentes; edentulis senecionibus commodas. Ter de die vt plurimum cibum sumunt, mane deinde secunda post meridiem hora, postremo sub noctem. Sed tum vix quidquàm sumunt. Decimo quinto, decimo octauo, aut vicesimo ætatis anno connubium cum vnica vxore legitimum ineunt. Ad nuptias dotem non viro fœmina, sed vir fœminæ defert; de qua illa pro libito disponere potest; quam parentibus illa vt plurimum donat: adeo vt qui filiabus abundet habeatur ditior ac felicior, secus apud Europæos. Nuptiarum die sponsa ad sponsi domum; publice togis ac vestibus suis ac supellectile prælata, transit. Præter legitimam hanc vxorem, pellices quot lubuerit, quis alit. Has pretio sibi redimunt, ac pro libito diuendunt. Sed cum earum cognatis & consanguineis, aut cognomine muliere, quamuis venditæ affinis non sit, Matrimoniũ inire nefas. Si vxor legitima liberos habeat,

Chinenses semper calidam potant.

Quando & quomodo vxores ducant.

beat, paternam illi hæreditatem adeunt; sin minus,& è pellicatu nata sit proles, hæc velut legitima succedit. ac probro non est, pellicis esse filiũ; familiare hoc Chinensibus pene omnibus vitiũ: atq; per hoc maxime stat, quominus legis Christianæ iugum admittant; ac præsertim Mandarini ac primores, qui plusquã ceteri veneri & lasciuiæ indulgent. Nisi enim singularis Dei gratia cooperetur, vix cuiquã persuaseris, has vt peccandi illecebras domo proscribant. Paucis igitur vt perstringam, Chinenses si quis vllus, voluptatibus ac libidini omnigenæ, etiam masculæ, dediti sunt; vt hoc ipso teterrimo flagitio apud alios sine vllo pudore gloriẽtur. Propterea vitæ tẽpus omni producere arte student, quo suis diutius voluptatibus perfruantur, de spiritualibus & sempiternæ vitæ bonis nequidquam solliciti. Hinc multi, etiam viri auctoritate illustres, dum vitam se proferre industria sperant, medicamenta plurima sumunt, quæ eamdem potius minuunt ac labefactant. Multos de sanitate tuenda conscriptos habent libros, & plurimi opibus & dignitate fulgentes artem hanc edocent. Sunt proinde qui ætatem mentiuntur, & annos addunt, quos reuera non vixêre, quo arti auctoritatem pariant. Tanta porro nonnullorum est cœcitas ac dementia, vt ijs velut cœlo delapsis fidem adhibeant, quo aliquod vitæ producendæ medicamen obtineant. In hoc enim maximam felicitatis suæ partem statuunt. Apud plerosq; etiam magni nominis viros auctoritatem obtinuit chymica, vel, vt nos dicimus, lapis philosophicus; quo viliora se posse metalla credunt in aurum argentumq; commutare. Multi super

Vitam prolongare student arte.

hoc scripti hic exstant libri, pleriq; ætatem, & tenues quas habent facultates eidem, spe frustrati impendunt ac consumunt: sed non idcirco inueniendi perijt spes. at hoc se pacto solantur, nondum sc. in fatis esse, hanc vt artem detegant & horam, quam semper exspectant, diuturnis hunc in finē ieiunijs sese emacerantes, necdum eluxisse. Tanta sc. illorum vesania ac mentis cæcitas. Quisq; quam voluerit exercere artem ac functionem potest, nec paternam tenetur amplecti, vt astruere nonnulli voluere: sed quibus lubet, litteris incumbere aut artem aliquam addiscere quam optarint, licet. Famulorum ancillarumq; stipendium exiguum est, quod abundent: vt præter victum vnicus annuum stipendium sit aureus; vestes quoq; dominus non subministrat. Pauperes, quorum hic ingens copia, liberos quam vilißimo sæpe diuendunt pretio; vt adolescens duodecim vel quindecim annorum, nullo defectu deformis, tribus aut ad summum quatuor libris minoribus veneat: & in rerum inopia etiam minoris. Mancipia alere hîc familiare est, quamquam honeste satis habeantur, & matrimonio à dominis collocentur.

Veteres historia. Rerum nouarum noscendarum percupidi sunt, quas sibi mutuo perscribunt, ac sæpe prelo committunt, vt quam breuißimo spatio per vniuersas prouincias spargantur. Iam olim, vti & modo, in rerum gestarum historia texenda diligentes fuere, adeo vt abhinc quatuor annorum millibus aut amplius illorum calculo gesta scripto circumferantur: sed hoc mihi non fit verisimile: ita namq; à diluuio, (cuius apud illos etiā memoria est) plures statuere annos oporte-

porteret, quã vulgo tribuuntur. nam à diluuio ad sæculum hoc M. DC. sex annorũ & amplius enumerant millia; nostri tamen scriptores, (& sane longe probabilius) nonnisi tria annorum millia, & nongentos quadraginta quinq; effluxisse censent; & iuxta LXX. Interpretum supputandi rationem, quæ etiã amplior, 4351. Reges nonnullos ita commendant annales, vt si vera sint quæ circumferuntur, horum aliquos, ob virtutum facinora, in lege naturæ saluatos esse verisimile sit. idolorum enim cultores non fuisse constat, sed vnum adorasse Deum. Horũ nonnulli in regnum filios noluerunt succedere, quod imperio illos ineptos putarent, alium, quem virtute & prudentia præstare crederent, regno præficientes. In emendo vendendoq;, auro non vtuntur, quamuis non desit; sed argenti pondere pretia rerum metiuntur, quod non cudunt, sed in lamellas concidunt prout opus fuerit. atq; in idipsum forfices, & labilem trutinam circumferunt. Ipsius argenti quoq; valorem notant, vnum quippe altero carius est; ne locus adulterio pateat & fraudi, fraudãdi namq; artem percallent. Ærea quoq; moneta vtuntur, cuius etiam discrimina norunt, vilemq; materiã à subtiliori distinguunt. In omni siquidem re fraudi ac deceptioni locus. Sed iam de rege, eiusq; regnandi modo loquamur. *Reges Chinæ illustres virtutibus.*

CAPVT XIX.

De regis Chinensis opibus: politica disciplina, quam vniuerso seruari iubet regno, quæq; hinc commoda, quæq; incommoda proficisci soleant.

REx Chinę, si plerorũq; credam⁹ testimoniis, reges omnes diuitiis ac potentia superat, vt Alexander Valign. qui tributorũ, quę singulę *Rex Chinæ reges omnes diuitiis superat.*

vrbes pendunt, rationes inſpexit, potentiorem illum ac ditiorem credat, quam ſimul omnes Europæ reges & principes, ac forſitan & Africę.

In huius rei confirmationem, duo tantum tributorum genera, ceteris omiſsis, recenſet. Primo in ſingula capita tres perſoluuntur mazæ, quarum ſingulæ denos ſoldos Gallicos valent, adeo vt ſinguli tributum pendere obligati triginta quotannis ſoldos perſoluant. hi porro iuxta incolarum, quem ſupra recenſuimus numerum ad ſeptuaginta & amplius milliones pertingunt. ex hoc igitur tributo triginta quinque, hac ſupputatione, auri milliones cogit. Sunt qui nonniſi duas perſolui in ſingula capita mazas velint, itaq; nonniſi ad viginti tres milliones, ſexcenta ſexaginta tria aut circiter aureorum millia, ſumma pertinget.

Alterum quod ex omnibus terræ fructibus, aut hominum operibus colligitur vectigal eiuſdem Valignani teſtimonio, viginti ac ſex milliones conficiet: adeo vt duplex hoc vectigal, quinquaginta aut ſexaginta milliones ſuppeditet. Taceo interim portoria, exactiones, & gabellas quas merces euectæ ſubuectæq; pendunt. ferunt vnicam Cantonenſem prouinciã, in qua Luſitani agunt commercia, quotannis tria picorum argẽti millia, id eſt, ſeptenos milliones ac quadringenta aureorum millia, pendere. E quo, quid aliæ pendant prouinciæ, colligere eſt. Prætereo quoq;, quas illi auri, & argenti & alterius metalli, quas in China eſſe diximus, fodinæ diuitias ſuppeditant quas gemmarum, margaritarum, ambræ griſeæ, piſcatus, moſcũ, porcellana (quæ ſola tredecim auri millionum vectigal conficiunt) aliæq; Chinenſes

ſes merces pariunt,quod exacta rei totius nondum habeatur veritas. Sed incolarum frequentiam, ſimul & mercium prouentuumque Chinenſium copiam; ad hæc in vniuerſo hoc regno neminem præter ipſum regem eſſe, qui tributum aut vectigal exigat, (cum nulli hic Duces, Comites, Marchiones,Barones,alijque Principes cum imperio præſint) ſpectantibus incredibile hoc minime videbitur. Verum omnibus ſimul computatis, illi vero mihi ſcripſiſſe videntur, qui ad monetæ noſtræ ſupputationem, aureorum annua millies ferme ac ducenties centena millia regem capere perhibent: quantum vix moriens Imp. Veſpaſianus, & quidem pecuniæ diligentiſsimus, in ærario Romano reliquit. Cæterum Pantoja de regio cenſu hæc habet. Regij redditus quotannis infiniti ſunt, quos niſi è rationibus annuis, in quas ſingula quam exactiſsime relata ſunt, compertos haberem, incredibile videretur. non quod ita ſe rem habere dubitem. quo enim quis ampliorem rerum Chinenſium cognitionem habuerit,eo minus de rei veritate dubitabit; at qui rem coram non viderit, difficulter admodum credet. Rationibus igitur facile ſubductis,quotannis annorum comparatione facta, ad centum quinquaginta auri milliones, tum in parata pecunia,tum alijs pecuniæ æquiualentibus, (ſed pecunia potiorem partem obtinet) regius cenſus aſcendit. Et ſane quicunque regni magnitudinem attenderit perſpexeritq; ſingulos incolas, agros, arbores,aliaq; minutiora, regi vectigal perſoluere, ac neminē ipſum,prӕter regē exigere poſſe,nullum hic exceſſum inueniet. Hactenus Pantoja.

Regii reditus.

Paquini magnitudo. Prouinciarum singularum metropoles ærarium habent, in quod omnes illarum reditus ac prouentus inferuntur, sed regium ærarium ac primariũ Paquini est; de qua vrbe iam nonnulla dicenda sunt, quod regum sit sedes. Eandem hanc aliqui censent, quam M. Paulus Venetus *Quinsai*, quasi cœli vrbem dixeris, nuncupat; quamq; triginta ac duas in quadrum patere putat leucas, octonas singulis lateribus ascribens: atq; hanc Paquini esse magnitudinem vulgo dictitant, hodie tamen multo ampliorẽ esse, quam dum Paulus eam adiret, quod postmodum regia huc translata sit. Hanc sententiã ex ipso prouinciȩ nomine, Quincij stabilire conantur.

Sæpe namque Chinenses vniuersæ prouinciæ nomen illius metropoli, vt supra dicere memini indunt. Hȩc quidem quorundã opinio equidem hanc esse vrbem posse nego; quod eodem Paulo teste, regũ hæc tum sedes esset. Chinensium tamen testimonio cõstat, Paquinum non prius regiam translatam, quam Tartari Chinam occupassent, eo ipso tempore cum M. Paulus ibi versaretur. ideoque Nanquinum esse, vero fit similius, quam Paquinum. Quidquid sit, certissimum est Paquinum esse, hodie Nanquino, aut par, aut etiam maius; cuius ambitum eques vno vix die, non comprehensis etiam suburbijs decurrat.

Denique tanta de illius magnitudine ac splendore vnanimi Chinensium sententia, ideoque vera traduntur, vt, ne forsan fidem non inueniant, scripto committere non ausim. Amplissimam hic & augustissimam rex habet regiam, triplici eoque altissimo cir-

circumdatam murorum ambitu. Quindecim adhæc (vt referunt nonnulli) pro numero prouinciarum hic distincta sunt diuersoria, velut noua palatia. In horum singulis, præter habitaculum splendidissimum, viridaria, hortos, viuaria, lucos, aliasq; oculorum illecebras reperies, vnicuiusque prouinciæ delicias quam fieri potest, maxime repræsentantes: vt exiguo Regiæ circuitu, totius quodammodo regni compendiosam imaginem intueatur.

Vnde octoginta hic atria reperiri aiunt, elegantissima symmetria, & ex arte constructa; quib. suus non desit etiam ornatus. at quatuor cæteris antecellere. Primum parietes habet ac pauimentum æreis lamellis eleganti ferarum, arborumque pictura insculptis conuestitum. Alterum purissimo elaboratissimoque argento constratum. Tertium, cæteris quidem forma exteriori persimile, sed circumsecus ac in laquearibus, auri encaustici crustis exornatum. Quartum, cæteris præcellit, musiuo elaboratum opere, & ex materia pretiosissima; gemmas varias in parietibus ac pauimento, & velut vnam duntaxat vbiq; gemmam conspicias. Regium hic solium pretij infiniti. Gemmis adeo collucet, vt sub noctem accensarum facum lumen æmulentur. In hisce atrijs externorum regum Legatos, pro legantium qualitate ac discrimine excipere solet: adeo vt si legatio à rege inferiori minusque potenti adornata sit, in primum legatus atrium introducatur; si à potentiori in secundum, atque ita de cæteris.

Quatuor atria in regia splendidissima.

Hæc grauissimorum ætatis nostræ scriptorum

Maffeius lib. 5. hist. Ind. Ioan. Gonzal. l. 3. c. 2. p. 1.

rum testimonio comperta sunt. Pantoja tamen, qui regiam sæpius adijt, & non minimam illius partem inspexit, ac plurima ab ipsis regijs ministris audiuit. fabulas hæc & commenta credit, ac de atrijs nihil se vnquam audiuisse. Rex insuper externorum Regum legatos ad alloquium admittere non consueuit, nec illis se spectandum, ne vel suis quidem, nisi raro admodum dare. Regium putant, regem à suis non conspici, vt integra illi stet auctoritas, & suum splendorem ostentet. Et sane nonnisi primoribus Mandarinorum se præbet videndum. Regiam esse tradit maximã, & scitissime constructam, cui nullum in China par ædificium reperiatur, cum plurimis tamen Europæ palatijs monumentisque ne comparanda quidem. Terno circumcingitur in quadrum muro, primus tanto patet circuitu, vt maiorem cingere vrbem possit. Inter extimum ac secundum sparsa sunt Eunuchorum vilissima regia officia obeuntium, vt ianitorum, equisonum, lixarumque habitacula. Inter secundum ac tertium plurimæ domus interiectæ, elatiores & tanta longitudine, quantam equus vix decurrat. Inferne non habitantur, lateritio quippe muro, qui domorum longitudini ac latitudini respondeat, inædificatæ sunt. Elegantes hic è marmore portas videas, per quas ex vno loco in alium transitus patet. In octo vlnas murus hic assurgit, cui pergulæ cum porticibus ambulacrisque additæ. Porticus ligneæ, fenestris cancellisque scite depictis distinctæ. Tegulum elegantia non cedit cæteris, tegulæ nostratibus meliores, tamque eleganter compositæ, vt nonnisi vnica videatur croceo inductæ vernice,

Regia descriptio.

nice, is enim regius color. Muros hos flumen intersecat, & ad ipsam vsque regiam fluit, vt quidquid ad illius vsum necessarium est, hoc deuehatur: ex vno loco in alium pontibus plurimis transitus est. Commorantur hic primores Eunuchorum regi ministrantium: multos vna excipit domus, sed sua singulis sunt habitacula, vt in collegijs, studiosis. Non desunt hic horti, siluæ, aliaque ad animi recreationem spectantia, quorum aspectu sæpe rex ipse perfruitur. Locus enim amplus est. Pantoja vt huc transiret, ad Eunuchos edocendos, vt postea referemus, octona se ait transisse palatia, ac credere se, non minora, forsan plura, ab altero esse latere. Sequitur deinde tertius, quo regia circumcingitur, murus. Rex hic cum vxoribus, liberisque commoratur. nullum hic fas ingredi, nisi regios ministros. Etsi vero, ait Pantoja, dignum visu ac splendidum monumentum esse nemo non afferat, certi tamen nihil scribere possum. ascendi tamen sæpe turrim, dum Eunuchorum Mathematicis disciplinis incumbentium ædes frequentarem, è qua regię tecta, horti ac pomœria conspici poterant, nullum me ampliorem, capacioremq; aulam vnquam memini conspexisse. Hæc Pantoja.

Quinam in regno succedant.

Vnica regi legitima est vxor, atque hæc regina dicitur: Pellices habet tamen plurimas, quarum filij, deficientibus legitimis, in regnum succedunt, quod persæpe accidit. Nam anno sęculari elapso, regius primogenitus, quamlibet pellice natus, regni erat successor ab omnibus declaratus. Si qua in regiam pellicem delecta est, perpetuæ mancipatur custodiæ, monialęsque nostrates liberiori fruuntur, quam car-

nalia

nalia hęc mancipia. In gynæceium hoc vbi primum admittitur, omnis egrediendi viuo rege parentumque ac consanguineorum videndorum spes penitus recisa est. In delectu solius pulchritudinis ac morum elegantiæ, nulla nobilitatis ac generis, habetur ratio. Mira circa regiam prolem, regno exclusam, hic inhumanitas, mox namque vt natu maior regni heres declaratus est, cæteros ad loca designata auferri rex imperat; hic ad tertiam vsque generationem regio habentur ritu, at parentum simul & fratris regis videndorum spes ablata: vt hac sequestratione magno matrum filiorumque eiulatu, ac lamentis regia perstrepat. Abunde ijs rex omnia suppeditat, sed omni imperio, auctoritateque (ne quos forte motus excitent) carent; omnes tamen magistratus magno eos honore prosequuntur. Quotquot ab hisce nascuntur, regij sanguinis dicuntur, quamuis plurimi deinde cum inopia conflictentur. Maior enim natu in vniuersâ patris bona succedit, cæteris legitimâ, & quidem exiguâ satis assignatâ. Cæteri vero affines, ac regiarum sororum, filiarum, cognatarumque mariti, quamuis necessaria ad victum, quam copiosissime suppetant, nulla idcirco prærogatiua auctoritateue gaudent, & Mandarinis dignitate inferiores sunt, vt aliorum instar litterarum scientiâ ad dignitatem aliquam emergere contendant, illa enim more prolis regiæ, exclusi penitus non sunt. Nulla in China generis nobilitas, quam de regia esse prognatũ stirpe, & ne huius quidem magna habetur ratio, vt regum filij cum Mandarinorum aliorumq; inferiorũ filiab. passim sine defectu connubia ineant.

Regia proles regno exclusa, quomodo habeatur.

Omnes

Omnes tum regis tum reginæ, aliorumque aulicorum ministri ſpadones ſunt, indignum tali monarcha miniſterium, viliſsimis hi prognati parentibus. Nam parentes, quæ præ inopia liberos alere nequeunt, illos à primis annis miniſterio regio emaſculãdo parant; at ſæpe pr vehementia cruciatus emoriuntur: nam & virgam vna cum teſtibus, inaudita feritate præſcindunt.

Hi, quod peſsima præceſſerit educatio, effeminati plerumque ſunt & inertes: atque vbi ad dignitatem euecti fuerint, arrogantes & inſolentes, vt qui maxime. Hæc illorum, in mortuorum locum ſubrogandorum ratio eſt. Delectus illius die per vniuerſam prouinciam indicto, quotquot filios tales habent, Paquinum conſulunt, vt non raro viginti hic ſpadonum numerentur millia. Tum Mandarinus, iudicio & auctoritate præſtans, (cuius eſt de omnibus ad regem ſpectantibus prouidere,) & Eunuchorum veterrimus Mandarino familiari ſingulos conſiderant, & inſpiciunt, vultum inprimis honeſtum ac liberalem requirunt, linguam pendulam: hanc duorum verborum prolatione explorant. Si quod enim blæſitatis indicium, haud facile duo hæc vocabula protulerint. ſelectos variis muneribus præficiunt; primo Eunuchis ſenio venerandis famulantur, ſuamq; illis patientiã probant. qui ingenio iudicioque prſtat, poſt aliquot annos ad maiorẽ dignitatẽ ſuſtollitur. Horum nonnulli, regio iuſſu, Mathematicæ incumbunt, cuius imperitos omnino illos eſſe Pantoia tradit, qui ſæpius cum illis egit.

Per interualla totas excubant noctes aſtra inſpe-

inſpecturi; ac ſi quod nouum inuiſumque apparuerit ſidus, regem certiorem reddunt, eiuſque expoſitionem declarant. Hi regia quodammodo mancipia ſunt, quidquid boni maliue rex iubet, protinus exequuntur. flagris in hos ſæpe, minima etiam de cauſa animaduertit, inprimis ille qui anno M.D.C. regno præerat. Crudelitate namque & nequitia male toto audiebat regno; plurimos namque etiam leui de cauſa, minimaq; offenſa, ad mortem flagris cõcidi iuſsiſſe dicebatur. At quamuis potiorem ſpadonum partem inertem eſſe dixerimus, nonnulli tamen & morum honeſtate & prudentia valent; quorum opera rex in magni momenti ac ſerijs rebus vtitur. Tenue quidem horum ſtipendium, habitu tamen ſerico diuerſiſque coloribus variegato ſplendent, pileo à cæteris diſcrepant: horum ſedecim millia in regia verſantur. Vide obſecrò, quibuſcum potentiſsimus Sinarum Rex aſsiduo verſetur; mirum vt non ſit, ſi voluptatibus effeminatus diffluat; non cum alijs quam mulierculis, pueris, ſpadonibuſque agere aſſuetus. Rariſsime namque regiâ egreditur. Voluntarium hunc ſibi carcerem delegit, ne percuſſorum petatur ferro; vel forſan, vt ſubditi eum metuant & colant: familiarem namque ſe contemptui, (nec immeritò) ſuis futurum putat. Tritum enim ſermone prouerbium, *contemptum parit familiaritas*, in ſegnibus ac nefarijs plerumque; non vero in viris fortitudine ac virtute inclytis locum habet. Sunt qui maieſtatis ac magnificentiæ oſtentandæ cauſa id fieri putant, quæ enim rarius ſub aſpectum cadunt, maiora & magis admiranda videntur. Regem allocuturus

turus regium conclaue non ſubit, ſed aliud atrium, vnde eum loquentem audire commodè rex poſsit. Tum elata voce alter poſtulata proponit: cui interdum rex ipſe reſpondet, at plerunq; eunuchus regii reſponſi interpres. Si quis ad illum rex legatum mittit, hunc non vt legatum (nullum quippe regem in orbe dignũ ſibi perſuadent Sinæ, qui cum ſuo per legatos) ſed vt muneris alicuius, vel gratuito, vel in ſummiſsionis ſignum oblati, delatorem admitti P. Pantoia refert. Si vero grauium negotiorum ergo regiam, vt iam nuperrime Iaponii, de Societate ineunda corám acturi, adeât; ſpectandum ſe non dat: ſed per interpretem Mandarinum omnia vltro citroq; deferentem reſponſa, totum negotium conficitur. Sunt tamen, qui externorum Regum legatos, magnis officiis & honore pro muneris dignitate excipi velint, eoſque in vno atriorum, quæ iam ſupra adeo ſplendida diximus, ad colloquium admitti. Hoc conſtat, legatos omnes, qui admittuntur, mox vt pedem in Chinam intulere, regiis impenſis toto regno deduci, regiiſq; ædibus, quas in ſingulis habet vrbibus, excipi. Si à potenti rege ac dynaſta miſsi fuerint, Mandarinos, flexo poplite, aliorum inſtar, qui à regiis præfectis, reguloque minorum gentium mittuntur, non alloquuntur. Sed vtrique vt primam regni vrbem ingreſsi ſunt, à Præfecto loci adhibita cuſtodia, hærere compelluntur; de neceſſariis interim abunde ꝓſpicitur. Reddit is interea Proregem certiorem, qui rem ad regium concilium defert; illo namque inuito vlterius progredi nefas. In reditu quoque omnia illis neceſſaria è regio ærario ſubminiſtrãtur; nullumque pro munerum à rege accepto-

Quomodo cum Rege Chinenſi legati externi agant.

Hiſt. Chin. 1.p.l.3.c.25.

rum, neu mercium coëmtarum (quæ mille interdum sarcinis non comprehenduntur) vectione pretium, nullum quoque subuectarum in aditu vectigal portoriumq́ persoluit. Hinc legatorum comites se mentiuntur sæpe mercatores, vt inferendo, efferendoq́ mercimonia à vectigali immunes sint.

Mandarini duplices. Hactenus regem regiamq́ descripsimus, iam de disciplina politica ac legibus, & inprimis de magistratibus agamus. Duplex igitur Mandarinorum genus: Primum Iurisperitorum, alterum militarium: quos inter magnum discrimen. Iurisperitorum enim ac Togatorum dignitas perpetua non est; nec succesione ad hæredem transit; sed tertio quoq; anno magistratu plerunq; amouētur. Si probe dignitate functi fuerint, altiorem consequuntur; sin minus, in ordinem redacti domum se recipiunt ac priuati viuunt, eodem quo ceteri iure. Militares porro perpetui sunt, & in parentis locum primogeniti semper succedunt. Togati nullum in patria ius exercēt, ne forte amicorum consan-*Amborum discrimen.*guineorumque amore à recto iustitiæ tramite deflectant. Militares sua in patria dignitate vt plurimum fulgent, q; amor patriæ quemlibet ad pericula illius causa subeunda exstimulet. Atq; hi ducum nostrorum militarium ritu, aliquot militum turmis cum imperio præsunt; qui pluribus, maior etiam habetur. His, vti & militibus, è regio ærario stipendium persoluitur, tum domi, tum belli. At nō tanti hi, quanti togati fiunt, quos vt numen quoddam suspiciunt. Togatorum magnus est numerus; sed octo quos alii ad sex dumtaxat redigunt; cæteris auctoritate præstant. Hi regiis Conciliis, quæ regem semper sequuntur, præsident. Primus cæ-

teros totius regni Mandarinos constituit, promeritos ad altius dignitatis fastigium extollit, atq; in illos, qui officio desunt, pro criminis negligentiæq; magnitudine animaduertit. Quod vero maxima illius sit potentia & auctoritas, *cœli Mandarinus* vulgo dicitur. Hic namque ad regem, quæ sibi videntur, refert, quæ ex ipsius voto voluntateq; vt plurimum rata sunt; nullus vt in vniuerso regno sit Mandarinus, etiam minimus, qui nō ex præsidis huius auctoritate à rege stipendium accipiat. Secundus cultum ac sacrificia deorum curat, is piacularibus & sepulcralibus victimis, ac ritibus ad regem inprimis spectantib⁹ præest; hic regem delectum populo denunciat, hic regium primogenitum aut alium ad quem regnum deuoluitur, imperii successorem pronunciat, hic connubia inter regiam sobolem conciliat, aliaq; similia peragit. Tertius concilio militari præsidet; huius est regem belli suscipiendi certiorem reddere, ac naues aduersus piratarum incursiones emittere. Proregibus & vrbium præfectis indicere vt copias suas ac naues paratas habeant: denique quidquid ad bellum gerendum requiritur, ab illo dependet. Quartus regio ærario summo cum imperio præficitur. Quintus velut ædilis curulis sarta tecta regiarum domorum curat, quæ in singulis vrbibus Proregibus, Mandarinis & externorū regum legatis exstructæ sunt. Sextus iuri dicundo, caussis criminalib⁹, ac sententiæ capitis per visitatores vbiq; locorum ferendæ præfectus est. Præter sex hosce nulla nisi Mandarinorum dignitas est, etsi verè omnium maximi sunt. Cum his siquidem rex de omnib⁹ quæ diximus consulit. Atque hi, meo iudicio, sunt, qui vulgo regium Concilium dicuntur.

Sex Præsides Conciliorum regiorum.

Regium Concilium.

Quamuis autem diuitiis hi affluere vulgo credantur,& reuera reliquorum intuitu affluant: non eæ tamen sunt opes, quæ cum Principum, Ducum, Comitum, Marchionumq; priuatorum in Europa conferantur. Quod enim à rege annuè accipiunt stipendium, exiguum, ac tenue, illorumq; clientes viles sunt & sordidi: magno tamen honore coluntur, illorumq; iussis nemo nō obsequitur: neu plebeii modo, sed & Mandarini reliqui, flexis eos poplitibus alloquūtur. Tanta porro horum magistratuum copia, vt nisi quis coram viderit, incredibilis videatur. Audiamus Pantoiam. Maxima in singulis vrbibus Mandarinorum copia est, sed Nanquini & Paquini prope infinita. Nam præter Mandarinos militares, quorum auctoritas pene sordet, atque illos, qui quotidie negotiorum ergo Paquinum vndiquaque confluunt; Paquinensium Mandarinorū numerus ad bis mille quingentos facile ascendit, qui bis de die iuri dicundo, aliisque audiendis vacant. Sed Paquinensibus relictis, de aliis maiorum gentium, qui toto regno dispersi sunt, Mandarinis loquamur.

Togati Mandarini maiorū gentium in singulis prouinciis, eorumq; munus.

Singulæ Prouinciæ Proregem habent, quem Tutanum dicunt, is quasi vicario regis munere, vniuersæ prouinciæ præpositus est: ad hunc grauissima quæq; ac maxima referuntur; pleraque decidit ipse, ac de toto rerum statu subinde regem per literas edocet. Proximus huic honore habetur, regii ærarii præfectus, qui etiam è Mandarinorum Togatorum numero est. Is cum ingenti scribarum & custodum copia tuetur ærarium, rationes & codices recognoscit, annua stipendia, salaria, mercedesq; Mandarinis militibusq; distribuit. Denique penes hunc

hunc vectigalium ac fisci regii cura est. Sequitur, qui cum consilio dilectorum virorum, non de ciuilibus modo controuersiis ac litibus iudicat, sed etiam rei capitalis quæstiones exercet. Capitis tamen sententiam non fert, sed ad visitatorem, de quo breui agemus, hoc spectat. Quartus prouinciæ quieti consulit, prædones, piratasq; pellendo, exercitus conscribendo, & dum opus fuerit classes comparando; atq; præcipue in id excubat, ne peregrini, iuxta legum præscriptum, in vrbes ac mediterranea sensim irrepant. Huic varii subsunt, atque vnus inprimis, qui quasi vicarius, ad illius arbitrium, prout opus est, varias in expeditiones cum exercitu proficiscitur. Sunt & alii Mandarini minorum gentium diuersis rebus præpositi, ac reip. disciplinæ politicæ inuigilantes, quorum difficile foret munia, ob varietatem, copiamq; recensere, tum quod hactenus certi nihil de iisdem compertum.

Togatos hosce Mandarinos diuinis ferme honoribus plebs prosequitur, quod promiscua illis quoslibet virgis cædendi potestas sit, ac sæpe leuem ob noxam. Metum hoc supplicium incutit; est enim graue, multi vt eodem exstincti sint, aut membrorum vsu priuati. Arundineo siquidem fasce virgarum loco vtuntur: arundines hæ inanes & emedullatæ non sunt, vt nostrates; sed solidæ ac prædurae, & igne tostæ, quo grauiorem faciant plagam, quatuor aut senos digitos latæ, & cubitali longitudine. Lictores quos Vpi dicunt, cædunt; hi Mandarinos, dum in publicum prodeunt, vt olim Consules aliosque Magistratus Romanos, Lictores, præcedunt. Quem cædi Mandarinus iusserit, pronum in terra prosternunt, brachiis post

Mandarini à populo coluntur.

Quomodo cædant.

terga reuinctis, caligisq; sublatis (quas plerique gestant) & capite pedibusq; rei firmatis, acerrime suras & poplites diuerberant, vt suo miselli adstantes eiulatu ac clamoribus ad commiserationem excitent. Quinquaginta verbera qui acceperit, vt plurimum emoritur. Quamuis enim mortis sententiam illos ferre nefas sit, tam crudeliter tamen in maleficos, ac præsertim latrones ac fures animaduertunt, vt quotannis magna illorum copia maxime in carcere neci detur. Octauum duodecimumve ictum vulgo non excedunt, sed supplicium hoc adeo obuium, vt vix abeat dies, quin hac virgidemia plures plectantur. Sæpe & Mandarini inferiores, superiorum iussu, hoc supplicio delicta luunt, sed nefas magistratus insignia indutos flagellare; ea sunt baltheus argenteus trium digitorum latitudine, & pileus distinctus ab aliis: prius hæc à lictoribus tolluntur; post discincti capite aperto vapulant prostrati in terra. Tum magistratus resumunt insignia, nullo sui opprobrio aut honoris damno. Si inter duos lis orta sit, quamuis alter Mandarino rem denunciet, vterq; sæpe nulla in rem inquisitione facta vapulat, atque ita iurgium dirimitur. Hæc virgarum acerbitas Mandarinos ita exosos reddidit, vt eminus conspectos omnes fugiant. Si quis enim locum non cederet, vel in genua illis transeuntibus non procideret, vel insolētius se gereret, fustigatione haud dubie plecteretur. Maiorum gentium Mandarinos foras prodeuntes, pręcedunt lictores, qui signo, voce vel sono edito plebem summouent ac locum parant. In vrbibus priuatis, ipsis transeuntibus omnes domo se abdunt, ipsi quoque opifices taberna proripiunt, & opus inter-

Quo honore Mandarinos populus prosequatur.

interrumpunt. Vidisse se Pantoia quodam in loco, ait, omnes, conspecto eminus Mandarino, ilico se subduxisse, etiam canes; tantoq; illum omnium transiisse silentio, vt habitatoribus carere locus videretur. Tantus scilicet horum metus. Plurimi catenis ferreis aliisque rebus strepitum excitari volunt, vt suum hoc pacto aduentum significent: vrbem etiam prænternauigantes, tubis, tibiisque, quas in naui habent, locum parari sibi iubent.

Si maior in vrbe, cui præsunt, Mandarinus non sit, hoc ritu incedunt. Lictores in ordinem bini, magno inter se, totius viæ occupandæ gratia, interuallo relicto, præeunt: pars sceptra ferrea stanno illita, pars vexilla gestantes, quidam galeas, alii fasces arundineos; nonnulli ferreas catenas per terram magno cum strepitu trahunt, cæteri reliqua magistratus insignia pro Mandarini, quem comitantur, dignitate. Interea certis interstitiis, Mandarinum adesse, horrenda voce præcones proclamant, quò via decedant. Sedet ille in sella, cui bini, quaterni, vel octoni pro dignitate succollant, vultu censorio, nunquam nictat, nutat, vel oculos sustollit; caput neutram in partem reflectit; statuam dixeris, aut Catonem Censorium. Tanta morum, gestusque seueritas & grauitas. Subsequuntur, honoris causa multi pedites equitesque, multi quoque sellis insidentes. Hoc ritu in vrbibus, quibus præsunt, incedunt. Non vero Nanquini aut Paquini. Nam quamuis hi cæteris dignitate præstent, his tamen transeuntibus ciues non fugiunt, locum dumtaxat cedunt. Hic sæpius equo insident, aliis autem in locis gestatorio feruntur. Habitu à cæteris differunt ciuibus, sed à Venetis

Mandarinorum habitus.

Patribus quàm minimum. Is eſt toga talaris, manicæ latæ, cingulum ſericum trium digitorum, aureis argenteiſve bullis & vmbilicis diſtinctum, pileus pyramidis inſtar acuminatus, & in ſemimitram retro deſinens, binis vtrinque auriculis ac faſciis inſignitur, vt infulæ Epiſcoporum. Peculiaris hæc & præcipua Mandarinorum nota. Omnes regiis impenſis aluntur, & ædibus regiis excipiuntur; nihil hic vt deſit, ne ſerui quidem ac ſupellex. Iis ipſis, quos prædeceſſor habuit, contenti ſint, oportet, neque alios in familiam adlegere fas eſt. Hinc in prouinciam euntibus nulla opus eſt ſupellectile, famulis nullis; duos treſve domeſticos ſecum aſſumunt. Munere iam defungentes, ſecum nihil è prouincia, præter famulos inuectos, auferunt; ſucceſſori omnia relinquunt. Mandarini itaque veſte, comitibus, domo, ſupellectile, vt diximus, à cæteris ciuibus diſcrepãt. Quamuis igitur ampli regi Sinarum ſint cenſus & reditus infiniti, ſuis tamen ſumtibus tot clientes & miniſtros alat oportet, vix vt quidquam ad ærarium perueniat.

Hi magiſtratus ordinarii ſunt: ſed præter hos in ſingulas quotannis prouincias viſitator, inſpectorq́ꝫ deſtinatur, hic ſingulas obit vrbes, ſingula diſquirit, & in reos ac maleficos animaduertit: publice in Mandarinorum vitam geſtaq́ꝫ inquirit, num probe munere fungantur; num concuſsionibus male audiant, prouinciam depeculentur, muneribus corrumpantur. Quidquam enim accipere nefas eſt, qui deliquerit, grauiſsime plectitur, ac ſæpe dignitate exuitur. Verum nõ propterea muneribus abſtinent: & quamuis ipſi huius inter ſe corruptelæ conſcii ſint, viſitatorem tamen celant, & alter al-

ter alteri hac in re auxiliatur. Tradunt nonnulli, clancularios & occultos interdum visitatores in prouincias mitti. Sed abolitam hanc à longo iam tempore consuetudinem scribit Pantoia, & olim quidem factum. Solius visitatoris est mortis sententiam ferre; malefici idcirco tamdiu carcere detinentur, donec is in prouinciam venerit; hinc plurimi, antequam appulerit, in carcere vel flagellati vel inedia malisq; confecti emoriuntur; multi quoq; molestiæ ac malorum pertæsi sibi ipsis necem inferunt, quamuis diligens habeatur ratio. Adeo namq; patens est carcer, vt vrbem referat; altissimo circumquaq; cingitur muro; quidquid ad vitam necessarium, hic venum exponitur; nec variorum hic tabernæ desunt artificum, vt foris necessariæ inferri necesse non sit. Sæpe captiui vel à custode, vel à carceris præfecto inspiciuntur, ne ferramenta ad parietes effringendos, vel funes ad murum transcendendum parent. Iura autem hoc fere pacto redduntur, Præfectus causarum ac Prætor, à primo mane ad vesperam, paucis horis ad meridiandum intermissis, præcelso in tribunali cõsidet. Cingunt latera iudices & consultores, cohors ad imperium parata circumstat, qui ad ius petendum accedunt, intromissi ab ianitoribus, procumbunt ilico, & vel eminus ipsi quid velint elata voce pronunciāt, vel supplicem libellum recitandum propalam offerunt scribis. Prætor agitata re, de concilii sententia respondet; ipsumq; responsum literis consignatum à scriba, ipse dein rubricato pigmento sua manu confirmat. Ex aperto administrantur omnia. Solitudo & secreta colloquia & arcani susurri vetantur, quo minor flagitiis & fraudibus, quæ

Carceris ordo.

oderunt lucem, aditus ſit. Leges multæ diſcrepantes rem non perturbant, ſed de plano ſententiam ferunt, prout in mentē venit. Eadem ſuper re ſententiam ſępe penitus diſcrepantem ferunt, vt hac in parte non vſq; adeo iuri ęquitatiq; conſulant. Nam quicúnq; ſcriptum aliquod validum conficere queunt, nō ſemper ea ſunt ingenii dexteritate, vt bene de iure diiudicent. Accedit adhæc, quod commodis omnia metiantur. Quod vero per ſcientiā Mandarinis ad honores dignitatesq; patere aditum dixerimus, nonnulla de illa iam dicenda ſunt.

Chinenſes literis hieroglyphicis vtuntur.

Nullum Sinæ Alphabetum habent, nec characteres aliquos affines; illorum characteres omnes inter ſe diſcrepant, & quadraginta facile millia numeraris; quamuis alii ex aliis compoſiti. In ſingula characterem habent, veterum Ægyptiorum ritu, qui hieroglyphicis vtebantur. Vocabula pene omnia monoſyllaba ſunt, ac communia ad octo pertingent millia.

Quem porro in characteribus hiſce ſitum diſpoſitionemq; ſeruant, à cæteris diſtat nationibus: neq; verſus ab læua ad dextram vt nos, neq; ab dextra ad læuā, vt Hebræi, ſed ad imum ab ſummo perducunt. Vni itaq; figuræ alteram ſubiiciunt, non vero ad latus ponunt noſtro more; atque ita ad imum vſque perducta ſerie, aliam in ſummo ad latus auſpicantur, quam etiam inferne proſequuntur. Præter ſuum cuiuſq; nationis atque prouinciæ, certus inſuper & cōmunis eruditorum eſt ſermo. Vulgo Mandarinū appellant, quem quamuis plebeii loqui neſciant, qui tamen legendi artem callent, eundem intelligunt: iiſdem namq; characteres vtriq; linguæ deſeruiūt. Difficilis hic ſermo, nec facile percipiat quiſpiam, ob æquiuoca: vnum

Sermo Mādarinis cur difficilis.

namq;

namq; idemq; verbum diuerſa ſæpe deſignat, vt nonniſi accentu, ſonoq; quodam numeroſo diſcerni queat ſignificatio, quam vt diſcernat quis, delicatas aures habeat oportet, & loquẽs diſtinctè pronunciet. Referam in hanc rem hiſtoriam non illepidã. Sacerdos Italus Chinenſi narraturus reperiri in Europa naues, quæ turres maiores magnitudine exæquẽt; verbo quo nauẽ deſignari volebat, eum dabat accentum, quem verbum quo tegula vel later deſignatur, habet. Mirabantur proinde Sinæ, & re velut fidem ſuperante eluſa, petebat cuinam tandem rei vtilis hæc tegula foret, ac ingentem eſſe fornacem debuiſſe, in qua hæc cocta fuerit. Hæc accentus diſcrimina nõ alienigenis modo, ſed & inquilinis permoleſta ſunt: vt ad ambiguitatem tollendã, remq; commodius exprimendam, ſynonyma duo vel tria inter loquendum intermiſceant; interdum quoque antitheſes & contrapoſita ad ſenſa mentis declaranda vſurpant; vel auctoritatẽ ſcriptoris hoc qui vtatur vocabulo adducunt. Exſtant quippe præclara librorum monumẽta typis excuſa longo ante tempore quàm Europa typographicam noſſet. Magni inprimis faciunt ſcripta cuiuſdã, quem Confuſium nominant, cuius omnes Doctrinã ſine vlla contradictione aut refragatione amplectuntur: cuius interpretes, vt ſcripta illa vulgo intelligantur, alias eiuſdem ſententias illi quam exponere contendunt, perſimiles adducunt, varias lectiones inter ſe cõferunt, imo & verba ſingula appendunt, quaſi numerus illorum myſticus foret. Deniq; non minori cura ſolicitudineque Confuſii ſui doctrinam integram ſinceramque conſeruare, quàm nos Sanctorum Bibliorum textum, contendunt.

Septi-

Septimo ætatis anno pueri legendi scribendiq; artem edocentur: peniculis scribunt; plurimi illis dâtur libri, quorum lectione ad gnauiter nauandã operam incitentur, spe ad Mandarinatum aliquando perueniendi concepta. Philosophicas artes & Mathematicas raro attingunt, nonnulli tamẽ mathesi ac morali philosophiæ animum applicant: Scripta siquidem permulta sunt, quæ de rebus ethicis ac politicis peregregie tractant. Rhetoricæ pleriq; dant operam. Doctrina namque, quæ ad honores ac magistratus aditum patefacit, nonnisi in diserta amplificatione (quæ Græcorum Chreiæ respondeat, ac cuius præcepta Aphthonius Sophista tradidit) alicuius thematis sententiæq; propositæ consistit; atque aliud non est, quàm elegantem, moratamq; de omni materia orationem texere. Et sanè id præstant non inscite. Nam quod ingenio valeant, & vni huic rei penitus incumbant, faces inprimis subdente honoris dignitatisque spe, hac eloquentiæ laude excellunt. Scholarum ratio penitus alia quã in Europa, in qua publicæ vniuersitates, in quibus encyclopædia atque adeo scientiæ omnes edocentur, quasque omnes promiscuè nemine excluso frequentant. Sunt qui singulis Chinæ vrbibus, imo & opidulis ac pagis vniuersitates tribuant; nullam tamen in vniuersa China esse tradit Pantoia, in qua professores regiis alantur stipendiis, & nostrorum instar, publicas lectiones habeant. At quibus amplæ sunt facultates, pædagogum alunt, qui liberos priuatim erudiat. Alioquin singulis in vrbibus ac plerisque pagorum magistri sunt, qui iuuentutem edocendo victum sibi comparant. Triplex hic eruditorum gradus, qui nostris Baccalaureis, Licen-

Num in China vniuersitates.

Tres eruditorum gradus.

Licentiatis ac Doctoribus respondet: qui ad primum ac secundum aspirant, præfixo tempore prouinciæ metropolim adeunt; singulis quippe trienniis, post exactum examen qui iisdem digni fuerint iudicati, ad eosdem ascendunt. Porro hoc pacto examen instituitur. Omnibus studiosis vnum in locum collectis thema præscribitur, de rep. ac regno plerunque, quod amplificando dilatent, ac verborum sententiarumque vestiant floribus. Tum clausis ostiis, quisque examinandorum, cubiculis variis includuntur; adhibita etiam custodia, ne sibi inuicē loquantur. Prætentato tamen prius sinu, ne quem secum occulte inferant librum; ac ne chartulam quidem digiti longitudine. In quo religiosi admodum ac stricti sunt. Inclusis præter chartam, atramentum ac peniculum, quin & lumen, si de nocte lucubrare voluerint, non datur. Viginti & quatuor horarum spatio scriptum hoc cōficiendum; in quo tam intento studio ac diligentia incumbunt, vt non raro emoriantur, præsertim si pro secundo gradu examen est. Penso quisque suum nomen ascribit, simul & originem ac patriam. Sed adeo obscure & intricate, vt Censores, quib⁹ doctiores seligere incumbit, nomen non agnoscant. Scribæ namque intersunt plurimi, qui scripta describunt, sed à dictantibus nomen scribentis nō iudicatur. Autographa annariis sigillo munitis ac diligenter asseruatis includuntur: descripta traduntur iudicibus (qui plerunque è doctissimis totius prouinciæ deliguntur) vt per otium eadem perlegant; ignorauit tamen quorum ea sint, ne quis gratiæ ac fauori sit locus. Perlectis omnibus, quæ optimæ sunt notæ seponūt. Dein autographa scriniis educta cum descri-

Examen pro primo ac secundo gradu.

descripto cōferunt, tum demum apparet, quorum sint ea quæ seposita fuere. Publice tum nomina recitātur, magnaq; pompa & solennitate ad primum, secundumve gradum promouentur. Secundus nemini confertur, ni ad primum prius ascenderit. Cuius rei magna habetur ratio, ne quis fraudi sit locus. Quod si fiat, cuius id culpa factum, grauiter plectitur, & dignitate, etiamsi è maiorū gentium Mandarinis foret spoliatur; quamuis etiam nonnisi de primo ac minimo agatur gradu: at si de secundo aut tertio, maior habetur ratio. Qui gradus hosce, etiā inferiorem ascenderint, magnis donantur priuilegiis, quin & vniuersa illorum familia. Ad reliqua tamen parare se debent examina tempore suo subeunda; donec ad tertium ascenderint gradum, vt interim sedulo studiis incumbant. Ad quam diligentiam, qui gradum nondum nacti sunt, non tenentur. Non raro autem contingit, vt, magno sui probro, quod in otio tempus inutiliter elabi siuerint, gradu iam obtento priuētur. Pleriq; in primo conquiescunt, nec vlterius ascēdere satagunt: exactius namq; examen, antequā ad vlteriora pertingant, subeundum est, ad quod nō omnes, qui se obtulere admittuntur: sed primo gradu initiatorū præcipui, aut qui à postrema promotione maiorē profectum fecerint. Porro certus ac fixus est in singulis prouinciis, prout priuilegio regio cautum, ad secundum gradum promouendorum numerus; in his maior, in illis minor. Ad hunc dum quis gradum ascendit, si ad vlteriora pertingere nolit, Mandarinatui admouetur, sed minori; at qui tertium ascendere gradum potuerint, maiorē dignitatē adeunt. Ad quā qui aspirant, obtento secundo, Paquinum in regiā se conferunt, vt examinati ad ipsum perueniāt.

Priuilegia & dignitates eorum, qui hosce obtinuerint.

Quibus

Quibus omnia à regiis præfectis ad iter necessaria quàm liberalissime subministrãtur. Tertio quoq; anno pro hoc gradu etiã examen institui solet: qui primo ipsum cõgressu nancisci nõ potuere, secundũ repetunt, quin & tertiũ ac quartũ, donec pertingãt, nisi ante emoriantur; quod fieri non raro solet, vel nonnisi summa senectute ipsũ adipiscãtur. Trecenti quinquaginta non amplius, hac laurea donari solent: atq; hoc nullus tota parari China maior honos per scientiã potest. Tum namq; in Loytias referũtur; in quo maximè titulo nobilitas omnis sita. Nõ quod genus inclytũ & illustre habeant, sed nobilitatem ipsa parit dignitas, nullũ vt regi tributũ censumq;, aliorũ instar, pendant, cũ annuum è contra ad dignitatẽ tuendã à rege honorarium accipiãt. Horũ ex ordine Mandarini primores seligũtur. Dies porro quo ad gradũ hunc ascẽdunt, magna conuiuiorũ ac ludorũ pompa & celebritate peragitur. Noui magistri phaleratis in equis, ingenti omniũ ordinũ studio & Mandarinorũ comitatu per vrbẽ incedunt. Cæterũ inter trecẽtos illos quinquaginta, qui tertium gradũ ascendunt, magnũ etiã discrimen; quis nempe primus, secundus, & sic de cęteris, prout scripta merentur: tres ex vniuerso corpore selecti, quod cæteris omnibus præemineãt, in prima cõstituuntur linea, atq; horũ triũ vnus primatum obtinet. Magni his à rege honores conferuntur, & ab eo tum tempore (quamuis ætate sint minores) in Mandarinos maiores adlegũtur. In secundũ ordinem, triginta vel quinquaginta, qui reliquis præstant, coniiciunt. Atque hi etiã Mandarinatui admouẽtur; sed minoris auctoritatis, quã tres primores cæteri per prouincias disperguntur, & variis in locis dignitatẽ exercent. Mox enim vt hunc gradũ adepti, Manda-

Examen pro tertio gradu.

Loytiæ nobiles Chinenses, eorumq; dignitas.

Dignitas & honores primorum.

Mandarini creantur, & singulis vel in regia, vel alio in loco, dignitas aliqua confertur. Dein probati spectatiq; gradatim ad superiora conscendunt; sæpe etiam deiiciuntur, & dignitate penitus priuãtur. Horum singuli paternis ædibus, epigramma literis maioribus inscribunt, cuius hæc summa: DOMVS HÆC DOCTORIS EST; atq; ideo maioris aliis fieri solet. Arbores quoque, pro patriæ more, ante fores plantari solẽt; vti apud nostrates Kalendis Maii (quas proinde Maias vulgo dicimus) ante Præfectorum Ducumq; ianuas fieri consueuit. Adeo vt Mandarinus vrbis, in qua natus, arborem vexillo dependente insignem, illi mittat; quæ prius non euellitur, quàm computruerit. At qui trium primorum primus fuerit, maiori cæteris honore afficitur. Arcus quippe triumphalis ante domum natalem erigitur.

Quos habeant libros, & quorum.

Doctoribus triplici examine iam probatis, scripta argumentaq; composita, addito suo ac parentum simul & patriæ nomine magno illorum præconio, typis mandantur. Libri quibus incumbunt, scripta sunt philosophorum veterum, qui ante bis mille annos aut amplius hic floruere. Multi namq; illorum præclare de virtutibus ac vitiis, deq; politicis rebus scripsere; nonnulli etiã sanctitatis famã consecuti sunt, ac præsertim Confusius, de quo iam ante locuti sumus. Tanto hic passim honore fulget, vt eruditi omnes ac Mandarini, annua illi sacrificia velut numini ob pręclaram quam vixit vitam, & quos posteritati tradidit libros, offerre non dubitent. Omnem quoq; illius progeniem rex suis alit expensis, & honoribus auget amplissi. qui in filios continua successione, in gra tã tanti viri, à quo genus ducunt, memoriã transeunt.

Quamuis

Quamuis hic ipse & ceteri Philosophi Chinenses Platonem ac Senecam imitentur; illorum tamen nemo aut elegantia aut multitudine cum duob. hisce comparandus est: qui tametsi præclaras hinc inde per scripta sententias & gnomas spargant, nostris tamen hoc in genere Patrũ Societatis qui hæc & illa legerunt, iudicio pares non sunt. Confusius tamen, licet ab illorum doctrina, ingenioq́ multum abfuerit, scientia certe & veritate quam proxime ad illos si modo vera sint, quæ de illo circumferuntur, accessit.

Plurimos quotannis libros prælo committunt, sine vllo prorsus examine ac promiscue. quisq; quod de qualibet re concepit, laudandũ, explodendumne passim diuulgat. hinc de omni facultate plures hic exstant, quam in Europa libri, & Bibliothecæ omnigenis instructæ, quam minimo veneunt pretio. Tanta namque eruditorũ hic copia est, & quidem honoris ac laudis sitientissimorũ, vt pleriq; auctoritatis comparandæ gratia, ad scribendum animũ applicent; ac de omnibus rebus naturalibus, quas China progignit, vt de mineralibus, plantis, animalibus, alijsq; minimis accuratissimi exstẽt cõmentarij. Sed qui de moralib. scripsêre maximi fiunt. Si quæ momenti maioris negotia dirimenda sunt, eruditi omnes in consiliũ adhibentur, quod hoc fieri solet ritu: Theses quæ in controuersiam vocantur, Paquini impressas ad singularum præsides prouinciarum mittũt; quas ille mox per omnes prouinciæ vrbes dispergit: tum singulæ primores territorij sui doctores consulunt, atq; ad vrbem metropolitanam, quo cæterarum delecti conueniunt, de-

 stinant.

ſtinant. Hic omnes includuntur domo,(in qua, vt diximus examen fieri ſolet) & de re in controuerſiam vocata quiſque pro ingenij mentiſque ſolertia commentatur. Tum ſingulorum opinionibus à præſide aſſeſſoribuſque perlectis, ſelectiores ſuæ prouinciæ nomine impreſſas Paquinum deſtinat, vbi reliquarum prouinciarum libelli ab Eruditorum collegio regioque concilio examinantur. Regi perlectis omnibus quid ſtatuendum, decernendumque ſit, proponunt. Hinc quidquid in regia hoc pacto definitum eſt, ab omnibus velut ſincerum, & cœlo delapſum admittitur. Verum vt Eruditorum Chinenſium numerus perſpiciatur, referam P. Nicolai Lombardi Itali, Societatis Ieſu de ſola Cantonenſi prouincia iudicium. Hic itaque in litteris Xaucheo ad R. P. Generalem tranſmiſſis, hoc modo ſcribit: *In Prouinciali Conſultatione Cantonem tria litteratorum conueniunt millia, qui tanquam flos ex omnibus ciuitatibus & c[a]ſtellis huius tractus delecti ſunt, è qua hac proportione, vt ex mille nunc triginta, nunc quadraginta, ſummũ quinquaginta eligant. Accepto igitur numero maiori, cum ad deliberandum tria millia cenſeantur, ſequitur neceſſario omnes litteratos, ſeu doctores huius prouinciæ LX. millium numerum explere. Quod ſi in vna ſola prouincia LX. millia doctorum inueniantur, quis erit eorum litteratorum numerus, qui necdum gradum aliquem ſcientiæ adepti ſunt? & ſi hæc in prouincia vna, quæ exurget multitudo, ſi doctoribus & duabus aulis tredecim prouinciarum ſtudioſi adiungantur?* Hæc P. Lombardus. Atque hoc modo Chinenſes litteris incumbunt, non modo qui iiſdẽ ad dignitatem aliquam aditum ſibi patefacere contendunt, ſed & alij. Pauciſsimos quippe eſſe ait,

etiam

etiam ex opificib. & mechanicis,qui scribendi, legendiq́ꝫ artē ignorent. Nam hāc ad commercia ineunda,compendiosam existimant.Poëtica non minus delectantur; adeo vt etiā magni nominis viri turpe non ducant, eidē operā nauare,& officij causa alter alteri poëmata mittat. Musica capiuntur,etiā optimates; pictura quoq;:sed huius non adeo periti sunt. Vmbrarum n.inducendarum artē non callēt,nec oleo colores temperandi. Instrumenta vero Musica grauiter satis ac numerose pulsant, Europæi tñ palmā prępripiunt.Seueriores ac magistratus vnico duntaxat instrumēto ludere addiscunt, qꝫ nostro, quā barbyton vocant,aliquo modo simile est.forma tñ differt,&alio pulsatur modo. Atq; vt nulli in vniuersa China grauiores maiorisq; auctoritatis viri,q̃ Eruditi,ita &nulli,q meliorē vitę rationem seruent.Quamuis enim pleriq; horū, antequā ad Doctoratū aut Mandarinatum ascendāt, infimæ ac vilis conditionis sint,ad aliquem tñ dignitatis gradum electi penitus mutantur, & honeste ciuiliterq́ꝫ vitam instituunt. Horū nonnulli constantia, integritateq́ꝫ in munere suo effulgent, vt superiorib⁹ ānnis facile patuit. Quamuis n. rex adeo absolutā ac pfectā potestatē habeat, vt de maximis Mandarinis pro libito statuere queat; ea tamē nonnullorū fuit cōstans & intrepida animositas,vt nefaria illi⁹ molimina euertere,ac suam magna libertate sententiā pro reip. bono ꝓponere non sint veriti,etiā qui modo imperiū obtinet Vanliæ XII.cui plurimi scripto edito refragati sūt,vt libera legēdi omnib.facultas fuerit. Ac tāetsi illi⁹ indignationē offensamq́ꝫ incurrēdi,simul & supplicij grauissimi ꝑter dignitatis *Mandarinorum nōnullorum constantia.*

certisſimo amittenda, periculum immineret; priuata tamen commoda reip. ac regni totius incolumitati poſtponendo, ſui illum officij commonefecerunt. Inter cæteros quidam tota China tum ob virtutem, tum ob prudentiam celeberrimus, Regi hoc argumento litteras miſit: Tametſi compertũ mihi ſit, inclyte Rex, crucẽ qua enecer, certo certius manere me, ignemq́ iam ſuccenſum, quo exurar; non poſſum tamen, quin Maieſtatem veſtram erroris, & peſsimi quod vniuerſo dat regno, exempli commonefaciam. Deinde quæ fieri tollique vellet, inſigni libertate proponebat, vt omnes obſtupeſcerent. Irritatus rex, virtutis tamen, integritatiſq; viri ratione habita, in illum animaduertit; ſed maiori, quam ſibi quiſq; perſuaſerat, moderamine. Simile libertatis exemplũ ſuperioribus annis contigit. Rex cum plures præter legitimam, vxores habeat, quarum filij (ſi regina illiberis ſit) primogenituræ non ordinis, primæ, ſecundæ, aut tertiæ (ordo ſiquidem inter has eſt, vt diximus) habita ratione in regnum ſuccedunt; ſi nullas è Regina legitima proles, ſed è tertia filium, qui primogenitus, & poſt alium de ſecunda ſuſceperat.

Secundam eiuſque filium vnice diligebat, ideoque illum præter regni ſtatuta (quibus primogenitus patri ſuccedere debere traditur) ſucceſſorem ſuum declarare nitebatur. Elapſo interim tempore, quo primogenitus, velut legitimus regni ſucceſſor declarandus eſſet (rege ſtudio rem differente, vt ſecundo genitus interim adoleſceret) plurimi Mandarinorum regi patrias leges violanti obſiſtere. Primi omnes, dignitate exuti, in ordinem redacti

acti sunt. cæteri, viso sociorum periculo, nec regem rogatum primogenito regnum deferre prudens consilium ineunt, ac Mandarinos omnes in regia versantes (quos duorũ millium numerũ facile superare diximus) statuto die, vt in regiã conuenirent, citant. Dictum factum. Adsunt omnes, cum magistratus insignibus, regi libellũ offerunt, rogantes, vt cum rex iam sæpius admonitus, æquitati obnitatur, beneque consulentibus auscultare nolit, inique non ferat, si magistratu cedentes, illius deponerent insignia, priuatam enim se vitam agere decreuisse, in ordinem redactos; alios suum in locum regem substituere posse, qui illius voluntati morem gererent, illique assentari malint, quam regni incolumitati salutique consulere. Rex perspecta procerum primariorum deliberatione, tot præclaros magistratus amittere vno tempore cum metueret; per eunuchum significauit, dignitatem vt seruarent, postulatis illorũ se assensum præbiturum; vti & præbuit. Hæc de Mandarinis togatis comperire potui. de militarib. iam nonnulla dicenda sunt, qui alijs numero non cedunt, sed honore ac dignitate, cum illis subsint, & in hos, Togatos animaduertere fas sit.

Constantia Mandarinorum.

De Mandarinis militaribus.

Rex itaque, quamuis nullo domi forisque bello distineatur, magnas tamen tam equitum quam peditum copias suis alit stipendijs: hi non modo arces occupant, quas in regni limitibus, ac præsertim in Tartariæ vicinia, (quam maxime formidat,) ac locis maritimis habet, sed & vrbes primates in regni meditullio. In his singulis noctibus per muros excubiæ circumeunt, quasi hostis portis immine-

ret, cum tamen summa pace & quiete perfruantur. Arces toto regno nullæ, præterquam in finibus: at in vrbibus mediterraneis milites præsidiarij, in portis noctu diuq́ excubantes stationes habent.

Quas ante Solis occasum claudunt, nec ante ortum aperiunt. Claudentibus vrbes adest præfectus, aut Mandarinorum primus, aut alius illius nomine; portarum claustris sigillum chartæ impressum apponitur; priusquam mane reserentur, inspicitur, num integrum inuiolatumque. Singulæ plateæ binas habent portas, quæ eodem quo vrbanæ clauduntur tempore. Hac ratione multis occurritur incommodis; nam si qua de nocte præsertim admissa cædes aut iniuria, facilè maleficus comprehenditur. Nulli præter milites arma gestare licitum. domi habere cuilibet permissum, sed non propterea reperias: imo eruditiores turpe sibi ducunt, domi arma seruare. Et sane frustra fuerint. Iam enim à multo tempore bello caruêre: in mutuis iurgijs disidijsque ferro ius suum nō tuentur, sed contumelijs ad summum se mutuò proscindunt, pileoq́ auulso verticem expilant, quod pugnæ & certaminis genus apud Europæos muliebre censetur. Grauem non putant iniuriam, colapho cædi, aut mendacij insimulari, alijsque contumelijs affici.

Quomodo Mandarini militares eligantur.

Sed ad Mandarinos reuertamur. Hi non generoso aliquo facinore aut fortitudine hanc dignitatem sibi comparant, sed scripto aliquo ceteris elegantius de re militari composito. Prius tamen quam dignitatem adeant, bis terve iaculantur; non artis id experiundæ gratia,

at

at quod ita mos obtineat. filij parentibus in hac dignitate ſuccedunt: ſecus ſe in Togatis res habet. Milites plerique eo nati ſunt loco, quem præſidio occupant; horum permulti mechanici ſunt, & viliſsima conditione, vel Mandarinorum baiuli. At dum luſtrantur copiæ, ad ſtipendium accipiendum (quod nouilunij initio menſtruum illis perſoluitur) omiſſo opificio, gladiati comparent. Et ſane Chinenſium fæx ſunt, & infimæ ſortis homines, Bonzijs exceptis. Armis alijs non vtuntur, quam bombarda, haſta, clypeo, gladio, acinace, & ferratis baculis, alijſque lunæ in morem cornutis, ſecuribus, ſica, & lorica. *Quibus vtantur armis.*

Equites, quaternos è ſella geſtant enſes, & binos quam dexterrime vibrant, quaque manu vnum. Verum maxima tam peditum quam equitum pars abiectiſsimi ſunt animi, armorum tractandorum imperiti; tum quod alta gaudeant pace, tum quod duriſsimo Mandarinorum premantur iugo. qui tamen in ſeptentrionali regni parte agunt, Tartaris vicini, armis tractandis magis aſſueuere, & robore & animo hoſti non cedunt. Paucis vero, cur Tartaros tantopere Sinæ metuant, & cur ad illorum incurſus reprimendos celſum illum, de quo iam ſupra egimus, murum exſtruxerint, complectar. Quadringenti aut circiter iam elapſi ſunt anni, ex quo Tartarorum rex totum Chinæ regnum occupauit, vt M. Paulus Venetus, qui Tartari caſtra ſequebatur, teſtatur; hoc tamen regnum *Mangi* nuncupat; verum ſitus, quem aſsignat, habita ratione, (mare namque eius terminum ſtatuit) aliud hoc eſſe nequit, quam Chinæ. Ducentis id, aut aliorum *Tartari Chinam occuparunt.*

Sed à Bonzio Chinēsi pelluntur.

ſententia, paulo minus, annis Tartari tenuere. A Bonzio Chinenſi inſignis ingenij & animi viro, tandem pelluntur. hic deinde Chinenſi regno præfuit, cuius etiamnum progenies ſceptrum tenet, ab hoc enim omnes qui hactenus fuêre reges, originem duxêre. Illius iudicij ac prudentiæ permulta exſtant monumenta, non modo ſcite grauiterque dictis, ſed & factis conſilijſque etiam rebus difficillimis ac perplexis clarus: inprimis vero præclara quam induxit regendi ratione ac methodo: Ab ipſo namque politica diſciplina, quæ hodie in vſu, nec vlla ratione immutata eſt, (vt ipſi quidem indigenæ perhibent, quamque perpetuam futuram credunt) duxit exordium.

Instrumenta Mathematica in China à Tartaris relicta.

Sui quoque aduentus in China Tartarus reliquit veſtigia, quæ etiamnum Nanquini (antiqua hæc Regum Chinenſium ſedes; hîc quoque ſuam Tartarus fixerat) conſpiciuntur. Nonnulla quippe hîc Mathematicæ diſciplinæ inſtrumenta viſuntur ex ære parata. hæc Tartaris regnantibus hîc poſita iactant: quibus (teſte Pantoja, qui vidiſſe ſe tradit) nihil par forſan habet Europa. Globus eſt inter cætera, omnibus Meridianis & parallelis, additis quam accuratiſsime ſingulorum gradibus, ſignatus; aſtrolabium quoq; quod tria complectitur; primũ, ab aquilone ad meridiem, alterũ ab oriente ad occidentẽ, ac tertiũ ab altera parte ad ſtellarũ altitudinem, horas aliaq́; ſimilia cognoſcenda. Poſtremo vaſta quædã ſphæra cũ æneis circulis tanta ꝓportione & arte digeſta, nihil vt deſit. ſingula inſtrumenta diametrali lõgitudine arũdini facile ęquãtur hodie draconibus,

nibus, qui Regis Chinensis insignia, insistunt; tamq; scite horizonti adaptata sunt, vt insignis cuiusdam Mathematici opus videantur. Ceterum Tartari, vt ad propositum redeam, China pulsi, omnem illius recuperandæ spem penitus non deposuere: hinc assiduis incursionibus Chinenses qua sibi viciniores sunt, lacessiuere, sed frustra. illi namq; celso quod diximus repagulo ac propugnaculo horum impetus exclusere. Ora maritima non minus aduersus Iapones aliosq; aduersarios munita. In singulis namq; portubus ingentes stant classes, tum ad hostiles incursus retundendos, tum ad piratas, qui frequentes hic, eliminandos. quod enim otiari quemquam nefas sit, qui labore non delectantur, alio se conferunt. hinc magna sæpenumero erronum ac desidum coalescens multitudo vel terra latrocinia, vel mari piraticam exercent; hanc vero frequentius, terra namq; non adeo tuti sunt. Hi non institorum modo naues expugnant, sed & vrbes maritimas inopino incursu sæpe diripiunt. Idcirco in portub⁹ naues semper in procinctu stant, ad piraticas incursiones reprimendas: quæ si non sufficiant, quam breuissimo spatio sexcenti aut amplius hinc inde præsidiarij colliguntur.

Freq... in China pirata.

Varia hîc nauium genera. Maximas naues, vento dumtaxat mobiles, vulgo iuncos appellant ex ijs partim ad bellum parantur, eminentibus ad proram puppimq; castellis; partim depressiores ad mercaturam & onera; eadē tamen forma ac magnitudine qua priores. Sunt quas Lanteas, quas Bancones vocant, illæ sex remis ingentibus, hæ tribus tantum, quaterno vel seno in scalmum remige ad vtrumq; latus

Chinensium naues.

 instru-

instructæ. Longis etiam triremium instar vtuntur; sed sine rostro, & ad amnes & vada sulcanda plano alueo fabricatis. portus hę facile proinde subeunt, ac tales Mandarinorum naues sunt, vt supra diximus, nisi quod hæ elegãtiores sunt. Purgandæ vero naui pluribus confertam vasculis antliã ad latera introrsum applicant, eo artificio, vt vnus quilibet sedens, alterno pedum ac perleui motu paucis horis quã tãlibet sentinã exhauriat. Hęc sunt quę de Sinẽsis reip. forma colligere hĩc inde potui. videam⁹ iam quid in ea laudandum quid culpandũ sit.

Vtilitates reip. Chinensis. Laudem inprimis meretur mira omnium ordinum ac magistratuum regiorum parentia, & subordinatio, vt vocant. & sane in tanta hominum multitudine laudabile est, tanto singula ordine administrari, vt (dempta religione) non Gentilium, sed Christianorum, & quidem optimorũ, resp. videatur. *Illius subordinatio.* Adhæc, quamuis plenum penes regem non in facultates modo & opes suorum dominium sit (adeo vt nullus in vniuerso sit regno, ne Loytia quidem, quin regem soli fundiq; quem possidet dominum, annuo persoluto tributo, agnoscat) sed in vitam quoq;, vt in singulos pro libito animaduertere liceat, hæc ipsa tamen potentia priorum Regũ legibus, quas successores infringere nefas putauere, coercetur, vt non quæ velit, eadem & exerceat. Patrijs siquidem statutis cautum est, vt in omni re suorum consilia consultorum exploret. valent hi vt plurimum iudicio, virtute præstant, prudentia & rerum peritia eminent; regi tamen subditi sunt, & consultiuum dumtaxat non diffinitiuum suffragium ferunt, nisi forsan facultatem rex concesserit. His omnes

Prouin-

Prouinciarum præfecti ac proreges subsunt, his autem omnes prouinciæ cuiuslibet Mandarini, qui in plebem dominium exercent. Vt qua in plebem Mandarini inferiores potentia pollent, eandem prouinciarum præfecti in Mandarinos suos, ac regium Concilium in præfectos, & rex in consultores suos habeat; omnis tamen subditus à superiore suo eo prorsus modo, plecti potest, quo in suos illi subditos animaduertere licet. Hinc subditi omnes, superiores in terram procumbentes alloquuntur.

Magna subordinatio hæc afferre commoda consueuit: quidquid enim à rege Concilioq; decretum est, ab omnibus, nemine refragante admittitur: quidquid etiam toto agitur regno, ad regem quamprimum refertur. Mandarini enim inferiores, præfectos prouinciarum illico certiores reddunt, hi regio Concilio, hoc regi rem significat. Hinc quidquid statuitur incredibili celeritate executioni mandatur. Inferiores namq; ad superiorum nutum sunt quã promptissimi, vix vt prolatum mandatum sit, quin implere satagant. Veredarios habent in hanc rẽ, vti nostrates, ij per equos paribus ferme interuallis in via dispositos, celerrime peruolant; suumq; in singulas positiones aduentum, quo recentes equi, seu, ad flumina traijcienda, naues illico expediantur; vel tintinnabulis perargutis è belluæ ceruice pendentibus, vti apud nos muliones; vel etiam, vt hic moris est, cornu sæpius inflato prænuntiant. atq; ita præfecti prouinciarum non modo de rebus extra ordinem fieri solitis, sed etiam ordinarijs ad regium Concilium referunt. nam in singulos menses ad regios consultores per-

Iussa quam primum executioni mandantur.

perſcribere tenentur. Hoc pacto innumeras quam breuiſsimo ſpatio conflant copias, inſtruunt claſſes, parant machinas, & vno die adaptant, quod multis alibi vix annis paretur. Huc conducit imprimis pecuniæ, commeatus, materiæ, opificumq; ingens copia.

Reip. præſunt eruditi.

Prouenit hinc etiam, quod quoniam ſolis eruditioribus honores & dignitates conferuntur, multi litteris incumbant, & doctrinam illam quam hic ſectantur, aucupentur. Quæ non parum vſui eſſet ſolet, nam quamuis non adeo abſolutam ſcientiarum cognitionem habeant, ac noſtrates; aſsiduo tamen ſtudio mens excitatur indies. nam diligentia imprimis excellunt. quod vero vniuerſum regnum viri eruditione illuſtres dirigant, dubium non eſt, quin optime reſp. dirigatur.

Bella ciuilia deſunt.

Tertium quod ex hac reip. forma naſcitur bonum, quod bella ciuilia ac motus inteſtini, qui hinc inde inſurgerent, penitus hac præſecentur ac tollantur. Regij quippe filij ac fratres, regno inhiando nullos excitare queunt. nam quamuis laute habeantur, loco tamen quo relegantur, propoſitâ capitis pœna, pedem efferre nefas, niſi regis impetratâ, quam numquam ille dabit, facultate. Nullis adhæc rebus præſunt, ſed Mandarinis ſolis commiſſum imperium; nec his motus aliquos & citare facile eſt. nam qui perpetui ſunt, vt militares, Togatis ſubditi ſunt, atq; hi nonniſi trienne habent imperium. Quoniam vero doctrina plerumq; ac virtute ad hoc honorum culmen pertingunt; cum plebei ac viles plerig; ſunt, idcirco amicorum conſanguineorumue niti ope nequeunt: &, ſi forte affines inflarent, aut animos

mos suggererent elatiores, in cassum id foret. Semper enim in extero solo Mandarini constituuntur.

Porro ita à se inuicem distincti sunt, vt, qui rebus bellicis præsunt politicis ciuilibusque se non immisceant; qui vero remp. curant, nullam regij ærarij curam habeãt; præfecti autem ærarij, de rebus tum vrbanis tum bellicis non laborent. Deniq; quod Magistratibus alios sibi adsciscere ministros non liceat, quam quos rex attribuit; hinc nulla motuum occultorum aut bellorum ciuilium excitandorum, ansa cuiquam datur.

Externa quoq; bella prohibent classes in mari assiduo vagantes, & præsidia quæ limitaneas ac mediterraneas vrbes occupant, vt iam dictum est; tum etiam nullius exteri in regnum admissio. Grauissime namq; legum statuto plectuntur, non Sinenses modo, qui Mandarinorum iniussu externum in regnum introducunt; sed externi quoq;, si clanculo vel alio astu vltro se ingererent. qui id faxit, si vitæ periculum non adeat, perpetuo saltem clauditur carcere. Vetitum adhæc, nequis indigena, Mandarinis inuitis, alio se, mercandi gratia, conferat: qui si copiam fecerint, certi temporis eam limitibus coarctant, & quidem cautione accepta intra præfinitum tempus illos reuersuros. Externos institores in emporia, Mandarinorum iniussu non admittunt; quam illi facultatem tabulæ inscriptam, proræ, portũ subeundo, affigunt. Hîc quidem exscensionem facere fas est, huc & illuc euagari nefas. Sancte hoc inuiolateq; seruatur. hinc Lusitanis, quamuis à longo iam tempore in China negotiati sint, etiam

Item externa.

Externi regno excluduntur.

etiam illis qui in Macao regni Sinensis vrbe sedem domiciliumq; fixerunt; alio sedem transferre aut proficisci licitum non est, quam Cantonem; atq; id nonnisi impetratâ prius à Mandarino facultate; quæ nonnisi certo anni tempore dari solet, & ad præfixum terminum restringi. Noctu quoq; in suburbijs, nedum in vrbe, commorari nefas est, sed ad naues sub vesperam redeundum. imo ne vetus quidem opidum de die adire licitũ. Adeo sc. ab exteris sibi metuunt. Ad pacẽ quoq; conseruandam nõ parum facit, quod dominium regnumq; dilatare nolint, aut alias regno prouincias adijcere. lege namq; statutum est, ne quis, nisi vitæ adire periculum velit, rege Concilioq; non rogato externos bello lacessat. plurimas olim insulas, vt Iaponem, Lequienses, Lussonenses, Iauas, aliasque imperio adiecerant; quin & varias in India prouincias vt Cochinchinam, Chiampã, Sianem, Malacam, & (vt nonnulli tradunt) regnum Coromandelis, Narsinganum, & Calicutanum simul & Cetlani insulam. Sed sponte ijsdẽ cessere; vtq; regni sui corpus sanius foret & integrius, redundantem emisere sanguinem. Hinc omnia quæ occuparant regna vltro deseruere, ne quod inde sibi domi detrimentũ eueniret, & procul à patria bellũ gerendum foret, si quis eas inuadere pararet. Eamdẽ ob causam deseruere abhinc paucis annis regnũ Coraianum ob vicinitatẽ satis commodũ. nã nonnisi freto, vt diximus, à China dirẽptum est; terrâ quoq; iter in ipsum patet, vtpote contiguâ ac puiâ. Verũ ꝙ Iapones Chinam abhinc aliquot annis inuadere conati centum quinquaginta, hominũ millia huc coegissent; Sinæ regnũ suũ defen-

Regni fines dilatare nõ curant.

Coraianũ regnum abhinc paucis annis deserue- re.

defenſuri,hoſtilē'que impetum repulſuri,ingenti collecto exercitu, Iapones hinc pepulere ; vt amiſsis quinquaginta ſuorū millibus re infecta in Iaponiā redire compulſi ſint.Inito fœdere cū Sinę Coraiam duobus tribuſue annis retinuiſſent,tandē penitus Iaponijs ipſam ceſſere;tū ne illius conſeruādi gratiā ſuas minuere vires cogerentur, tum quod nullus Mandarinus eidē præeſſe cū imperio vellet. Nihil quippe ſibi accidere poſſe grauius putant,quam extra Chinā, etiam cum imperio,proficiſci. Adhæc, quamuis nonnullas inſulas ac regna Sinæ olim poſſederint,quę illos proinde vt dominos agnoſcunt, atque ad annuū tributū tenentur; rex tamē ipſū negligit,dominium'que hoc ne hilum facit.Tales ſunt Inſulę Luſſonenſes,quę modo Philippinæ dicuntur, quod Philippo II. Hiſpaniarū gubernacula moderante illas Hiſpani occuparint. Illarū incolę regem Sinarum olim dominum agnoſcebant; at ex quo Hiſpano tenentur præſidio, nullum illi tributum annue tranſmiſſum eſt,de quo nihil dum laborat. Si quę alię in obſequium dominium'que illius tranſeunt ſuum, non regium compendium,ſpectant.Quotquot enim illi obſequium delaturi Chinam petunt, ſuo id faciunt commodo. magnis nam'que à rege donantur muneribus, ſuaſq; quas inferunt merces caro diuendunt, & alias inde nullo vectionis pro vtriſq; perſoluto pretio educunt. Quod enim legatorum nomine regnum ingrediuntur,nullum omnino eundo redeundo'que in vniuerſo regno vectigal, tū ſuo tū merciū nomine,perſoluūt. Hoc legationis titulo plurimi mercatores Mahometani,dū ſe variorū Regū, ac præſertim regis Perſarum, magni Mogor,
alio-

aliorumq́ue, quorum ad Chinenses nomen peruenit, legatos mentiuntur, suas distracturi aliasq; empturi suo commodo merces, Chinam ingrediuntur. Fingunt namq; à Regibus se suis missos vt Sinensi obsequium deferant, ac munera simul illorum nomine offerant. In quo Chinensibus fucum faciunt, dum sibi persuadent, omnes vniuersæ terræ reges, aut saltem potentißimos, suum, vt dominum, agnoscere. Non desunt tamen qui astum hunc probe perspectum habent. Sed inquirere negligunt. hoc namq; pacto multa quibus China caret, ac permagni tamen fiunt, nanciscuntur. Ceterum legati vel potius mercatores hi, mox vt Paquinum appulerint, amplis includuntur ædibus, hunc in vsum destinatis. nullum hinc vt efferant pedem, adhibetur custodia; nisi dum abitionem adornant. Tam solicite scilicet Sinæ cauent, ne quis exterus vllam suarum rerum notitiam, aßiduo cum incolis colloquio commercioq́ue, nanciscatur.

Quæ è Chinensium regimine oriantur mala.

Hæc fere sunt quæ è Chinensium politicâ disciplina ac regimine oriri, soleant commoda: quibus ex opposito mala incommodaque respondent sane non minora. Neq; id mirum in ijs, qui cœlesti lumine destituti, vnicam rationem humanam, ac politica quædam principia vt ducem sequuntur; quæ & sapientißimos quoq; in regendo, nisi supernaturali quadam cognitione, ac diuinæ legis præscripto nitantur, in errorem inducunt. Maximum inprimis causari incommodum solet intolerabilis & insolens Mandarinorum in omnibus promiscue plectendis potentia: neq; enim dirißime modo flagellari arundineis fascibus reos

Magna Mandarinorum po-

iubent,

iubent, vti diximus, vt non raro emoriantur, verum etiam tetris mancipant carceribus, eculeo torquent, alijsque cruciatibus diuexant, illorum facultatibus inhiando. Felices se siquidem pauperculi credunt si quando munere dato etiam maximo, fustigationis, redimere supplicium potuerint. Quotannis quidem in singulas mittere prouincias visitatores & episcopos rex solet, inspecturos, num probe officio Mandarini fungantur, ac moderate se erga subditos gerant. At, quod versuti sint ac vafri, inuicem colludunt, aut ita maleficium tegunt, vt detegi nequeat. Hinc per fas & nefas, multa hinc inde, magistratus ac functionis nomine, coaceruant, vt munere defuncti, ingentes secum è prouincijs thesauros asportent. Quocirca, quamuis regio omnis ditissima sit & opulentissima, agricolæ & plebei, cum regiis exhausti tributis, tum donis ac muneribus ad Mandarinorum insolentiam redimendam, eorumque cupiditatem explendam, quotidie dandis, pauperrimi sunt. *testas malorum iniquitatum causa.*

Sequitur hinc & aliud longe priori deterius incommodum, ab eadem prognatum causa; videlicet armorum tractandorum imperitia. Seruilis enim metus, in quo assidue agunt, vt pueri sub ferula, adeo pusillanimes & remissos reddit, vt animum eis natura ac manus ad certandum videatur quodammodo denegasse. nullos quippe toto oriente inertiores imbellioresq; Chinensibus se vidisse testantur Lusitani. Astu & multitudine potius, quam fortitudine ac robore victoriam consequuntur. Non vero video, cur fortissimis gentibus nō possent resistere, si modo seruili illo metu soluti, ani- *Chinensiū in bello imbecillitas.*

mos resumerēt,& armis tractandis assuescerēt. Toroso quippe vastoq́ sunt pleriq; corpore,bene formatis vegetisq; membris; cibis bonis ac multis vescuntur,ingenio valent, manuū dexteritate excellunt, animus modo non deesset. Sane qui Tartaris finitimi sunt, strenui habentur, hostilesq; exercitus fortissime sæpe repellunt. qui in Maritima Prouinciæ Chincheanæ commorantur, abhinc aliquot annis animos sumpsere.Iapones enim prædas agere hic soliti, centū ac ducentis dumtaxat instructi,duo Chinensium millia olim in fugam agebant, plurimosq́ in captiuitatē abducebant,prȩda opima relata:at modo quamuis longe maiori veniant numero,vt plurimū profligantur. Quod vero

Magna sui ipsorum opinio.

cū externis rarius agant,hinc reliquas elato supercilio præ se gentes contemnunt; & primos se mundi incolas credunt: vt accidere ijs solet, qui pedē patrio nusquam extulere solo.ceteros omnes barbaros & cæcos putant, se vero perspicacissimos.Ex quo tamen Lusitani & Hispani ibidē negotiari cœpere,aliam opinionem de ijs concepere, vno sc. Europæos oculo, ceteros neutro prȩdictos esse,& in reip.administratione penitus cȩcutire,industriaq́ quaslibet artes esse destitutos.Haud illepidum,quid hoc in genere Patribus nonnullis Societatis contigit.Hi in familiari cū magnæ auctoritatis viris colloquio, Sedis Apostolicȩ in Christianos omnes, ipsos etiā Principes, auctoritatē ac ius enarrabāt;hanc porro electione dignitatē cōferri.Tū nonnulli Chinenses adhȩc,se, si in Europā trāsirent, ad pontificatū singulos promouendos. hac tacite ratione data,ꝙ cęteros Europęos scientia transscenderent,& suorū librorū lectione illu-

illuſtres eſſent; quorum dumtaxat lectione hominē in reip. directione perfici poſſe credebāt. Ab eadē radice pullulat mira in exteros inhumanitas, vt ius ipſum hoſpitalitatis, noſtris à natura censitū, nullū apud eos occupare videatur locū. Teſtes ſunt Luſitani, quos à tot iā annis in emporijs ſuis cōmercia agētes, vt hoſtes & ꝓditores, metuunt. Deniq; nihil adeo Chinę noxiū, q̄ quod plurimi, carceris aut virgarū metu, quas vel admiſſo crimine ꝓmerentur, vel q̧ conſanguineorū aliquis, maleficij reus, clanculo fugâ ſe ſubducat (fugientis namq; affines & cōſanguinei carceri traduntur, ac detinentur, donec maleficū iudici ſiſtant) cum victū parare cōmode nequeant, latrocinentur ac piraticam exerceant; & ſane ingens vbiq; maxime in prouincijs maritimis, horum copia. Hi ergo prædas acturi, huc illucq; vagātur, ac nonnumquā inſulas atq; emporia maritima diripiunt, Et rapinis, ſtupris, cædibus, incēdijs cōplent omnia. Tametſi vero Mādarini militares claſsibus, quas sēper paratas habēt, piratas hos exagitēt; ſępe tamē claſsiarij Mandarinorū, maius dānū nauigātib⁹ inferunt, quā forſan piratę intuliſſent. Si quę enim inſtitorū naues occurrāt, quę nec piraticę, nec hoſtiles ſunt, diripiunt, & vectores omnes, ne forſan ſcelus detegant, iugulant. cæſorum capita ad Togatos Mandarinos adferunt, quæ piratarum dicunt, ita & prædam ſeruant, & præmium inſuper accipiunt. Certa namq; pecunia è regio ærario in ſingula latronum capita appendi ſolet. Hæc præmiorum dulcedine illecti, noctu exſcenſionē facta (quod longe deterius) non raro remotiores pagos petunt, omnia compilant, quidquid pro-

Chinarum erga externos inhumanitas.

Malorum plurimorū origo apud Chinenſes.

dere poſſet, obtruncant; necatorum agricolarum capita, prædonum eſſe ementiuntur. vt non modo innocuos iugulenti ſed & præmium ſceleris accipiant. Hęc ſunt quæ Chinenſis reip. forma continet mala. At, quod longe grauiſsimum ac damnoſiſsimum, religionis, (quæ primaria Iuſtitiæ pars eſt ac præcipua) minima genti cura, vt iam iam dicturi ſumus.

CAPVT XX.

De Religione Sinenſium, num fidem olim Chriſtianam edocti ſint; ac quæ eiuſdem huc inferendæ oportunitas, quæ obſtacula.

Pleriq; athei.

DE Chinenſium religione locuturus, quid dicam ignoro; cum religione omni carere videantur. pleriq; enim athei, & nullũ credunt numen, etiã eruditiores. litterarum enim ſtudio, librorũ lectione, & mentis perſpicacitate probe cognoſcunt, quę vulgo in delubris ac fanis proponuntur numina, nihil diuinitatis habere. hinc, quod verũ ignorent Deum, caligantibus oculis in atheiſmi pręcipitiũ ruunt, nullũ penitus agnoſcentes. Omnes tamen idola adorare ſe fingũt. verum non ea ſuperſtitione qua Iapones. Ad hęc, quod politico regimini imprimis ſtudeant, pluris ea quæ ad rerumpublicarũ directionem adminiſtrationemq; quã quæ ad Religionẽ cultumq; diuinũ pertinent, faciunt. Quocirca quàm rariſsime fana adeunt: Sacrificulis, quos patrio ſermone (eo quo Iapones nomine) Bonzios, vel aliorum ſententia Hoxiones vocant, exiguus admodũ, præter omnium gentilium conſuetudinẽ, honos; vt vulgo omnium habeantur viliſsimi, ac velut ima popelli fæx. Mandarinis namq; ac magiſtratibus ciuilibus ſubditi ſunt, vt ab horũ etiam minimo

velut

velut,pphani scurrę,plectãtur ac cædãtur. Flexo poplite Mãdarinos alloquuntur,interdũ tamen,nõ sine singulari prærogatiua,surgere iubentur,pręsertim dũ cum ijs agunt. Alijs quoq; neglectui sunt,q; vitę impuritatẽ imperitiamq; illorũ perspectam habeant;neq; enim aliam ob causam genus hoc vitę sectantur,quã vt annuũ à rege stipendiũ accipiant. Quamobrẽ nulli his in vniuersa China viliores contemptioresq;. Hinc Societatis Iesu Patres,dũ habitu Bonziorum assumpto,populi se facilius gratiã aucupaturos crederent, si veri se Dei Bonzios ac sacrificos dicerent;longo tempore contemptui fuere, ac vix vlli magni nominis viri cũ ijs agebãt. Dedecus quippe credebant cum externis Bonzijs, quales se dicebant, agere multoq; maius, illorum doctrinam vel admittere vel audire. Verum Eruditorũ habitu,qui honestus admodum est, induto, Eruditorum omnium gratiã nacti sunt, atq; illustre sibi nomen ac famã pepererunt; vt suo videbimus loco. Vt vero in capita omnis de Chinensiũ religione sermo redigatur,primo de idolis quę adorãt,deq; illorum fide agendũ erit;deinde quibus hæc placent sacrificijs,de sacrificulis, & alijs cultui deorũ singillatim dedicatis:tertio de sortibus, quas antequã quid aggrediantur, iaciunt, vt videant, nũ felicem infelicemve res sit exitũ habitura: deniq; de sepeliendi, parentumq; humandorũ ritibus. Idolorũ infinitũ prope habent numerũ. Alij solem & lunam ac stellas, cælumq; præcipue ipsum, vnde cuncta in terras bona promanent, omni studio colendũ existimant. Infinita,præter hęc numina, idola venerantur ex omni parata materia;hęc virorũ illustriũ, san- *Quæ adorent idola.*

ctitate vt aiunt, insignium, aut scripto de rebus moralibus celebrium, imagines esse iactant. Adhæc artis cuiuslibet inuentores, aliosq; priuatim aut publice benemeritos; quidam etiam parentes carosq; in numina referunt; ijsq; & statuas ac tẽpla ponunt, & vota faciunt, & adolent thura. (soli Deo quæ cõpetunt;) nec mortuis modo, sed interdũ etiam (ꝙ magis detestẽre) viuentibus. Sunt etiam qui inferna venerentur monstra succincta colubris & igneo vomitu; cuiusmodi cacodęmones in Europa depingimus. neq; id tã impetrandi cuiuspiã gratia, quã depellendi maleficij causa, quippe obuersantia interdum eiusmodi visa maiorem in modũ extimescunt. Hanc idolorum farraginẽ non in delubris modo & fanis publicis priuatisq; colunt, sed domi ceu domesticos penates ac lares asseruant, naui, cymbaq; secũ trahunt; nec illorum tantũ statuas, sed & pictas imagines exprimunt. Tametsi vero eruditiores in idolorũ cultu parũ religiosi sint, duplici tamẽ de causa ægre quis idola in domus atrio collocata ab ijsdẽ extorqueat. Hęc namq; velut hereditatẽ à maioribus relictã asseruant, & hanc sine infamia alienari nefas est. Ingrati namq; & parẽtibus inmorigeri (ꝙ Chinensium iudicio, omniũ est delictorũ grauissimũ) habebuntur: illi nãq; hęc filijs diligentissime cõmendant, vt apud posteros viua stet maiorũ memoria. Si vero tãtopere de hereditate ꝓfana à parẽtibus relicta sarta tecta cõseruanda laborãt, qd de sacra & idolorũ paternorũ cultu dicendũ? Adhęc, cũ vulgo, horũ plerosq;, quorũ colunt statuas, sanctitate ac rerũ mirabilium patratione illustres fuisse credant; paradoxon ac nouũ qd occinere videbitur, si qs eos nefarios ac reliqs hominib⁹

simi-

similes fuisse psuadere conetur. Si adulteria, rapt⁹, aliaq; abominãda his obijci possẽt flagitia, vt Romanorũ Grecorumq; idolis primogeniæ Ecclesię patres obijcere poterant; paruo labore qs eos à pfano hoc cultu auerteret. at huiusmodi nihil in illorũ diuis detegi põt. Chinensibus facile quis p̃suaserit, vnũ esse rerũ omniũ opificẽ ac rectorẽ Deũ: hunc multi etiã credunt, & *Xauti* illũ, i. supremum regem nuncupant. Hui⁹ pinde imaginẽ inter idola sua statuunt, & qdẽ primo ac digniori loco; q hunc ceteris superiorem credãt: verũ cũ persuadere volueris, vt reliquas imagines igni tradãt ac penit⁹ pscribant (sociũ. n. verus nõ patitur Deus) non mediocri illos dolore affici Societatis Patres tradidere. Qui sapientiores inter eos habẽtur, Pythagorę ferme somnia de transmigratione animorũ sequuntur. Hinc plurimi, ac p̃sertim pauperculi, volũtario Deos placãt ieiunio, vt in illustriori nasci familia cõcedant. Eamdẽ ob causam à parẽtũ morte nullũ mactãt animal, ne in hęc forsan anima illorũ trãsierit. Credunt pmulti esse post hãc vitã delicijs plena loca, in quę sanctorũ animę admittẽtur; aliaq; supplicijs destinata, impiorũ post mortẽ receptaculũ. Horũ frequẽs mẽtio in libris, & in singulis pene opidis tartari imaginẽ sculptã, ac varios circũquaq; dęmonas tetro & horrẽdo nõ minus aspectu quam à Christianis depinguntur, depictos reperies, qui misellas damnatorum animas varijs exagitent modis. Sed bene qdẽ hęc depinguntur, sed vix à quoq̃ creduntur; & nonnisi ad puerorũ terriculamẽta adinuẽta. Si q forsan crediderũt, esse post hãc vitã locũ, in quo animę excruciẽtur; alio errore nõ minus dãnando fidẽ hãc inqnãt; dũ sibi persuadẽt, post aliquot annorũ euoluta

Quid de inferno sentiant.

curricula, tetro illo carcere solutas animas, in pecudem transire. Mundũ vniuersum ex aqua initio conditũ affirmant, quæ vehementius agitata, è spumis ampullisq; cęlo; ex imis partibus & crassioribus materiam terræ præbuerit. Interrogati quisnã initio aquas agitarit; sponte ciendi vim ijs inditã fuisse respondent. Rursus vbi quęritur, à quo eã ipsam vim ac virtutẽ acceperint; subrident, quasi plane ibi sistendum, neq; fas vltra ꝑcedere. Primos homines vna cũ ceteris animantibus ac plantis aiunt è terra extitisse; ac sine legibus aut vllo iure, vagos ac feros, arborũ baccis & crudis carnib⁹ initio vesci & sanguinẽ potare solitos: ipsa dein ratione duce ac magistra, frugibus ali, tecta moliri, vrbes cõdere didicisse: adhibitoq; studio, paulatim à barbara & agresti vita ad cultũ & mansuetudinẽ fuisse traductos; atq; hominũ sapientũ, quos reuerebantur, industria legibus latis vti cœpisse. Prętereo hic innumera de dijs deabusq; quę cõfingunt, commenta, ꝙ hoc illa loco censeam indigna. Ceterũ Sinę communiũ idolorũ cultus quãuis studiosi nõ sint, omnes tamẽ certis qbusdam diebus aliquẽ ijs honorem deferunt; verũ id vsu potius, q̃ ex animo fit, nec propterea eadem adoranda ostẽdere volunt. Qui vero plus ceteris illorum cultui addicti sunt, chartas ijs succendunt, thus aliosq; odores adolent, alij cęsis victimis eadẽ placant. At cũ solennem idolo, à quo se beneficium aliquod consecutos existimant, cultum exhibere volunt, pullos illi gallinaceos, anates & coctos oriza anseres conditosq; ac caput suillũ (ꝙ præcipu⁹ honos mẽsarũ) simul & cantharum potionis illius quam vini loco bibunt, offerunt. Sed horũ deterrima sceli-

De mundi exordio.

Quanti Deos suos faciant Chinenses.

ſeligunt ac viliſsima. Altilium namque ſolos vngues, ſuilli capitis roſtrum extimum, vel imas, vt nonnulli tradunt, auriculas additis aliquot orizæ granis. hæc lanci impoſita, ac liquore illo hinc inde conſperſa, in aræ ſimulacro opponunt. Illi interim in larario epulantur, ac cætera magno cum tripudio & effuſa lætitia deuorant. Hinc quam exiguo numina ſua cultu dignentur, fit manifeſtum.

Infinitum pene Bonziorum habent numerum: in communi hi viuunt, cœlibem vitam ducunt, promiſcua tamen liberaque libidine ſunt infames. Plurima per vniuerſum regnum habent cœnobia: è regio ærario ac nonnullorum oblationibus victitant: Mulierum quoq; non pauciora, in quibus monialium noſtrarum inſtar in communi viuunt. Vna præeſt reliquis, ac velut Antiſtitam agit. Ita cacodæmon ſimium agens, Dei optimi maximi opera in omnibus æmulari contendit. *Bonziorũ in China multitudo.*

De Futurorum inquiſitione maximopere laborant Chinenſes: nam ad grauiores quaſlibet auſpicandas res vti, ad captanda itinera, ad ineunda connubia, ſimiliaq; ſortes obſeruant; num ſcilicet proſperum habitura ſit res ſucceſſum, num votorum futuri compotes. Sortium vero ritus eſt eiuſmodi, ſi grauiſsimorum auctorum credendum teſtimonijs. Dimidiatos globulos è ligno duos, ad iuglandis ferè magnitudinem filio traiectos, coram ſimulacro ipſo temere ac fortuito iaciunt. Si ambo ſupini, vel etiam alterno cõſederint ſitu (quod vulgo infauſtum putatur) idolum verbis ac iurgijs male admodum accipiunt: dein, quaſi contumeliæ pœniteat, rurſum delinimentis, *Chinenſes dediti ſortilegio. Maffeius lib. 6.*

votiſq; ac ſupplicationibus propitiare contendunt. Si nihilominus aduerſę appareant ſortes, idolũ videlicet acerbius plectitur. ad verba accedunt verbera, cæditur, amburitur igne, ſed ſi ligneum ſit, mox educitur: in aquas proijcitur, velut mergendum. dein blanditijs denuo ac promiſsis placatur. atque in hac viciſsitudine tamdiu perſiſtunt, quoad facta in ſortes ambo miſsilia prona conſiſtant. Tum vero modulato carmine grates, laudeſq; agunt inani Deo: mox etiam gallinas, anſeres, anates ac porcinum caput, eo quo diximus, offerunt modo. At quibus numina hæc deſpectui ſunt, Augures ac diuinatores conſulunt, qui meri impoſtores, mendaces ac nugivenduli, ſæpe namque contraria penitus prænuntiant. Sunt tamen qui vera præſagiunt, ſed caſu id fortuito fieri certum eſt, aut ſuggerente cacodæmone, cui famulantur, vt è permultis ſignis, colligere licet. Cæterum quamuis Chinenſes iudicio valeant, atque impoſtorum horum nugas, mendaciaq; comperta habeant, vt qui nunquam non mentiantur; vix tamen eſt vllus, quin antequam quid auſpicetur, illos conſulat.

Sortium ridicula inquiſitio.

Conſulunt diuinatores.

Nulla porro in re maiorem ſuperſtitionem religionemq; præferunt, quam in parentum ſepultura, ſepulcris, ac luctu à morte illorum. Suum namque in illos hoc pacto ſe putant, amorem patefacere, quo viuentes ſunt proſecuti. Honoris quippe parentibus deferendi, maximam Sinæ rationem habent, ſi quæ vſquam natio: vt in immorigeros parentibus ac refractarios grauiſsimis animaduertãt ſupplicijs. Mandarini alijq; magnæ auctoritatis viri, magiſtratu abeundi veniam à rege petunt, quo

Parentes ſingulari amore proſequuntur.

quo parentibus iam ætate grauibus domi adſint, & obſequium filiale præſtent. Adeo æqua regi hæc videtur poſtulatio, vt vix vnquam refragetur. Parentes vita functos, liberi ad vnum omnes triennio lugent (quod tam à rege, quam minimo viliſsimoque plebeio ſeruatur.) Luctus veſtis alia eſt, quam nobis. Color quippe luctus illis candidus: hinc è tela candida veſtes parant, etiam pileum. Primis menſibus viliſsima induti, fune ſe, Franciſcanorum noſtrorum ritu præcingunt.

Mandarini omnes, etiam maiorum gentium (exceptis militaribus) de parentum obitu nuncio accepto, Magiſtratu ac dignitate omni depoſita, etiam examine, quod ad gradum aliquem obtinendum, iam præ manibus habent, omiſſo, in patriam illorum ſepeliendorum gratia reuerti ſolent, ac triennio illos elugere. Quibus ædes ſunt laxiores, mox à morte illos terræ non mandant, ſed biennio trienniue in conclaui domus, hunc in vſum duntaxat deſtinato, (quod etiam vnũ è ſplendidioribus) aſſeruant. hic illis quotidie honorem exhibent, ac thura adolent, & ſarcophago addunt dapes. Statis diebus Bonzios aduocant, vt patrias cærimonias peragant, ac ferale carmen decantent, interim dum filij, affines, vxoreſq; defunctum deplorant. *Quid in illorum morte faciant.*

Qui mortuos lugent, non veſtem modo mutant, ſed & ritus. multi ſedilib. non vtuntur, ſed ſcamnis minoribus: raro alios adeunt, nec adiri vicißim ab alijs volunt: quin & charta, quã conſcribunt, luctũ induit, pręciſam namq; partem in luctus ſignũ, alio colore tingunt. Suum litteris aut alibi nomen deſcripturi, ſolitum

non

non aſſumunt, ſed aliud illius loco epitheton ſubſtituunt, quale foret, inobediens, aut quid ſimile; quaſi ob inobedientiã in parentes eoſdem merito amiſerint. Muſicam interim exoſam habent, ac petitam victus rationem in aſperiorem ac duriorem conuertunt. Corpus terræ mandaturi affines omnes ac conſanguineos conuocant; hi albati vna cum magna Bonziorum multitudine (pro cuiuſque facultatibus) publice ſub triſti quadam voce, ad numeros muſici inſtrumenti, modulantium funus ſtipant. adeo vt Pantoja teſte, alba hac veſte, & cantu ferali ſacerdotes noſtros exequias celebrantes æmulentur. Permultæ hic ædiculæ, & icunculæ è charta ſericove albo concinnatæ, multa item ſigilla vexillaque deferuntur. Colligere hinc licet, quomodo dæmon Chriſtianas apud ethnicos exequias, aliaſque cærimonias velut ſimius imitetur; vt pari cum creatore Deo honore colatur, & mortales falſo veræ fidei velamine imitationeque decipiat. Sed ad Chinenſium redeamus exequias.

Funerum ſtipatio.

Capulus, cui cadauer includunt, è pretioſo conſtruitur ligno, & magna paratur arte. Omnem ſiquidem felicitatem ſuam poſt hanc vitam duabus in rebus conſtituunt. Primo in materia ac forma ſarcophagi, cui corp⁹ à morte includendum eſt. idcirco ab alijs hunc ſibi parari nolunt. & quamuis hanc alijs curam committerent, tanto ſane tempore conſeruari cadauer non poſſet, quantum ad hanc arcam eo quo ſolent artificio parandam requiritur. Ne à ſuis quidem liberis (velut illius permagni interſit) verum ipſi, interim dum vita fruuntur, per otium (niſi mors derepente inopinantibus

Bono includi optant ſarcophago.

tibus ingruat) lignum corruptionis nescium, aut saltem putredinem non adeo obnoxium, conquirunt. quaternûm, senûm, octonûmque digitorum crassities cuiq; tabulæ est: hinc, tum etiam, quod arctissime rimulæ constipentur, diutius cadauera domi detineri queunt, nec tetrum odorem afflant. Sunt quibus centum aut circiter aureis capulus hic stet. Felices vero sese credunt, si solidum ac durum nancisci lignum, artificemque ex voto parantem potuerint: Econtra vero miseros, si ante mortem hæc parata non fuerint, quod rarius accidere solet.

Deinde de sepulcri loco deligendo anxiè laborant. Sæpe namque sortes explorant, antequam hunc sibi deligant; quasi summa inde dependeret felicitas, tum sua, tum posterorum. hinc integro sæpe anno consulunt, num ad septentrionem, an vero aliorsum, sepulcrum respicere consultissimum sit. Lites vero maximæ ac grauissimæ ob sepulturæ locum oriuntur. Extra vrbis muros semper terræ mandantur, in agris aut montibus; hîc subterraneum specum è latere vel saxis construunt, cui cadauer includunt; diligenter hunc deinde obserant, ac statis anni diebus nescio, quos ritus hîc peragunt, ac mensas opiparis ornant dapibus. Male ominosum putant, mortuum intra vrbem sepelire; ac si quem sepultum nossent, quamuis primus à rege foret, eductum extra opidum in agro sepulturæ dicato humarent. Hactenus hæc de Chinensium exequijs alijsque sacris ritibus. disquiramus iam, num fidem olim Christianam receperint.

De loco sepulcri soliciti sunt.

B. Franciscus Xauerius in litteris X. Maij anno

Num S. Thomas Apostolus in China fidem docuerit?

Xauer. epist. lib. 2. epist. 3.

no M. D. XLVI. Amboini datis ait se Malacæ in Lusitanum institorem incidisse, qui iam recenter è China redierat. hic se à Chinensi magni nominis viro, qui sæpius regiam adibat, interrogatum aiebat, num Christiani suilla vescerentur: respondisse vero, Christianis nullum ciborum delectum, aut discrimen esse; desiderare autem se scire, cur hoc peteret. Tum Sina in Chinæ mediterraneis gentem esse ait, inter montana commorantem, moribus institutisque nimium, quantum ab alijs dissidentem, suilla abstinentem, ac festa plurima obseruantem. Nescio, (adiungit Xauerius) num quos Sina describebat, è Christianorum illorum sint numero, qui Abyssinorum mare rubrum accolentium instar, Christianæ religioni superstitiones Iudaicas permiscent; an vero Iudæi per totū iam dispersi orbem. Constat quippe Mahometanos non esse. Paulo post ait, credere nonnullos S. Thomam Apostolum in Chinam vsque penetrasse, plurimosque incolarum ad Christi fidem conuertisse. Hancque esse opinionem multorum Episcoporum, qui Christianorum Thomæorum curam habuerant; atque horum quendam Lusitanis, dum primum Indiam nauigationib. frequentarent, hoc retulisse.

Huc facit litterarum Patris Francisci Rosij, Societatis Iesu, hodie Archiepiscopi Augamalani, anno M. D. CV. die XI. Decembris missarum pars. Hic itaque Christianorum Thomæorum, in Malabaricis commorantium montibus libros, Chaldaica conscriptos lingua euoluens; vt Nestorianorum hinc inde conspersas maculas elueret; respexisse inter cætera

tera

tera se tradit, octo in Indiæ partibus ab Apostolo Thoma institutos Archiepiscopatus: quorum aliqui vna cum nomine interiêre. quâuis enim nomina Chaldaico scripta sint idiomate, quid tamen denotent, hactenus compertum non est.

Octo Archiepiscopatus instituit in India, quorum vnus in China.

Quorum vero, inquit, notitia habetur, primum est *Hendu*, i. Malabar, alterum, Socotora, tertium Cambaya, quartum Mogor, quintum China, sextum China maior quam Cataiom esse credit Rosius. Hinc elici potest, verisimile esse Apostolum Thomam in China Christianam promulgasse fidem: vt taceam interim coniecturas, quas ipsa suggerit regio. conspicitur hîc namque (vt fide digni testantur auctores) proceræ mulieris, puerulum in sinu fouentis, imago: cui ardentes hodieque lychnuchos more nostro suspendunt, atque singularem honorem deferunt. Deiparæ hanc imaginem esse dicunt nonnulli, cuiusnam vero sit, ipsimet ignorant Sinæ. Sunt qui duodecim hic virorum imagines etiam conspici velint, Apostolos nostros exteriori schemate referentium.

Christianitatis signa quæ in China.

Maffe. li. 6.

Lucena li. 10. c. 24.

Denique auctor Chinensis historiæ refert, reperiri hic imaginem, qua SS. Trinitatis mysterium exprimi quidam volunt; quamuis prodigiosa atque insolens illius forma. Vnicum huic corpus, binæ manus ac pedes, sed triplex caput, quæ se inuicem respiciunt. triplici hoc capite ipsi indigenæ tres distinctas personas denotari aiunt, vna tantum voluntate præditas, adeo vt quod placuerit vni, placeat & alteri, & econtra quod displicuerit vni, & alteri displiceat.

1. p. l. 2. c. 1.

Tres

Tres perſonas diuinas ita exprimere illos velle veriſimile fit, quibus nonniſi vna ſubſtantia, atq; hanc licet confuſam notitiam iam inde à S. Thomæ prædicatione retinuiſſe, à quo ante & dimanaſſe volunt tria illa filamina in vnum nodum coaleſcentia, quæ Brachmanes in India geſtant.

Num ſuperſint in China Chriſtiani. Quod vero P. Xauerius, Sinę illius relatu, etiamnum Chriſtianos in China ſupereſſe credat, P. Lucenæ confirmatur etiam teſtimonio. Refert hic Luſitanos nonnullos à Chinenſibus captos (Martini Alphonſi Melli, de quo poſtea agemus forſan ſocios) in interiorem regionem abductos, haud procul à pago in lapideam incidiſſe crucem, eamque magna animi pietate & lacrymabundos odoraſſe: atq; idipſum mox & incolas feciſſe, manibuſque ſublatis in genua procumbentes baſim illius exoſculatos, ſua lingua verba hæc decantaſſe, Ieſus Chriſtus, Ieſus Chriſtus, Maria ſemper Virgo illum concepit, virgo peperit, ac permanſit Virgo. Tum dixiſſe Luſitanos, hanc veram eſſe fidem, quam ſequi oporteret. Incolas vero cognito hinc illos Chriſtianos eſſe, ad pagum illos duxiſſe benigneque habuiſſe. Narraſſe quoque & in libro abhinc ducentis annis excuſo, ad oculum demonſtraſſe, quendam ſanctitate inclytum, cui nomen Matthæus Eſcandelius, Budæ in Hungaria oriundum, poſtquam ad annos aliquot iuxta Hieroſolymam in monte Sionis Anachoretam egiſſet, in Indiam tranſijſſe, atque inde per regnum Sinai ad hunc vſque Chinæ locum penetraſſe. atque hîc quinq; à morte reuocatis, alijſque miraculis patratis Sinarum multos Chriſto peperiſſe; tandem vero à Bon-

zijs

zijs neci datum, vt Christiani illi referebant. hi se à Chinensibus illis ipsius operâ Christi fidem edoctis originem trahere afferebant. Sunt hic & alij Christiani, de quibus P. Emmanuel Diazius in epistola anno M.D.CII. mense Septembri Paquino scripta, loquitur. Commemorat namque P. Matthæum Riccium, cum in diuersorium venisset, quo omnes Paquinum adeuntes excipiuntur, in Mahometanos nonnullos incidisse, ab eisq; didicisse, in ꝓuincia Xensiensi (quæ omnium maxime Septentrionem spectat) in loco quodam qui Xuchæo nuncupatur, candidos quosdã commorari, densa ꝓmissaq; barba; in horũ opidis templa esse & cãpanas; & Isam (i. Iesum Christum) ab ijsdẽ ac Mariam adorari. Tum Matthæũ, prolata cruce interrogasse, num huiusmodi hic viserentur imagines, illos vero affirmasse. Sacerdotes quoque horũ Christianorũ varijs morbis mederi, sine vllo medicamento, solitos, atq; idcirco ab ipsis etiã gentilib. morbo affectis illorum opem expeti. P. Matthæus hisce auditis, per regiũ cursorem, Chinensi idiomate (cuius periti dicebantur) illis litteras mittere decreuit, sciscitaturus num ita se res haberet; ac num Cataię id regnũ foret, cuius supra meminimus. Cæterum quãuis Thomas Apostolus Chinensib. Euangelium annuntiarit, & nonnulla apud illos eiusdem supersint vestigia, & forsan non pauci qui ipsum profiteantur; per vniuersum tñ regnum hodie Christianæ religionis memoria penitus intercidit: quam restaurare perdifficile videatur. idq; varias ob causas. Obstant namq; regia edicta, quib. capitis pœna indicitur ijs, qui quidq̃ in religione præsertim immutârit. quod vero

In Annalib. anni M.D.CII. & M.D.CIII. italicis.

Cur fidem in China seminare difficile sit.

Vu regis

regis obſeruantiſsimi ſint Sinæ, qui ſupplicij metu mandatis etiam minimis refragari non audent; hinc quantæ ſit molis, Chriſtianã diſciplinam inſerere facile patet, rege prius eandẽ non amplectente. Hinc P. Xauerij, aliorumque ſociorum hactenus ea ſemper fuit ſententia, ab illo rem auſpicandam. Obſtat ſtrictiſsima alienigenarum, quam diximus, & poſtea latius dicturi ſumus è regno vniuerſo excluſio: hinc difficulter admodum tam vaſtæ regioni de alienis prædicatoribus proſpici poteſt. Verum ſi Sinæ ipſi Spiritum Dei ſemel guſtaſſent, (iudicio quippe valent, & ſtudioſi ſunt) prædicantiũ vice fungi poſſent, vti modo nonnulli funguntur, Epiſcoporum quoque ac Paſtorum, vt aliunde ijdẽ petendi non forent. Abhinc paucis annis alia hic apparuit difficultas & obſtaculum maximum, idolorũ ſcil. priuatorum amor, quẽ ſupra commemorauimus. Obſtat adhæc vxorum multitudo, & forſan maxime. Obſtat regionis feracitas & libidinum illecebræ, & cætera malorum irritamenta, quibus ineſcati ſunt omnes, hinc plerique nullum numen credunt, & in atheiſmum degenerarunt, à quo ægrius quemquam quam ab idololatria diuellas. Obſtant conſpirationes antiſtitum ac ſacrificulorum, qui Chriſtianos importunis clamoribus, fraudibus, nequitia, nefarijſque moliminibus maxime exagitant; tum quod ſacra ſua ac feſta rareſcere, tum quod ſe ad morbidos, ad exequias, natalitia, ſponſalia, nouæ fabricæ initia, ſimiliaque è quibus magnum illis prouenicbat emolumentum, non aduocari vti ſolebant, cernerent. Denique faſtus & ſuperbia, quæ apud illos frequens, humilitati, quam Chriſtus verbo exemploque edocuit ſuos, maximopere ad-

uer-

uersantur. Hæc potissima sunt obstacula, per quæ stat, quo minus fidei doctrinam recipiant, eaq; adeo potentia, vt Sinense regnũ (sicut obseruarunt nonnulli) locus ille munitus videatur, quẽ humani generis hostis occupauit, & ita communiit, vt se, aditu omni vndiquaq; obserato, ne quomodocumq; gratia eôdẽ penetret, inde vix expellendũ credat. At facile valla hæc & propugnacula deijcientur, vbi lumen fidei ac diuina gratia semel irruperint. Hæc siquidem arma sunt, quib. diabolum, Romano imperio præualentẽ insolescentemq; Deus expugnauit, ac fidei iugũ subire compulit. Credendũ vero, fidẽ quo maiori cum difficultate plantatur ac seritur, eo firmiores profundioresq; radices acturã, latiusq; propagandã ob permultas quas regnũ hoc etiam suggerit causas. Inprimis vero, q vniuersis sit coniunctissimum omnibus, tam maiorib. q̃ minoribus, vni regi ac Monarchæ subiectis, qui Paquini semper subsistens, vniuersum qua patet regnum, velut oppidulum quoddam, q̃ minimo negotio dirigit ac moderatur. Si regis expugnetur animus, cæteri vltro manus dabunt. Accedit ad facilem Euangelij ꝓgressum vnus idemq; per omnes regni vrbes sermo, quẽ Mandarinũ nũcupant; hunc pleriq; quamuis loqui nesciant, tñ intelligunt, quẽ qui perfecte calluerit, difficillimũ alioquin, animarũ omniũ saluti strenue potest incũbere, vt taceã hic bonã docilemq; incolarũ indolẽ, benignitatẽ, comitatemq;. In incessu cæterisq; corporis motib. decorũ seruant: è quib. de mentis cõpositione quieteq; fieri iudiciũ potest. Porro sedatus & quietus animus doctrinam facilius percipit. Adhæc q omnes adeo probè educati sint, nullus vt sit quin legendi scribendiq; artẽ

Cur fides semel in Chinã admissa futura sit perpetua.

calleat, è catechiſmis excudendis per ſe doctrinam Chriſtianam quilibet poſſet addiſcere. Leges & inſtituta politica commoda ſatis habent, quæq; adeo ſedulo ac religioſe obſeruantur, vt ſi Plato ab inferis prodiret, ſuæ quam effinxit reip. imaginem in China locum habere affirmaret, vt P. Nicolaus Lombardus obſeruauit. Otium quoque omnium malorum ſeminarium, quodque Remp. etiam florentiſsimam euertere poteſt; hinc exulat: non modo quod infame ſit, ac parentum amicorumq; iurgijs obnoxium, verũ etiam quod acriter à magiſtratu in otioſos & inertes animaduertatur. vnde etiam, qui labori videntur ineptiſsimi, laborare coguntur. Cœci namq; molæ aut piſtrino admouentur; mancis manuarium opus datur, atq; ita & cæteris proſpicitur. Ipſi quoq; Eruditi ac doctiores, quibus maius ſuppetere otiũ videtur, deſides tamen & otioſi non ſunt; qui enim ad gradum aliquem aſpirant, ſtrictiſsimũ ſubeunt examen, qui poſtquã primum adepti ſunt, aliud ſuo tempore examen exſpectent neceſſe eſt. Si quẽ in ſtudio profectum feciſſe comperiuntur, ad altiorem gradum aſcendunt; ſin minus, acerrime corripiuntur, ac ſæpe gradu accepto priuantur. hinc, tum ad gradum conſeruandum, tum ad altiorem obtinendũ, tanta diligentia ac contentione litteris incumbunt, vt non pauci phthiſim alioſq; morbos contrahant. Alij iam prouectæ ætatis, qui à quadraginta iam annis gradum poſtremum adepti ſunt; aſsiduo ſe ſtudio emacerant, ac velut enecant, facultatum artiumque ſuarum ſcripta, vti rudimentarij noſtri Grammaticen, memoriæ mandando, aut aſsidua ſcriptione ſtylum

In litteris anno M.D.XCVIII. è China miſſis.

ſtylum parando. Deniq; Sinæ non magnam externarum modo, ſed & internarum actionum rationem habent, moralium virtutum exercitio animam exornando. Nam vt eleemoſynas egenis erogatas, Xenodochia conſtructa, aliaq; pietatis opera prætercam. ſanctum piumque putant, corpus emacerare, atque ita effrenes animę motus ſub rationis moderamen redigere: Ieiunium quoq; ſibi indicere, ſed ſtrictiori quam Chriſtiani modo. Abſtinent enim carnibus, ouis, lacticinijs & piſcibus; verũ quantum ac quoties lubuerit, cibum ſumunt. Vnius vxoris vſum probant, eaſq; permagni faciunt, quæ ad ſecundas nõ tranſierint nuptias, vidualem caſtitatem obſeruantes, quas proinde in ſignibus donarunt priuilegijs. Conſcientiæ omniumque actionum diurnarum, ac præſertim interiorum, quarum alij conſcij non ſunt, (quod hic maior ſit hominum negligentia, cum à nemine de his argui queant) examen ſcripta commentarijq; veterum nuſquam non dilaudant. Hinc aliquoties ſe nonnulli ad prædium ſuburbanum conferre, animi colligendi, commentandi, ac ſui ipſorum reformandorũ gratia ſolent, vt in primæuum, in quo initio conditi fuêre ſtatum (vt aiunt) ſe reſtituant. Hinc in honore hic eſt Eruditorum quædam congregatio, qui publica fugientes negotia & onera, ſibi ſolis viuunt, quietem ſectantes, exercitioq; quod diximus, vacantes: hi ſæpe coëunt, vt veterum Thebaidis ac Palæſtinæ anachoretarum ritu, de rebus ſuis inter ſe conferant. Quod vero inprimis admirabilẽ & notatu digniſsimum ad ſex reuocarunt capita, ea quæ ab omnibus obſeruanda ſunt, vti nos ad deca-

Chinenſes moralibus virtutibus dediti.

Sex præceptorum habent compendium.

decalogum, quæ vt nemo obliuioni tradat ac pueri vna cum lacte nutricis bene beateque viuendi præcepta imbibant,à publicis præconib. ea singulis nouilunijs ac plenilunijs paulo ante solis ortũ, opidatim magna voce enunciantur. Sunt a.hęc: Parentib.omnes obediunto; maiorib.superioribusq; honorẽ & obsequium deferũto; inter vicinos pacẽ concilianto; liberos ac nepotes honestis disciplinis instruũto; suas qsq; partes debite exequatur; nemini vlla irrogetur iniuria, quæ tum in cædib⁹, adulterijs, furtis, alijsq; rebus sita est. atq; his omnia pene secundę decalogi tabulæ præcepta comprehenduntur. octauũ n. nonũ ac decimũ è libris illorũ etiam erui queunt. Ex his quę dicta sunt, hactenus facile quis intelligat, q̃ parum à veritatis lumine Chinęnses absint, quamq; egregie disposita fũdamenta sunt, vt his cõcurrente diuina gratia, spirituale Christianæ fidei ædificiũ inædificetur: modo diuinæ placeat bonitati, vasti huius ac potentis regni aditũ, permultis verbi sui seminatorib. reserare, quo ipsum libere dissemineñt, eiq; omnipotentia sua, ad animarũ plurimarum in infidelitate pereuntium, salutem, incrementum dare. At videamus, quo in illius plantatione sudatum sit modo.

CAPVT XXI.

Lusitani Chinam commerciis frequentare incipiunt; variorum ordinum Religiosi eandem adire contendunt, & ibidem ad fidem Christi inferendam commorari.

Fernandus Andrada confirmat Lusitanorũ

MAgno Albuquercio, rebus Armuziæ compositis, in portu Goano, vti supra dixim⁹, iam demortuo, successerat Lup⁹ Suarius, haud multo ante è Lusitania Indiæ prætura, vt fun-

fun-

geretur, missus. Hic renouato cum regulis finitimis fœdere, Fernandum, Petrezium, Andradium cum octo nauiū classe in Sinas amandauit, ad instituendū cum ea natione commerciū simul & regionē, moresq; incolarū explorãdos, atq; eâdē simul operâ, insulas ac regna è ꝓximo detegenda. Vna profectus Thomas Perezius, alijs Petreius, Emmanuelis regis nomine legatus: hic regias litteras, simul & munus pretiosissimū, ad fœdus ineundū facilius, ad Sinarum regē deferebat. Malaca Chinā petentib⁹, vbi desertas quasdã insulas transierant, primū occurrit Cantonia flumini imminēs, ad cui⁹ fauces, multarū stat nauiū classis, ad exteros vlteri⁹ ne progrediantur, ꝓhibendos, nisi obtēta à Mandarinis copia. Andradius ad harū insularū vnã Tamū cum appulisset, ad aliquot dies in ancoris stetit, donec Cantonē subeundi facultatem nactus esset; sed nonnisi cum duobus nauigijs. Paruit, cætera classe ad Tannū relicta. Cantonē inuect⁹ Mandarinos adijt, quorū ꝑmissu Thomã legatū exponit, cui ædes & lautia de more attributa. Ibi Andradius mira lenitate ac iustitia contrahendo cum incolis, haud ita difficili negotio aditū ad ea cōmercia suis aperuit. Placuit Sinis, namq; viri ęquitas, ac velut ex vngue leonē agnoscentes, magnã de Lusitanis omnib. opinionē concepêre, legatoq; cum socijs liberū ad Regē iter fecêre. Auxit probitatis existimationē, ꝙ sub tempus reuersionis de suo discessu Andradius per præconē tota vrbe denuntiari iussit, vt si quis quid, vel ab se, vel ab suorum quopiã, vel crediti, vel commodati, vel quouis alio nomine repetere vellet, mature profiteretur. Ea res videlicet magni & innocētis animi

cum Chinensibus commercia.

visa, & ex vnius viri moribus, de totius nationis virtute nimirum existimabant, & gaudebant de inito commercio: apparebatque maximo cum rei Lusitanæ incremẽto societatem hanc institutam, ac diuturnam fore: nisi post Fernandi profectionem aliorum deinde nauarchorum cupiditas ac licentia, qui Malaca vna cum Simeone Andradio, Fernandi fratre, Malaca ad spem ingentis lucri, in eadem loca venêre, illecti fratri suisque exhibitis officijs; opinionem Lusitanicæ iustitiæ fideique propemodum sustulisset omnem; parum vt abfuerit, quin omnes iugulati temeritatis suæ pœnas darent. Siquidem ex ijs quidam ad Tamum in terram egressi, primo, ne appellatis quidem magistratibus, castellum è ligno, lateribusque excitarunt. ibi tormentis vigilijsque dispositis, imperium vsurpare, negotiationem communem interuertere, ac sibi proprie vindicare, omnem externum à portu illo arcere; externos æque atq; incolas iniurijs & cõtumelijs intolerandis afficere, virginib. vim inferre, ingenuos ingenuasq; à plagiarijs qui præter fas ac nefas eosdem ceperant coëmere; deniq; ita insolenter se gerere, vt non vti socios exterosq;, sed vt loci dominos se gererent.

Frater illius eadem euertit.

Insolentiam hanc non ferentes Sinæ, pro immanibus piratis atq; hostibus eosdem, vt vere merebantur, habuêre. neque vero sum nescius, hæc ipsa minuere quendam * Lusitanum scriptorem & eleuare dicendo. sed eadem illa alij plane disertis verbis arguunt, ac rem prout hîc retulimus, gestam asserunt. Igitur Lusitani à præfectis regijs valida classe, præter eam quæ in portu stabat, circumsessi, cum in eo iam esset

** Ioan. Barrium intelligit.*

Parum abfuit, quin cum suis necaretur.

esset, vt caperentur, ac vix vlla effugij via pateret, hoc pacto tandem euasere. Erat inter Lusitanos dux Eduardus Loellus nomine (vt sæpe boni nefarijs permisti,) hic viso præsenti suorum discrimine, Deiparæ, cuius admodum studiosus erat, opem implorat (cuius ea die natiuitatem colebat Ecclesia.) ecce ad illius intercessionem vocantem audiit Deus, & Lusitanos hac ratione periculo eduxit. Sæua namq; tempestas repente exorta Sinarum naues dissipauit ac distulit. Per eam occasionem elapsi pecunia quam gloria conspectiores Malacam Lusitani rediere. Tristior multo fuit Thomę Petreij legationis exitus. is magno labore quadrimestre amplius iter emensus, cum ad regiam deniq; peruenisset, præoccupatas cum aliorum tũ vero Cantoniorum Magistratuum litteris & criminationibus, Regis & Satraparum offendit aures. significarant namq;, non legationis hunc causa venisse, sed explorandi, ac velut piratarum ducem plectendum. Ita non modo regis conueniendi potestas legato facta non est, sed etiam de concilij sententia pro exploratore comprehensus, & Cantonem remissus in carcerem conditur, vbi omnibus incommodis paulatim absumptus, inter maleficos furesq; nocturnos, vitam miserabili fine, cum suis conclusit.

Interim Martinus Alphonsus Mellus cum sex nauibus in Chinam contendit, nondum probe gnarus, quid Thomæ Petreio socijsque accidisset. Lusitanos adesse vbi Cantonem, allatum est, extemplo præfectis oræ maritimæ à magistratibus imperatum, nefarios prædones vel comprehenderent, vel ad internecionem *Classis Martini Alphonsi Melli à Chinensibus oppressa.*

delerent. Nihil tale metuebat eo tempore Mellus, quamquam à peritis rerum admonitus esset, ne nimium sibi fideret; eo facilius repentino Sinarum aduentu cum suis opprimitur. Enuntiat mox (visa hostili classe) non bellandi se, sed confirmandæ amicitiæ regij Lusitaniæ nomine ab Andradio initæ, & statuẽdi commercij causa se venisse. sed surdis occinuit, bombardis, iaculisq; impetitus. Dein cum vndique instaret hostis, & nullam pacis mentionem admitteret, iniquissimo loco & conditione committitur pugna. Multitudine tormentorum ac nauium, vt in suo regno, superabant Sinę. Itaque circumuentos aduenas bombardis partim è tuto discerpunt, partim vna cũ nauibus fundum petere cogunt, atque inter hos Didacum Mellum, Alphonsi fratrem, partim fessos ac sese dedentes in potestatem acceptos in captiuitatem abducunt. Mellus cum aliquot alijs cum aliquamdiu egregie sese defendisset, ad extremum, singulari Dei beneficio, per mediam hostium classem male multatus elabitur. In captos, magistratuum iussu, grauiter acerbeq; [illegible] fultum, in carcerem conditi omnes, & pro latronibus piratisq; damnati, aut pedore ac tabe in vinculis exspirarunt, aut ad supplicium producti summo plebis conuersæ, præconibus vetera gentis piacula, & recentẽ insuper audaciã referentibus; quod in regios portus ac fines armata manu non dubitassent redire, in quibus omnium flagitiorũ ac scelerũ paulo ante vestigia reliquissent. Hęc & alia id genus elata voce de scripto subinde recitabantur, ad tollendam è vulgi animis opinionẽ quã de Lusitani olim generis probitate conceperant. Tandẽ omnes vel

Ipse euadit, cæteris captis.

Capti ad supplicium rapiuntur.

vel sagittis confixi vel in frusta, nulla sua noxa, dissecti sunt. Vide quot secũ mala trahat nonnullorũ cupiditas, superbia, ac malignitas? vt ob hanc non innoxij modo necẽ subierint, sed Chinensiũ odium ita Lusitani incurrerint, vt velut prædones & suspectos deinceps eos habuerint, ac regno ad tẽpus aliquod prohibuerint; nonnisi ad desertas vsq; insulas aditu cõcesso. Sed tandẽ in Sanchanum, quæ de harum numero est, ac triginta Cantone abest leucis exscendere permisere, in qua tugurijs ex arborũ ramis ac virgultis excitatis, merces venales exponerent; domos vllas exstrui, quãuis deserto in loco, vetantes. Hic Chinę status erat, cũ eodẽ Franciscus Xauerius pergeret, qui eadem in insula anno superioris sæculi LII. vt priori diximus tomo, ad vitã immortalẽ transiit. Tolerabant hanc loci molestiam ęquo animo Lusitani, ob singulare è commercio Sinarũ compendiũ; qui vicissim ob quotidianã cũ illis negotiationẽ, q̃ conceperant opinionẽ, paulatim eruebant, audacius agentes. Hinc & Lusitani ex amicitia cõceptâ audaciâ, propius accedere pręsumentes, in Macaũ viginti dumtaxat à Cantone distantem leucis, etiã sine Mandarinorũ venia, cũ mercibus profecti sunt. facta insuper copia, semel quotannis Cantonẽ adeundi, ac trimestri quadrimestrive spatio hærendi, modo noctu naues subirent; interdiu etiã foras prodeundi, quin & nouam vrbẽ ingrediendi Lusitani viso suam apud Sinas fidem non amplius vacillare, neu tam accurate de se iam inquiri, ædes aliquot in Macao, ad vitandam molestiam, quam tanto iam tempore tolerarent, construere cœpere. Tot vero huc confluxere, ita'q;

Macao Chinæ vrbs quam ædificarunt Lusitani.

itaque loci dilatata pomeria, vt vrbs magna breui coaluerit. cui præest dux Lusitanus, qui suos protegat, simul & Mandarinus Chinensis, qui Regis Chinensis nomine, vrbem præsidio occupat; Lusitani tamen numero superant. Atq; hoc pacto à triginta iam & quadraginta annis, Macaum in sedem sibi domiciliumq; delegêre.

Xauerius Chinam petit ad fidem Christi disseminandam.

Verum, vti gloriæ diuinæ zelus & salutis animarum in viris pijs, negotiatorum cupiditati ad aurum argentumve colligendum non cedit; hinc plurimi religiosi, spirituales merces distracturi, fidemq; incolas edocturi, nullis obstaculis deterriti, Chinam adire tentarunt. Agmen duxit, B. Franciscus Xauerius, de quo paulo ante locuti sumus. Verum quod tempus, quo Deus gentem hanc fidei lumine illustrare decreuerat (peccatis id forsan exigentibus) nondum illuxisset; votorum fieri compos non potuit, aut quemquam reperire, à quo in Chinam clanculo inueheretur. Quocirca in hac expeditione, in regni quodammodo portis, demoritur, vti suo loco pluribus enarrauimus.

Non defuere deinde & alij variorum ordinum religiosi, qui eadem de causa in Chinam penetrare conati sunt. Inter ceteros duo ordinis D. August. è Philippinis Insulis (in quibus tunc agebant,) huc perrexerunt; Martinus scilicet Herradius, Pampelonæ, Nauarræ Metropoli oriundus, qui Prouincialem suorum in Philippinis egerat. Augustiniani namq; primi fidei lumen in easdem inuexere, ac centum animarum millia & amplius Christo iam pepererant. Erat hic non modo sanctimonia, sed & doctri-

Item duo Augustiniani Martinus Herrada & Hieronym. Marinus.

doctrina illustris, tantoq; Sinarum conuertendorum ardebat desiderio, vt linguæ patriæ ediscendæ noctes diesq; incumberet, atque in mancipium se libenter Chinensibus institoribus, qui Philippinas adierant, vendi voluisset, quo illum in Chinam inueherent. Verum impetrare id ab ipsis nequiit. Socius illi fuit F. Hieronymus Marinus Mexici in noua Hispania natus, vir doctus simul ac pius. Commodam porro itineris sui occasionem nacti sunt; quam paucissimis verbis perstringam, reiectis minutioribus quæ ad rem non sunt, quæ historiæ Sinensis auctor latius prosequitur.

Qua occasione intrandi vsi sint.

Ea ipsa tempestate, omnem maritimam Chinæ oram centum prope nauium classe infestabat Limahonus pirata Sina; hic naues obuias diripiebat, atq; vrbes maritimas, etiam maiores, subita incursione expilabat. Vnde magnum omnibus sui terrorem iniecerat. Rex subditorum vicem iniuriamq; dolens, præfecto prouinciæ, quam ille maxime exagitabat, in mandatis dedit, vt archipiratam hunc, manus pedesq; vinctum, aut caput præcisum saltem ad regiam mitteret: Instructa ergo centum triginta nauium maiorum classe, quæ quadraginta classiariorum vehebat millia, præfectus expeditionem parat. Tanta suum classe peti caput cum haberet compertum pirata, sibique metueret, insulam Chinam inter ac Philippinas interiacentem subit. hîc delituit ceteris quo profugisset, prorsus ignaris. Prædari tamẽ non desinebat, suos huc & illuc cum aliquot nauium classe, emittens. Inciderunt hi in duas Sinensium institorum naues, è Philippinis profectas, deferebant hi permultos regales Hispa-

Limahonus pirata nobilis.

Hispanicos,quorum singuli quaternos appendebant. quos auferentes piratæ petebant, vndenam hosce exportassent? In insulis Lussonensibus (ita namque Philippinæ à Sinensibus vocātur) aiebant institores, plurimos Castillas commorari, apud quos maxima horum esset copia. Vrbem adhęc Manillam, in qua commorabantur, vix munitam facile intercipi posse; ac tum præsertim, quod, plerisque præsidiariorum, hostem nullum veritis, in expeditionem aliquam foras profectis, vix septuaginta ad vrbis defensionem relicti essent. Mercatorum horum ductu, eodem pergere cursumque dirigere voluit, tum vt hic aduersus Sinarum regem, si forte premeret, se communiret, tum vt vrbē deprædaretur. Recta ergo Manillam petens, in vrbis conspectum venit pridie festi S. Andreæ anno M.D.LXXIV. quadringentosq; milites scaphis impositos exscendere iussit. hi quod ventus aduersus foret, nonnisi postridie mane eluctātes exscensionem fecere. Mox instructa acie recta ad vrbem contendunt; quam nullo obstante, ac prius quam de illorum aduentu quisquā intellexisset, ingressi sunt. Prima in domum præfecti militaris incursio fuit; erat enim intrantibus prima. hunc simul & alios obuios neci dedêre. Nonnulli Hispanorum dum fugam parant, comprehensi, iugulati sunt. Ceteri sumptis animis in vnum conglobati, hosti restitere: qui labore conflictus nonnihil exhaustus ad naues se recepit; postridie maioribus copijs & restauratis viribus rediturus, vrbem iam spe deuorans. Interim Hispani, vltimam prius sanguinis guttam profusuri, quā loco cessuri, quod totam tueri præsidio vrbem

Philippinas inuadere conatur.

non

non possent, vallo ex tempore exstructo, in angustum se recepere: huc cados ruderibus completos aggessere, ac quatuor tormenta bellica maiora quæ habebant. Eadem nocte appulit inopinato Ioannes Salcedus Hispanus cũ quinquaginta ac quatuor militibus. Erat hic præfecti vrbis Fernandinæ, iam recenter in insula haud procul à Manilla exstructæ, vicarius. quod enim Limahoni classem haud procul à Fernandina prænauigantem vidisset, hostiliaque meditari in Manillam conijceret, suppetias ferre, hostes per aliam viam præuertere & ciues de illorum aduentu certiores reddere decreuit. At præuertit Limahonus: tamen adeo commode appulit, vt huic soli, post Deum, vrbis asscribenda fuerit conseruatio. Ciues namq; hinc hostem repellendo vallumq; communiendo ita exhausti erant; illinc vero tam abiecti animi, quod numero exiguo forent, vt repentinum hoc subsidium, nouos animos & vires suggesserit. Postridie ergo Limahonus, sexcentorum manu assumpta, exscensionem facit; ignem desertæ vacuæq; parti iniecto, ad vallum progreditur. verum à pluribus sibi resisti videt, quam credebat. Vespera certamen diremit, in quo ducendi suorum desiderati, saucij plurimi, Hispanorum binis dumtaxat cæsis. Limahonus suorum imminutum videns numerum, & ceteros aut vulneribus aut laboribus exhaustos, receptui canit, ac naues subit. mortuos omnes in vnum collectos terræ mandari iussit priusquam insula discederet. discessit autem biduo post, ea qua venerat via. Quadraginta nam leucas, insulæ oram legendo, confecerat, dum ad

Hispani auxilium nacti.

Limahonus Manillam oppugnat, sed reijcitur.

ad fauces Pangaſinani fluminis appulit: porro loci oportunitate, ac ſitu perſpecto de arce exſtruenda cogitauit, vna ab oſtio leuca introrſum. arce conſtructâ, ab omnibus finitimis tributum, velut loci imperio occupato, extorſit. Hinc etiam naues ſuas quaqua verſum emittebat, ſpargebatq; omnes ſe Caſtillas in fugam egiſſe, ac Manillam aliaſq; inſulas occupaſſe. Cogitabant Hiſpani, è rumore hoc, ſibi non mediocre detrimentum euenturum, atq; hinc fore, vt vicini, quos famâ virtutis fortitudiniſq; potius, quam armis ſubegerant, occaſione ſumpta cornua forſan erigerent, præſidiarioſque omnes neci darent. Placuit propterea piratam inſequi, ac ſuo in vallo obſidere. Quocirca præfectus Manillanus omniumq; circumquaq; inſularum, Guido Labaſſatus, qui Michaeli Lupio Legaſpio, qui haſce inſulas ſub Hiſpanorum imperium redegerat, ſucceſſor miſſus erat, omnes vndiquaq; præſidiarios cõuocauit. Certiores quoq; reddidit præfectos inſularum, quas Pictorum vocant, (quod corpus incolæ varijs coloribus depingant) vt cum nauibus claſsiarijſq; quibus poterant adeſſent, Hiſpanorumq; numerum indigenæ ſupplerẽt. His auxilijs vndiq; conquiſitis, & ad defenſionem Manillæ ſufficienti præſidio relicto, piratam cum ducentis quinquaginta Hiſpanis, ac bis mille quingentis indigenis, Salcedus, qui in alterius in prima vrbis incurſione cæſi locum, præfectus caſtrenſis conſtitutus iam erat, piratam inſecutus eſt. Copijs porro minoribus impoſitis nauigijs, quæ ex inſulis appulerãt, haud multo poſt ad Pangaſinani fluminis, hoſte inſcio, fauces penetrauit: quas ille nauigijs catena fer-

Alio ſe recipit, vt ſe communiat.

Hiſpani copias conuocant ad illum expugnandũ.

na ferrea colligatis obstruxit, ne quod è mari piratæ veniret auxilium. Partem suorū simul & quatuor tormenta minora exposuit. Hos clanculo in hostem immisit terrestri itinere, quibus in mandatis dedit, ne prius sese proderent, quam manus conferendæ essent. Cæteros aduerso flumine nauigare iussit, & eodem, quo alii hostem tempore coniunctis viribus aggredi. Tanta hoc factum celeritate & animo, vt vectores nautici ignem hostili classi iniecerint quæ penitus conflagrauit. Qui vero terrestri itinere venerant, transcenso vallo domibus arcis ignem etiam iniecere. Limahonus vero subito incursu perterritus fuga sibi consulit, multosq; suorum ad Hispanos propulsandos emisit. At hi calore incendii quod vallum simul & naues domosque occuparat, æstuantes laboreque exhausti, canere receptui satius duxerunt, præsertim quod turbati iam forēt ordines confusaque omnia. Quinque hic Hispanorum cæsi ac triginta indigenæ socii: centum & amplius piratæ desiderati, plurimi in captiuitatem abducti. Postridie mane Salcedus suos in aciem educit, ac ducentis ab arce passibus castra metatur, signa cum hoste, si copia daretur, collaturus, vel locum si fieri posset, ad deditionem coacturus. Verum ea nocte ita locum pirata communierat, vt inuadendi vix esset copia: tria namque tormenta maiora, & alia minora missiliaque igniuoma in vallo disposuerat. Quo viso, Salcedus, cum nonnisi minora ipse haberet, & instrumenta deessent bellica, quod ad vrbis defensionem plerisq; opus fuisset; satius fore iudicauit, terra mariq; prædoni iter obstruere. Credebat namque illum, euadendi spe sublata, tum nauibus omnibus in-

Limahonus in arce sua obsessus.

incendio consumptis, tum etiam terrestri itinere occupato, aut breui deditionem facturum, aut fame enecandum: commeatum namque vnà cum nauibus absumptum putabat. At pirata ipso fuit cautior ac vafrior; adeo vt euaserit, vti suo referemus loco. Sed obsidione seposita, quid interim in China agatur, disquiramus.

Omonconus Dux Chinensis de Limahono inquirit. Sinenses ergo duces, ignari quo se Limahonus recepisset, quemdam suorum cum ingenti naue misere, Omonconum nomine, vt quonã se recepisset, exquireret. Hic non procul à Philippinis tum ab Hispanis, quos obuios habuit, tum ab institore Sinensi, cui nomen Sinsaius, & Manillæ vt plurimum negotiabatur, de omnibus, quæ de Limahono narrata sunt, factus est certior. At cum fidem dicentibus non adhiberet, suis ipse oculis coram voluit inspicere. Salcedus benigne illum excepit, & ad oculum ostendit, quo piratam obsideret modo, vt suas euadere manus non posse crederet, spondens, se vbi in potestate habuerit, viuum vel mortuum in manus illius traditurum. Interim Manillam se conferret, & in præfecti ædibus ageret, donec obsidioni, vel nece, vel captiuitate Limahoni finem imponeret, quod breui futurum sperabat. Non abnuit Omonconus, cui honoris ergò, socium Salcedus vnum è suis ducibus ac nauigium dedit: quod nauis Omonconi ob magnitudinẽ insulas transire non posset, quam proinde deseruit. Hunc Manillanus præfectus magno beneuolentiæ signo excepit. At quod obsidionẽ opinato diutius trahi cerneret, vereretur que ne, si moras traheret, naufragio illum periisse crederent Chinenses, in

Castra petit.

patriam

patriam hæc nunciaturus redire voluit. Quod vero, interim dum Manillæ versaretur, præfectus aliquos se in Chinam ad fœdus ineundum, ac Religiosos ad fidem Christianam promulgandam, mittere velle diceret; quamuis alienigenas China exclusos, eosque qui inueherent parum gratos esse sciret; præfecto tamen pollicitus est, omnes, quos vellet, se inducturum; nec Mandarinos id ęgre laturos, cum tam prospera de Limahono annunciaret, sanctéq; Hispani iurarent, viuum aut mortuum se illum tradituros. Quo vero fidem verbis adiungerent Castellam, missosque ab omni iniuria tutos fore crederent, quos vellent daturum se obsides spopondit. Præfectus nullos petiit, verbis sat apud se ponderis habentibus. Euocauit igitur mox Augustinianorum prouincialem, & ab eo aliquot suorum in Chinam mittendos postulauit. Alphonsus Aluaradus viro nomen; senio & sanctitate erat venerabilis, ac de numero illorum, qui ad nouam Guineam explorandam ab Imperatore Carolo V. iam olim emissus erat.

Pium senem ita nuncius hic recreauit, vt sibi ipsi, non obstante senio, hanc vltro prouinciam deposceret. Verum quod iam annis grauis esset, & aliæ rationes occurrerent, hunc mittere visum præfecto non fuit. Tandem re mature deliberata, visum fuit duos illos mittere, quos iam supra nominauimus, & cum illis duos milites, vt si forsan Religiosi à Rege sibi Euangelii annunciandi causa, detinerentur, vt futurum sibi persuadebant; illi ad Philippinas redirent rem omnem denunciaturi. Præfectus priusquam soluerēt, multa Omoncono largitus est munera simul & Sinsaio Mer-

Munera à Præfecto Manillano accipit.

catori Sinensi, qui itineris futurus esset comes. Omoncono torquem dedit aureum, & vestem coccineam, quam permagni ille fecit, & Chinenses (eo quod rara) pluris: Sinsaio quoque torquem aureum, tum quod Hispanorum hactenus partes egregie fouisset, tum vt illum sibi deuinciret, ne in eo, quod sperabatur obstaculo foret. Dedit insuper aliud donarium præfecto Chincheano, à quo Omonconus missus erat, quin & Proregi prouinciæ. Omnes quoque Sinenses, Limahoni socios, reddidit, vt libertate donarentur; Salcedo quoque aliisque duobus, qui Limahonum obsidebant, edixit, vt quotquot Chinensium viuos habere poterant, in Chinam remitterēt, de lytro sibi curam fore. Omnibus ad iter necessariis iam comparatis, Manilla nauigio minori, alioque Chinensi, quo Sinsaius simul & commeatus vehebatur, soluerunt, ac Bulianum, quod quadraginta à Manilla leucis distabat, appulit. Hic Omonconi nauis stabat, qua in Chinam vehendi erant. Interim nuncius à Salcedo, qui nō nisi septem aberat leucis, venit, quo religiosos ad se euocabat. His cum in castra venissent, Sinenses omnes, quos habebat, tradidit, nullo ab eis lytro pretioue exacto. Misit insuper literas & munera ad præfectum Chincheanum ac Proregem per Omonconum deferenda. Hisce Limahonū se spondebat, si non viuum, saltem mortuum, traditurum. Sed pellem vendebat lupi nondum capti, vt nostrati dicitur prouerbio. Omonconus ergo XXV. Iunii cum religiosis, sociisque nauem conscendit, ac quarto nonas Iulias in Chinæ conspectum venit; nonis ipsis, centum quadraginta leucarum itinere confecto. Tansusum Chinæ vrbem, in qua magno

In Chinam appellit.

bene-

beneuolentiæ signo omnes excepti fuere, deinde Chincheum deuenit, à cuius præfecto emissus erat, & cui munera simul & litteræ deferebantur. Verum antequã ad illius colloquium admitterẽtur, flexo sibi poplite illos more patriæ loqui volebat; quod non à rege Hispaniarum, sed ab ipsius prætore dumtaxat missi essent. Displicuit hoc initio Hispanis, maxime secularibus; sed morem gerentes ad præfecti ædes deducti sunt; hic flexo genu illum alloquuti mox permissi sunt surgere. Tum munera & literas illi obtulere, à quo vicissim munera accepere, & conuiuio lautissimo excepti sunt. Misit hos ipse ad Proregem, qui Auchei, quæ triginta inde leucis distabat ciuitas, commorabatur, simul & munus, quod sibi delatum erat, ob causam quam postea referemus. Sella gestatoria toto itinere ferebantur, & regiis vbique expensis excipiebantur; at fida militum nusquam aberat custodia. Aucheum delati, recta prætorem adeunt, sed vrbem subeuntes, permultos obuios habuere præsidiarios (quos illi nobiles credebant) à quibus humane salutati per longam latamque viam, vtrimque militum per signa distinctorum cohortibus, velut sepe à porta ad vsque prætorium, quod inde non parum distat, communitam, ad Proregem deducti sunt. Pars hastas, pars bombardas, vel gladios simul & scuta gestabat, quisque serico intersignio dignoscebatur; galeam conus exornabat. Quieti loco stabant, impediebantq;, ne quis viam, per quam Hispanis transeundũ erat, occuparet, qui tandem ad prætorium peruenere. Quod quoniam nondũ apertum erat, nonnihil ante fores hæsere, donec aperirentur, quod non sine ritu solemni fieri solet. Primò qua-

Religiosi præfectum Chincheensem salutãt deinde Proregem.

Quis ritus in foribus Prætorij aperiendis seruetur.

quaterna tormentorum displosione datur signum, dein facto tubarum, buccinarum, tympanorumque strepitu omnia concrepant, tum demum magno fragore ac sonitu fores laxantur, & hoc quotidianum. Prætore salutato, traditisque literis ac donariis, enixissime postularunt, vt cum Hispanis, Philippinis insulis præsidentibus fœdus inirent, ac religiosos ibidem commorari sineret, ad patriam linguam ediscendam, quo incolas in viam salutis reuocarent. Magnam iis beneuolentiam prætor ostendit, muneraq; pro patriæ consuetudine vicissim obtulit. Singulis religiosorum sex pannos sericos dedit, quos stolæ instar antrorsum ante pectus decussabāt, militib⁹ Hispanis quatuor, totidem & Omoncono & Sinsaio. Singulis item bina serta argētea, quo honorario donari solent in China, qui præclarum aliquod bello facinus edidere. Duplex quoque iis exhibuit epulum, quod musico, comico dramate, aliisque ad voluptatem compositis exornauit. Ipse tamen prætor non intererat. Moris quippe est, vt qui cōuiuium instruūt, maxime si auctoritate polleant, eidem non intersint; aliis tamē partes suas committunt, vt cōuiuas excipiant. His peractis cum aduentus sui causam agere Hispani inciperent, Rege se inscio nihil decernere hic posse, sed breui de omnibus illum certiorem facturum respondit prætor. Quod & fecit, misitque ad regem eiusque assessores, sibi simul & aliud Chincheano præfecto transmissum munus, quod coram tabellione, aliisque testibus adstantibus Hispanis detexit, postulans, numquid amplius attulissent. Putabant Hispani hoc ritu donum suum contemni. Sed aliud latebat: nefas quippe est, quemquam

Qui in China conuiuium extruunt, non intersunt.

Mandarinorum munuſculum vel minimum, rege eiuſque aſſeſſoribus inſciis accipere, ni omni penitus dignitate toto vitæ tempore priuari velint, ac rubeum geſtare pileum ; quo nihil apud Sinenſes eſſe poteſt infamius.

Interim dum Regis reſponſa expectarent Hiſpani, longioris moræ pertæſi, ne otiarentur, interdum per vrbem inambulabant, quæ placerēt, coementes: religioſi permultos compararunt libros de diuerſis agentes rebus, quos deinde ſecum in Philippinas retulere, ſpectatum ibant & vrbis miranda, ac præſertim delubra deorum. In quorum vno, quod cæteris erat auguſtius, præcipuo in loco centum & vndecim deorum ſpectarunt ſtatuas, præter alias huc illucque diſperſas. Erant hæ ſcite admodum exſculptæ, & auro exornatæ, ac præſertim tres cæteris elegantiores. Harum vni tria erant capita vno è trunco prodeuntia, & ſe mutuo reſpicientia : Altera erat mulieris puerum ſinu fouentis; Tertiæ ea erat forma, qua apud nos Apoſtoli depinguntur. *Quid Hiſpani in fanis mirati ſint.*

Erant & aliæ formæ ſatis prodigioſæ: His quaterna erant brachia, illis ſena, vel octona. Ante harum plurimas, ac præſertim tres, quas iam deſcripſimus, ardentes dependebant lychnuchi.

Cum deinde portas vrbis inſpexiſſent, ſiniſtra prorex de illis ſuſpicari cœpit; vt edixerit, ſuo ne iniuſſu pedem in poſterum domo efferrent : quin & cuſtodiæ præfecto mandauit, aduigilaret ne in publicum prodirent, neu quis ad eos aliquid venditurus ſe cōferret. Cæterum neceſſaria tam abunde ſuppeditabātur, vt reliquiæ ſupereſſent, idq; regiis ſumptibus.

Domo includuntur & cur.

Verum vbi se tam arcte custodiri cernerent, proregem de rerum suarum statu percontari voluere, quo ad suos reuerterētur. Prætorium tamen subire illis non licuit. Quocirca literas illi mittere decreuerunt, at eas nemo scribere ausus fuit. Scripsit tandem Omonconus, at perferre noluit; sed custodum pręfecto easdem perferendas dedit; cui prorex hunc in modum respondit: Religiosis habitandi, fideique suæ promulgandæ copiam fieri non posse, nisi regium Concilium annueret: cæterum ad literas præfecti Manillani se propediem responsurum: ac deinde ad Philippinas illos reuerti posse; iterum vero in Chinam redire, cum Limahonum viuum aut mortuum secum asportarent: ac tum de fœdere, quod petebant, ineundo commode agere, ac religiosos, si regi videretur, ibidem commorari posse. Hæc paucis prorex. Hinc Religiosis omnis in China manendi spes defecit, & ad reditum comparare necessaria cœperunt, plurimis libris iterum coemtis.

Quid à Prorege de rebus suis intellexerint.

Tum prorex nullos vt imposterũ libros emerent, edixit, gratis se quot vellent suppeditaturum: at obliuione forsan, vel aliam ob causam, promissis non stetit. Cum tamen ipse aliquot illorum, quos secum tulerant, libros postularet; quos inspectos remittebat; rogabatq; sua manu, vt aliquid exararent. Morem gerentes religiosi, Orationem illi Dominicam, salutationem Angelicam, ac Decalogum lingua Hispana, & ex opposito Chinensi, magna illius voluptate perscripsere.

Haud multo post omnes prouinciæ præfectos in Aucheum conuocauit, de rebus Hispanorum deliberaturos. Suane id auctoritate an regis assessorumq; regiorum fecerit non constat.

ſtat. Varie hic vtramque in partem diſceptatum; Hiſpanos tandem ad Concilium vocarunt, cui tamen prorex ipſe non interfuit, nam præfecto Chinceano partes ſuas commiſerat. Is poſtquam quæ aduentus fuiſſet cauſa, & quo in ſtatu Limahoni negotia ſub ipſorum diſceſſu forent, aliaq; ſimilia percontatus eſſet; eadem omnino decreuit, quæ prorex. Hoc comperto Hiſpani quamprimum abeundi à prorege ſibi facultatem fieri poſtulant. Verum decem adhuc dies ibidem ſubſiſterent, ille petiit. Inſpector namque ac viſitator prouinciæ breui adfuturus, literas miſerat, ne ante ſuum illos aduentum dimitteret; ſe namque illorum videndorum deſiderio teneri. Interim in publicum prodeundi interdum copiam illis dabat, tum ad vrbem illiusq; miranda inſpectanda, tum ad animum deambulatione relaxandum. Inter cætera luſtrum illi militum oſtendit, in quo viginti millia cenſebantur: ſingulis id menſibus eodem omnino die (quem nouilunium definiebat) per totā fieri prouinciam, didicere. Viſitatorem, cum appuliſſet ſalutatum abiere: ſublimi is conſidebat ſella, magna vultus ſeueritate grauitateque cenſoria; ante menſam charta, rebuſque ad ſcribendum neceſſariis inſtructam. Hunc per vniuerſam regionem ritum iudices ius adminiſtraturi ſeruant. Tum ſplendido illos excepit epulo, quod exhibitum condecorabat drama; priorum id epulorum ſplendorem ſuperabat, cui, aliorum inſtar ipſe non interfuit. Deducti dein ad ærarii regii præfectum, à quo benigne excepti; dabat hic munera ad præfectum Manillanum deferenda, in compenſationem illorum, quæ ipſi proregi detuliſſent: ſellam geſtatoriam auro depi-

Ad reditum ſe parant.

Munera Proregis.

depictam, vmbracula serica bina, equum, quadraginta pannos sericos, ac viginti inferioris notæ. Tantundem & Salcedo misit, & ad singulos epistolas, binis capsulis scitissimis inclusas. Dedit insuper quadraginta pannos sericos variorum colorum inter milites, qui Limahonem obsidebant distribuendos, ac trecentas endromides nigras, totidemque vmbracula. Singulis etiam Religiosis pannos sericos octo, militibus verò qui comitabantur, quatuor, simul & duo vmbracula & equum ad iter agendum necessarium. Tum abeundi veniam concessit; vtque quam citissime in viam se darent, edixit. Omnia namque ad iter parata iam esse. Proregi tamen ac visitatori prius valedicerent.

Quo facto postridie profectionem adornarunt Chincheum versus, gestatoria sella delati, etiam serui & mancipia. Ita namque fieri prorex iusserat. Religiosos octophori gestabant, milites quaterni, seruos bini, quatuor & viginti sarcinas ferebant; præcedebat veredarius qui de commodo illis diuersorio prospiciebat; simul & alius, qui baiulos tum corporum, tum sarcinarum conducebat: nam sæpius illi mutabantur.

Hoc pacto tandem Chincheum peruenere; sed non substitere: significarat namque præfectus, vlterius vt progrederentur, & recta Tansusum, quo primum appulerant, peterent. Ibi enim se adfuturum. Vti & adfuit. Postridie quam aduenit, nauem vt conscenderent, edixit, quamuis nauicularii ad iter necessaria nondum comparassent. Erat namque nouiluniū; quo cœpta itinera, aliaq; inchoata feliciter successura credunt. Nauem dum conscende-

Tansusi naues conscendunt.

scenderent, aderat ipse cum Bonziis, qui pro felici itineris successu sacrificia ritu suo offerebant: dein collationem parabat, in qua ipse ministrabat, cum ipsis & vescens & bibens. Prætoriam cum conscendissent, iterum Bonzii sacrificium instituerunt, quod in vesperam protraxerunt. Hoc peracto festa tormentorum naualium, ac bombardarum militarium displosione ac læto tympanorum, campanarumque; quas naui vehunt, strepitu abeuntes prosecuti sunt.

Verum iterum naui egressi, in ciuitatem admissi sunt: postridie Chincheanus præfectus opiparum instruxit conuiuium, cui ipse interfuit conuiua. Quo nullum exhibere maiorem magistratus honorem possunt. Tum munera protulit præfecto Manillano & Salcedo deferenda, reciproca beneuolentia. Illi quatuordecim pannos sericos, huic decem misit; Religiosis quaternos, militibus binos dedit: seruis vero epidromides picturatas. Tum magna spondens, benignissime habitos dimisit: breui illos visurum se sperans, dum Limahonum conueherent, ac tum si forte minus pro dignitate excepti iam viderentur, errorem resarciendum. Præfectus ad sua abiit, relictis quinque ducibus, qui itineris futuri essent socii, vna cum Omoncono & Sinsaio, qui conuiuio postremo, Loytiarum vestiti insignibus, quæ à præfecto Chincheano pridie, ob magna in regem merita acceperant, interfuerunt. XIV. Septembris die, anno M. D. LXXV. nauem conscenderunt. Duas ad se, suos, ac sarcinas deferendas habebant naues; octo defensionis ergo comitabantur decem mensium instructæ commeatu.

Munera Præfecti Chinchea-ni.

Quo

Quo vero commoda ſecuraque foret nauigatio, ſingulis propemodum diebus ad inſulam quandam diuertebant. Ad harum vnam cum appuliſſent, quæ Plonus dicebatur, è piſcatoribus didicere Limahonum, nauigio è tabulis ex incendio conſeruatis, quas de nocte ex arce flumini proxima, milites clanculo colligebant conſtructo ſe ſubduxiſſe. Cæterum tam occulte dextreque, vt non prius ab Hiſpanis id compertum ſit, quam piratam ad remotam quandam fugiſſe inſulam nuntiaretur, in qua naues reſtaurabat, quo iterum mare infeſtaret. Hæc piſcatorum relatu cognita ſunt, ac nonniſi ante octiduum fugam hanc inſtitutam. Perculit inopinus hic nuntius Hiſpanos non minus, quam Sinas, ac præſertim Omonconum ac Sinſaium: quos ſubiit ſuſpicio, Limahonum inter ac Salcedum occultum fœdus fuiſſe, & hoc conniuente fugam factam. Veriſimile hoc nequaquam eſſe dixere Religioſi. Verum quod inſula, ad quam Limahonus conceſsiſſe dicebatur, nonniſi duodecim diſtaret leucis, Omoncono ac Sinſaio placuit eodē curſum dirigi, dum nullo eum opprimi poſſe ſperant negotio. At repugnauit nauium præfectus, neq; enim hoc ſibi iniunctum eſſe, ſed Hiſpanos dumtaxat ad Philippinas reducere, Limahonumque viuum aut mortuum, ſi darent, in Chinā auehere. Cœptum igitur iter proſecuti, haud procul à Buliano eadem de Limahono comperernnt. Magis quam ante nuntius hic Omonconum & Sinſaium affecit; quod plane illius fugam non crederent. Verebantur quippe, ne ſi Limahonum in Chinam non aſportarent, omni dignitate ac priuilegiis hoc ſolo nomine conceſsis, exuerentur. Tandem quadraginta

Limahonus fuga ſe ſubducit.

ginta quinque dierum itinere emenso Manillam appulere, quos præfectus omni quo potuit est beneuolentiæ genere prosecutus; à quo simul & Salcedo intellexisse, nullum se inter & Limahonum colloquium fœdusque exstitisse: quem deinde nuntiatum est, reconcinnatis cymbis, quas in arce construxerat, & commeatu collecto, deserta longinquaq; in insula, mœrore confectum, quod è tanta potentia tam subito præcipitasset, exspirasse. Interim dum nauis præfectus omni obsequiorum festorumque apparatuum obsequio delinitur, quædam illi fidei Christianæ capita per otium exposita sunt. Placere sibi eadem ostendit, atq; in Christianam religionem inprimis se propendere, eamque amplecti velle, nisi certo certius capitis illis sciret imminere periculum, qui aliam à patria religionem amplecterentur. Suggessit tamen præfecto Manillano commodas ineundi cum rege Sinarum fœderis ac fidei promulgatoribus regionem ingrediendi rationes; ab hac Sinas alienos non fore, si modo regis inflectere prius animum possent. Nullum porro huius conficiendi haberi posse viam aptiorem, quam si ab Hispaniarum Rege ad Sinensem, mutui fœderis ineundi, fideiq; Christianæ persuadendæ ergò, legati mitterentur. Quocirca sæpius Hispani, qui Philippinas incolunt, ab rege Hispaniarum, quam enixissime postularunt, hanc vt legationem adornaret: hinc anno sequenti Philippo II. omne P. Martini Herradii iter perscriptum misere; qui petita à se haud ægre facturum promisit. Legationis principem esse voluit Ioannem Gonsaluium de Mendosa, Historiæ Chinensis scriptorem; huic munera permulta dari iusserat ad regem Sina-

Moritur præ mærore.

Quæ Sinensium conuertendorum ratio.

Sinarum deportanda. Sed parum lætum res habuit successum. Muneribus enim in Mexicā delatis, obstaculum prorex illius opposuit, ac legatum rursus ad regem Philippum destinauit. Propterea in aliud tempus dilata legatio, atque hactenus intermissa. Hac forsan via fidei semitam parare nolente Deo, sed alia, quam in arcano diuinæ sapientiæ consistorio decretoque constituit.

Religiosi Franciscani Chinam adeunt.

Aliquot post annis Franciscani nonnulli Chinam adire, & ibidem commorandi, Euangeliiq; promulgandi facultatem à magistratibus impetrare conati sunt. Erant hi Petrus de Alfara, cum aliis tribus sociis eiusdem ordinis, è Prouincia Sancti Iosephi in Hispania; qui à nonnullis Capucini vocitantur; quod eandem seruent regulam, quamuis non eandem gestent habitus formam; asperitate tamen persimilem. Hic itaque cum Manillam ex Hispania, postridie Kalendas Iulias, anno M. D. LXXVIII. cum quatuordecim sociis appulisset; (quibus ipse cum imperio præerat Custodis, vt appellant) ad Augustinianis, qui soli hactenus Philippinorum conuersioni sedulo incubuerant, opem ferendam; vt erat honoris diuini, Ecclesiæque incrementi desiderantissimus; audito paulò post aduentum suum, Patrem Martinum Herradium in Chinam legationem instituisse, variaque de gentis docilitate diuulgasse, animum ac desiderium concepit, eodem penetrandi. Incitabat ad hoc illum Chinensis quidam, olim in patria Bonzius, qui à Franciscanis ad fidem Christianam perductus, magna omnium gratulatione Baptismum receperat. A præfecto ergo Philip-

Philippinarum, Francisco Sandio, in Chinam transeundi cum facultatem peteret; indies dilatus est: displicere namque hanc sibi legationem clanculo ostendebat, tum quod prima illa, magna sui spe excitata, parum feliciter successisset, tum quod metueret, ne inita iam nuper cum Sinensibus amicitia, quæ solidas nondum radices egerat, hoc pacto dissolueretur. Verum Alfarius dilationis longioris pertæsus, præfecti iniussu, eodem cum tribus suorum, ac totidem Hispanis militibus, qui socii itineris futuri essent, contendere decreuit. Duxere secum puerum Chinensem, qui Limahono adhæserat, qui interpretis partes ageret, ac quatuor Philippinenses. Hoc comitatu actuariam mediocrem conscendunt; vix erat qui nauis gubernandæ peritus foret.

Nauem conscendunt præfecti Philippensium iniussu.

Tandem tamen, Deo duce, paucis post diebus in Sinam peruenere; quam non sine singulari Dei beneficio ingressi sunt. Nam licet ad maris angustias, quas transiere, multarum nauium staret classis, quæ externos regno arceret, per medias tamen, omnibus insciis, iter direxere; nemo vt transitum impedierit. Panicum siquidem terrorem iniecisse videbatur Deus iis, quotquot obuias habuere naues. Omnes namque etiam eminus actuaria conspecta, velut ab hoste pressa fuga se subducebant; cum tamen nonnisi vna esset nauis. Cantonis tandem portum subiere, vbi locorum versarentur ignari. Nullus intrantes compellarat, ac iam ad medium ciuitatis nullo vigilum impediente penetrarant ad vsque prætorium. At quod diutius in foro agerent, & confluentium turba, qui externorum habitum curiosius

Chinam sine vllo intrant obstaculo.

sius inspiciebant, circumcingerentur; à præsidiariis, veritis ne somnolentiæ negligentiæq́; arguerentur, nulla irrogata iniuria inde amouentur. Hic tamdiu præstolari iubentur, donec vrbis præfectum de illorum aduentu certiorem fecissent, atq; ille exscendendi copiam dedisset. Accessit dein Chinensis, qui Lusitanicam callebat linguam; cumq́; Lusitanos crederet, quid vellent, postulabat. Viam cœli se edoctum venisse asserebant. Tum ille alium adduxit, qui Lusitanico etiam loquebatur sermone, & Christiano ritu viuebat: triennio namque cum Lusitanis in Macao cōmoratus erat. Hic cum eadem petiisset, idem etiam responsum ab illis audiuit. Petebat dein, à quo huc deducti essent; à solo inquiunt Deo. Rursus num à nauibus angustias maris custodientibus, vllum passi essent obstaculum. Nullas se vidisse, respondebant, & à nemine iter impeditum; quod ille non parum mirabatur. Consuluit dein vt ad nauem redirent, donec Mandarinos maritimos de illorum aduentu certiores reddidissent, vt illi de re tota ad vrbis præfectum referrent. Paruere religiosi. Cumque ad tempus in naui substitissent; mox à Mandarino locum portui proximum ingrediente per famulum, qui tabulam depictam, qua facultas à præfecto concessa in terram exscendendi continebatur, præferebat (neque enim illius iniussu quemquam exscendere fas est) euocantur. Tantam porro hic vultu grauitatem pręferebat, vt non parum obstupescerent; præsertim cum intellexere, nonnisi inferioris notæ hunc magistratum esse. Vestem habebat, qualem descripsimus; & sublimi considens sella, mensam ante se habebat rebus ad scribendum necessariis instructam.

A Mandarino euocantur.

ſtructam. Vtrimq; adſtabant longa ſerie lictores, arundines longas, quibus rei cæduntur, geſtantes: caput galea è nigro parata corio & pauonum exornabant pennæ, ac nummi fuſiles; namq; hæc lictorum publicorum ſunt inſignia. In huius conſpectum cum veniſſent Religioſi, in genu iubentur procumbere, ac deinde accedere propius. Tum per interpretem Chinenſem Chriſtianum petijt, cuiates eſſent, quid acturi veniſſent, quos itineris ductores habuiſſent? Caſtillas ſe dixere, id eſt, Hiſpanos (hoc enim à Sinenſibus dicuntur nomine:) deinde viæ ſalutis demonſtrandæ, ac Dei veri cœli terræq; conditoris annuntiandi gratiâ ſe veniſſe: Poſtremo à ſolo ſe deductos Deo, & ſine vllo prorſus obſtaculo ad hunc appuliſſe portum, cuius etiamnum nomen ignorarent. Primum vltimumque reſponſum vere retulit interpres; ſed ſecundum mutauit dum credit, Mandarinum vbi illos ad aliam legem promulgandam quam paſsim in vniuerſa regione ſeruaretur, veniſſe audiſſet, confeſtim illos ablegaturum, atq; ita ſibi omne quod ab illis ſperabat lucellum periturum; & forſan non minus illis quam ſibi hinc im̃inere periculũ; Dixit itaq; Dei ſe cultui dedicatos, victus aſperitatẽ ſectari, in communi, Chinenſium Bonziorum ritu viuere. Sed dum ex inſulis Philippinis Illocas petunt, nauem qua vehebantur, tempeſtate diffractam naufragium feciſſe, ac pleroſq; vectorum ſubmerſos; ſe vero ſolos, ſingulari Dei protectione, nauigio quod maiorem nauem ſequebatur, conſcenſo periculum euaſiſſe; ac tandem, nemine ducente aut dirigente, quod omnes fluctibus merſi perijſſent, ſolum

Quid ab illis peteret, quidq; reſponderent.

Interpres reſponſa deprauat.

impellente, ad hunc appulisse portum, cuius etiam tum nomen ignorarent. Mandarinus instat vlterius, petitque, vbinam Sinam hunc nacti essent. Responderunt Religiosi, hunc Castellani cuiusdam in Philippinis agentis mancipium fuisse, atque ab ipsis in libertatem vindicatum, vt interpretis partes obiret. Verum & hoc responsum interpres deprauauit, dum ait Sinam nauem quæ Lussonem petebat, conscendisse, illa vero pereunte, nando ad vicinam insulam peruenisse, atque hic octennio seruitutem seruisse, donec in nauigium hoc, quod aquandi gratia ad hanc casu appulerat, admitteretur, quo tenderet ignorans. Tum quid naui deferrent, petijt Mandarinus. Duas, inquiunt, librorum sarcinas, ac sacrorum apparatum & instrumentum. Fideliter hoc interpres exposuit; sciebat namque singula quàm primum excutienda. Nec distulit Mandarinus, omnia ad se delata coram explicari iussit. Et maioris securitatis ergò, ipsemet nauigium subijt. Cumque nec arma, nec diuitias vllas (vti dixerant) in nauigio reperisset, meliore de ijs opinione concepta, omnem quam habuerat suspicionem abiecit, ac sine omni demisit maleficio, ne nauigio sine facultate egrederentur, indicens. Accessit dein & alius Mandarinus, maioris quam prior auctoritatis, à loci præfecto destinatus; qui nauigio inspecto nihil quod offenderet, reperit. Præfectum is de omnibus certiorem reddidit, qui mox per tabellam egrediendi vrbemque intrandi facultatem dedit. Religiosi, Sinæ Christiani, qui interpretem egerat, ædes subeunt; qui honeste satis illos excepit, opem auxiliumque polli-

Vrbem ingrediendi facultatem religiosi nacti sunt.

pollicitus, vt in China commorandi facultatem nanciſcerentur. Monuit vero, ne ſe Sinarum ad fidem conuertendorum gratiâ veniſſe dicerent, vſque dum res firmiori ſtarent loco, & patriam noſſent linguam.

In huius ædibus aram concinnant, in qua vnus Sacerdotum, ipſo D. Ioannis Baptiſtæ feſto die ſacra peregit, ceteris viatico cœleſti magno animi gaudio refectis, nam ab eo quo deceſſerant die, ipſo deſtituti vixerant. Eodem die ab alio euocati ſunt Magiſtratu, qui eadem quæ ceteri interrogabat; at maiora beneuolentiæ officia exhibuit, tactaque illorum propius veſte, aſperitatem illius demiratus eſt.

Hic accuratius ceteris religioſorum propoſitum intellexit. ait quippe interpres, ad ægris ſuccurrendum, mortuoſque ſepulturæ mandandos, illos appuliſſe. Tum Iudex fortiter manu menſâ percuſsâ maximis admirationis editis ſignis, ad aſtantes conuerſus ait: Hem viros inſignes ac laudabiles! ſi per me ſtaret, petita concederem; ſed omnis noſtra poteſtas delegata eſt, & à maiori auctoritate dependet.

Dein diligenter excuſſos ad nauigium deduci imperat; ad proregem, qui triginta inde diſtabat leucis, litteras ſe in illorum fauorem miſſurum aſſerens. Quod & præſtitit; prorex autem Aitano, cui ex officio in aduenas inquirere incumbit, rem omnem commiſit. Laborare tum rerum inopia religioſi cœpere. Sina, namque ad quem diuerterant, viſo omnem illorum pecuniam defeciſſe, aliunde ſibi neceſſaria conquirerent, edixit. *Mendicant oſtiatim.*

yY 2 Vt

Vt igitur vitam traherent, quotidie bini, vicatim victum emendicabant. Insolitum hoc Sinis, nullus hic namq; mendicus. Magna tamen animi alacritate stipem conferebant. Præfectus vrbis, necessitate compertâ, è regio illis ærario quotidie tantum pecuniæ, qua se & socios alerent misit; vt vltra quotidiana onera, etiam nonnihil superesset. Lusitani quoq; Macaenses, eleemosynas aliquot misere. Non multo post denuntiat interpres, iussisse Aitanum, vt ad suos proficiscerentur: at se, si modo videretur, libellum supplicem scripturum, Iudicibus offerendum; quo quod parum commodum nauigandi tempus esset, nauigiumq; deesset, quo Philippinas peterent, ad trimestre aut summum quadrimestre de ædibus sibi prospici postularent, atq; interim per otium se ad iter necessaria paraturos. Addebat, visa interim vitâ illorum sanctâ ac modestâ dandam forsan diutius in regno agendi, & sedis etiam figendæ copiam. Non displicuit Religiosis Sinæ consilium, libellumq; hunc vt iudicibus offerret, petiere. Vocarunt vero illos ad se Iudices, quo ab ipsis, quæ vellent, ediscerent. tum præcipuus, ad quid domicilium hoc peterent, est percontatus. Ad patriam, inquiunt linguam perdiscendam, qua incolas veram Iesu Christi fidem edocerent. Dixit quidem interpres (vti postea compertum est) ad patriam illos discendam linguam manere velle; at non addidit, ad fidem Christi promulgandam illius cognitionem dirigi. Cum vero ad hæc dicerent iudex petita se non posse concedere; subintulit interpres, inconsultis Religiosis, aliud se non petere, quam tamdiu in regno commorari, do-

Interpretis versutia.

ri,do-

ri, donec Lusitani cum mercibus appellerent (instabat enim illorum aduentus) ac tum se cum illis, quod eadem lege viuerent, profecturos. Hic petere Iudex num Hispani ac Lusitani eadem gens foret? Respondere vero P. Alfarius, in fide illos non esse distinctos, sed diuersis parere regibus, affinitate tamen sibi coniunctissimis. Postrema petitio æquior iudici videbatur priore, adeo vt ad proregem se scripturum diceret. Quod & præstitit, illiq; quid sibi, quid assessoribus hac de re videretur, perscripsit. Diutius æquo responsum distulit prorex: tandem mitti sibi religiosos cum omnibus quæ nauigio continebantur petijt. Proregis voluntatem, religiosis declarauit præfectus: qui Mandarinorum conscensis nauibus, quas insignes esse supra diximus, à magnæ auctoritatis viris deducti sunt, qui quidquid ad iter necessarium videbatur, procurarunt. Triginta leucarum iter aduerso flumine quatriduo confecere, in quo varia obseruarunt; imprimis bubalos arantes. Vnus siquidem bubalus aratrum ducens, hominem gestabat, qui fune annulo naribus indito affixo, animal velut fræno moderabatur. Postridie quam appulere, ad colloquium proregis admissi, qui illorum conspectu non parum oblectabatur, simul & Iaspide nigro, quo in sacris celebrandis vtebantur; cuius tantus erat fulgor, vt speculi instar rutilaret; quin & imaginibus ex omnigena ita concinnatis pluma, vt ad viuum illarum colorem exprimeret. *Ad proregem perueniunt.*

Vtrumque Mexicano deuectum erat regno, in quo huiusmodi aptantur imagines, ac Iaspidis huius magna est copia; capiebatur &

aspectu librorum in Europa excusorum. Denique cognito ab interprete, nonnisi bimestri trimestriue spatio in China illos agere velle, donec Lusitani appellerent; vt ad vicarium (qui scripto quidquid ab ipso petebatur, haud inuite confirmabat) ait concederent, ac quid statuendum foret se definituros; spe data ex voto omnia conficienda. Vicarius ergo eadem cum intellexisset quæ prorex, (dixerat enim interpres nonnisi bimestri trimestriue illos in regno agere velle spatio; quod incommoda in Philippinas redeundi anni tempestas foret) non esse quod magnopere de hoc laborarent, respondit; sed ad quietem se lætitiamque componerent. in hoc enim spatium ædes se subministraturum, ac nulla diuexandos iniuria. Retulit vero interpres, vicarium perpetuo quod vellent, in China manendi potestatem fecisse: quod illorum caperetur modestia vitæque ratione, quodque vtiles illos reip. crederet; interim patrium sermonem ediscerent, quo incolas ad fidem Christianam pertraherent. Recreabat hic nuntius religiosos: credebant namque votorum se omnium compotes factos. Tum vale Vicario dicentes, læti domum redeunt, ingentibus Deo actis gratijs, quod negotium felicem ad exitum deduxisset. Tum salutatis hinc inde nonnullis, cum litteras à vicario obtinuissent, Cantonem redeunt; in itinere necessarijs quam abundantissime ex vicarij præscripto subministratis. Hic præfecto loci litteras obtentas exhibuere: quibus ille perlectis lætari se ait, quod tantis à prorege affecti forent beneficijs, se vero in complendis ijs quæ litteris continebantur, nequa-

Credunt sibi omnia ex voto successisse.

Cantonem redeunt, domo includuntur.

nequaquam defuturum: quocirca ædes illis regias semirutas in suburbijs assignauit. Pedem efferre tamen vetuit vrbemque ingredi Mandarinorum iniussu. Ad plures hic dies perstitere, falsa spe inescati: mirabantur tamen copiam sibi non fieri vel exstruendi monasterij, aut vrbis introeundæ, ad promouenda ea quæ sibi concessa credebant. Tandem vero interpretis versutiam perspexere, qui propositum illorum numquam plane Mandarinis aperuit; magno sane illorum mœrore. hunc vt errorem emendarent, quæsiere virum, qui ex fide præfecto voluntatem illorum patefaceret: at nemo rem fuit ausus aggredi.

Agnoscunt fraudē interpretis sui.

Viso itaque tempus præstitutum elabi, quid agendum foret, inter se deliberarunt. Sed opinionum hic mira fuit varietas. P. Alfario namque atque alij religioso consultius videbatur Macaum, Lusitanorum vrbem, quæ nonnisi viginti Cantone distat leucis, concedere; hic commode Sinensem se sermonem posse addiscere, & commodam eôdem redeundi occasionem, ad Euangelium promulgandum præstolari. Militibus visum fuit, ad Philippinas, vnde præfecti iniussu soluerant, reuerti. metuebant quippe supplicium, veniam tamen se facile impetraturos confidebant, si prima oportunitate eodem reuerterentur at si Macaum redirent, periculũ esse, ne proditorum ac perfidorum instar punirentur.

Alij duo religiosi militum opinioni accedebant, dum sibi persuadent, nondum Deo visum, aditum Euangelij promulgatoribus ad Sinas patefacere.

At quod inter se opiniones dissiderent, in alium diem rem distulere, quam interim precibus Deo commendarunt feruentius; vt quod diuinæ voluntati foret conformius, statuendum suggereret. Verum iterũ conuenientes, in sua quisque permansit sententia. Interim tamen dum nauigandi occasionem exspectant, vnus religiosorum Manillam redire cupientium, Cantone demoritur. Nam Mandarinis gradum adipisci volentium examini intentis, ac ludis, epulis, alijsq; ludicris tempus impendentibus (quibus quadraginta & quinque dies dedicarunt) opinato diutius subsistere coacti sunt. His tandem finitis, quisque quo volebat, regia impensa deductus est. Pater Alfarius cum socio Macaum, quo loco haud multo post suis, ex eleemosynis à Lusitanis collectis, monasterium construxit. Ceteri vero Manillam postridie Kal. Februarias, Anno M. D. LXXX. delati sunt. Hic duorum fuit itinerum exitus, quid dein contigerit, iam videamus.

Pars Macaum pars ad Philippinas rediit.

CAPVT XXII.

P. Michael Rogerius Soc. Iesu Macaum mittitur; cum Lusitanis Cantonem inuectus sedis figendæ à Mandarinis copiam obtinuit.

QVod ab anno sæculi superioris vndequinquagesimo, B. Xauerij aliorumq; Sociorũ ope vigilantiaq; Iaponia fidei lumen admisisset; vt, quæ illi felici auspicio inchoarant, non deficerent, sed indies magis ac magis crescerent, nouos interdum operarios in vi-

in vineam illam Christi mittere visum fuit. Quoniam vero Malacâ vel Goâ Iaponem petentes, aliquem sæpe Chinæ portum, ac præsertim Macaensem, ex quo Lusitani hîc commercia instituere cœpêre, subibant; non raro fiebat, vt priusquam commoda in Iaponem traijciendi daretur occasio, ad multos ibi hærerent menses, & ex ordinis præscripto, prædicationi verbi Dei, sacramentorum administrationi, & alijs pietatis exercitijs, ad spirituale animarum emolumentum spectantibus, gnauiter incumberent. Hanc ob causam Melchior Carnerius Nicenus Episcopus, à Pio V. Pontifice in Iaponem ad munus dignitatemq; exercendam (cum in Æthiopia, quo missus erat oleum & operam perderet) destinatus, opportunum nauigãdi tempus opperiens, in hoc portu substitit. At hinc in cœlestem requiem, post varios ob Dei obsequium toleratos labores, quos supra retulimus, euolauit. Lusitani ergo, illius post mortem, à patribus Societatis in rebus animæ iuuari dum volunt (vt in plerisq; Indiæ opidis fiebat) domum ijs ac templum, quamdiu hic agerent, exstruxêre. Hinc P. Alexander Valignanus, qui tum Indiæ Visitatorem agebat, tentandi occasionem cepit, num in Chinam aliquem Sociorum transmittere posset. Quamobrem Goa tres Macaum misit, qui sedem hic figerent, non vero, aliorum instar, inde breui emigrarent, vt & Lusitanis adessent, ac Sinensi sermoni gnauiter incumberent; quo, si forsan offerretur occasio, ad hanc prouinciã suscipiendam aptiores forent, incolarumque profectui & conuersioni mox vacarent. Hos tres interfuit P. Michael Rogerius Neapoli in

Macao transitus est in Iaponem.

Melchior Carnerius Episcopus moritur.

Italia oriundus; hic priusquam Societati nomen daret, iuris Doctor erat, & multis grauibusq; in rebus, etiam rep. regenda principi suo operam præstiterat. Rerum quippe valebat experientia, prudẽtia, ac singulari iudicio. Macaũ cum anno vnde octogesimo appulisset, linguæ Senensi addiscendæ totus incubuit; at quia ætate grauis esset, magnas eo in studio persensit molestias: verum quia sedulo totum se ei daret, illius plusquã mediocrem cognitionẽ nactus est. Vt vero Mandarinũ sermonem, qui vulgari habetur elegantior, & ab illo multũ distat, perciperet, quotannis Cantonẽ cum Lusitanis merces suas vendituris, ac trimestri quadrimestriq; hic agentib. spatio, se cõferebat. Antequã vero iter hoc susciperet, subita rerũ exorta turbatio, omnẽ Socijs Chinam adeundi, spẽ adimere perpetuo videbatur. Anno siquidẽ superiori cum quidã Sociorum cum Lusitanis Cantonẽ profectus, adolescenti Bonzio nonnulla fidei mysteria aperuisset; tãtum illi ardorem iniecit, vt vno post discessum sacerdotis mense, Macaum ipse vltro baptismi suscipiendi gratia venerit. Socij, perpensis quæ hinc sequi poterant incõmodis in Iaponẽ illum mittere decreuere, vt & melius & rectius edoceretur. Non abnuit adolescens; sufficienter ergo instructus Macaũ rediit, vbi Baptismo lustratus est. Hæc ad patrem delata, cum essent, Mandarinos adiens suum sibi raptum queritur filium, & vi adhibitâ ad Christiana illum sacra, à Lusitanis coactum. Omnes idcirco Lusitanorum merces, quæ Cantone continebantur, Magistratus occupant, quas distracturos se comminantur, ni adolescentẽ ilico suis restituant. Lusitani Macaũ rem per-

Adolescens Bonzius conuertitur.

Parentes illum repetunt.

perſcripſere, adoleſcentem remitti poſtulantes: at veriti Socij, ne neophytus parũ firmas fidei radices egiſſet, & ad ſupplicia illius cauſa ſubeunda, animus conſtantiaq́; deeſſet; adoleſcentem mittendũ diſſuadentes, Epiſcopo tradunt, vt de illo ꝓ animæ incolumitate ſtatueret. Loci præfectus Epiſcopum cum adijſſet, iuuenem repetiturus, audiuit, tuta illũ conſcientia reddi non poſſe, ne ꝙ animæ periculum adiret: neq; enim fas eſſe, ouem luporum faucib. obijcere; nam periculum eſſe, ne à fide, in qua nondum ſtabilitus foret, deſciſceret, à ſe vero Deum animæ illius rationem exacturum. Porro adoleſcens cognito, ſe omnium horum motuũ cauſam eſſe, vltro ſe ſtitit Epiſcopo Mandarinorũ minas ſe non morari aſſerens. ſperare vero, vires ſibi à Deo conſtantiamq́; datum iri, ad ſanctum illius nomen, etiam cum præſentiſsimo vitæ periculo, confitendum. Præſul adoleſcentis viſa conſtantia, redeundi facultatem dedit; verum itineris ſe comitem dixit futurum. Cantonem reuerſus, illico comprehenſus fuſtigatur, eo quod diximus modo, & ni Epiſcopum mature Luſitani ſubduxiſſent, idem ſuppliciũ ſubijſſet. Quatuor igitur ac viginti verbera neophytus pro fidei confeſsione nulla vultus immutatione, ſed magna animi conſtantia ſuſcepit; Mandarinos & omnes adſtantes in admirationem rapiens. Interim dum flagellatur, roſarij ſui crucem magna pietate exoſculatur, ſanctiſsimum Ieſu nomen ſæpius repetendo. Deinde iterũ carceri mancipatur: ſed fidem ſe admiſſam abiuraturũ negauit, quamuis præſentiſsimum vitæ periculũ adeundũ foret. Interim aliquoties octogena illi inflicta verbera;

Epiſcopus reddi recuſat.

Adoleſcens mortem ſubire paratus eſt.

Flagellatur ob fidei confeſſionẽ.

bera, sed animum infractum hæc labefactare, aut infringere non potuêre. Sæpius illum Episcopus, qui finem tragœdiæ spectaturus Cantone manserat, in carcere data oportunitate adijt, animumq́ue suggeſsit, vt pro Christi gloria cruciatus, & supplicia æquo animo sustineret. Tandem Mandarini, cum operam se ludere cernerent, perpetuo illum multârunt exilio. Sed parui supplicium hoc faciens, cum Macaensi redijt Episcopo exultans, quod ad Christi nomine tolerandum supplicium dignus inueniretur. Recreabat inuicta adolescentis constantia Lusitanos simul & patres, sed tristior ingruens procella lætitiam omnem diluit: Huius namque rei occasione, Cantonis præfectus, quem Aitanum nuncupant, vetuit, ne quis Patribus imposterum Cantonem aditus pateret, sed proscriberentur. Verum vt præfectus hic magistratu defunctus est, P. Rogerius cum Lusitanis anno sequenti Cantonem petijt; cumque Sinensis linguæ satis gnarus esset, re Deo ex animo commendatâ, aleam iacere, & vt sibi in vrbe diuersorium aſsignaretur, tentare decreuit. Nouo igitur præfecto libellum obtulit, in quo munus, sibi ratione sacerdotij impositum, Deo scilicet quotidiano sacrificio litare, in mari nauique subsistendo, commode se exequi non posse, proposuit, exposcere se proinde à Magistratu, vt in vrbe tamdiu agere, quamdiu Lusitani in portu commorarentur, concederetur. Petita æqua iudicauit Aitanus, & illi domum iuxta suburbia aſsignauit. Illic ille oratorium temporaneum, in eoque altare excitauit.

In Exilium pellitur.

Obtinet P. Rogerius domicilium Cantone.

Huius rei fama per vrbem sparsa, tantus hominum

minum ad nouum hunc Bonzium,(ita namq; tum Patrem nuncupabant,) illiusque oratorium spectandum, fieri concursus, vt locus non caperet, neue vnquam vacaret. Adfuêre inter hos etiam nonnulli minorum gentium Mandarini, maiorum namque accedere, initio verebantur. Beneuolum se affabilemq; omnibus Rogerius exhibere,& quotquot spectatum veniebant, omni obsequio delinire, itaque omnium gratiam conciliare, vt dum discedendi tempus instaret, non parum ciues tristarentur. Hinc cum anno sequenti reuersus, eadem à præfecto postulasset, ædes longe ampliores, quam ante nactus est. Suspicati vero sinistrâ nonnulli, visâ Aitani in Rogerium beneuolentiâ, muneribus illum à Lusitanis vel Rogerio corruptum, prædecessoris sui decreta infringere, passim calumniabantur. Hæc cum ad Aitani aures peruenissent, Patrem ad se vocatum rogauit, num patriam scripturam legeret. Annuit ille. Tum in charta exarauit, quæ Rogerium coram omnibus legi volebat. Hæc autem scripsit; quoniam veri se Dei seruum diceret, non dubitare, quin libere & intrepide, nullo pudore aut metu præpeditus, rei sit veritatem patefacturus: orare se proinde, vt coram omnibus declararet, num ad facultatem qua fruebatur impetrandam aliquod, vel ipse, vel Lusitani munus dedissent, pernegauit rem Rogerius, commentumque merum, & ab omni veritate alienum esse, coram omnibus asseruit, non se vel Lusitanos aliquod præfecto huius fauoris gratiâ munus obtulisse. Placuit Aitano amplum de innocentia sua, Rogerij testimonium; vnde paulo post ipse vna cum Conchifuio,

Præfectus suspicionem accepti muneris incurrit.

Illius integritatem Rogerius testatur.

furio, qui ſecundus à præfecto Mandarinus eſt, & iuſtitiæ adminiſtrandæ præeſt, comitantibus dignitatis aſſeclis Rogerij domum, oratoriumque adiere. Placuere omnia, & ad maiorem beneuolentiam exhibendam inuitarunt. Vt cognitũ in ciuitate Aitanũ & Conchifuium Patrem adijſſe, illiuſq; oratorium coram ſpectaſſe (res ſane inſolita) à pluribus frequentari cœpit Mandarinis, qui illius ſe amicitia colloquioque gaudere demonſtrabant. Ipſe vero Rogerius tam comem & affabilem omnibus ſe præbuit, itaque ſermone ad rem & perſonam adaptato paruos ſimul & magnos deliniuit, vt illius indies magis magiſque amicitia caperentur, ac maiore beneuolentia & affectu virum alienigenam proſequerentur.

Ab aliis Mandarinis maioribus inuiſitur.

CAPVT XXIII.

P. Alphonſus Sanchius è Philippinis in Chinam contendit, illius aduentu plena P. Rogerio, & intrandi & exeundi, quoties videretur, ſit poteſtas.

EAdem qua P. Rogerius Cantone cum Luſitanis agebat tempeſtate, Manilla appulit Alphonſus Sanchius eiuſdem ſocietatis ſacerdos: maximi namq; momenti negotium (quo de ad finem capitis agetur) Præfectus & Epiſcopus Philippinus illi commiſerant. Ne vero vt explorator à Chinenſibus præſidiarijs comprehenderetur, præfectum, Hiſpanum natione, Gonſaluum Ronquillam de Penanboza, rogauit; litteras ſibi ad Cantonenſem Aitanum daret; quibus & luculentum ſui teſtimonium daret, peteretq;, ne quod ſibi impedimentum afferret, ſed vt legatum ſuſciperet Si-

nenſi

nensi sermone litteræ à duce quodam Sinensi, qui tum in Philippinis insulis agebat, cõscriptę sunt. Decimaquarta ergo Martij, anno M. D. LXXXII. Manilla profectus, post fœdæ tempestatis discrimina, tandem sexta Aprilis, in Chinæ conspectũ venit. Hispanũ vt comparuit nauigium, omnes mox naues in fugam se dedêre; mirantib. Hispanis, cum aliæ numero superarent. Iter suum prosecuti, & oram legentes, ad angustum tandem sinum delabuntur. Plurimę hic item stabant Sinensium naues, sed omnes, vti priores, fuga se subduxêre, neu pri⁹ à nauigando cessauêre, q̃ ingentis cuiusdam fluminis ostia, quib. portus imminet, subijssent. Hispani repentinæ fugæ causam mirati insequuntur, vt coram discerent, vbinã locorum versarentur, & qua via Macaum cursus foret; Verum prius attingere non potuere, quã simul portum illũ, qui semi patebat leuca, subirent. Mille quingẽtas hic viderunt naues, in his sexcentas maiores, quæ oram velut præsidium tuebantur, atq; hęc erat causa, cur quas viderant ante naues tã subito se subducerent, vt de Hispanensi nauigio classem certiorem redderent. Quæ vt externam hanc nauem portũ inuehi vidit, tympanorum campanarumq́;, quas naui continẽt, strepitum excitat. In portus faucib. stabat nauis communibus Hispanorum nauibus maior, hæc tormenti globo nauigium petijt, sed sine vllo prorsus damno ille præteruolans omnib. metum incussit. Vela illico contraxêre, & recta ad nauem cursum direxêre, obsequium illi delaturi; nam prætoriam existimabant. Interim rursus tormentum disploditur, quo sistere cursum iubebant, & vlterius progredi vetabant.

P. Alphonsus Sanchius Chinam adit.

In Classem Chinensiũ incidit.

Parue-

Paruêre mox Hispani: tum classiarij nonnulli è Chinensi naui, nudatis gladijs in cymbam insilientes, Hispanum petiere nauigium. Accedere tamen propius non sunt ausi, licet P. Alphonsus signis nutibusque eos inuitaret; sed viginti distabant passibus. Cumq; adhuc sibi metuerent, se cum socio, vt in cymbam admitterent, rogauit. Quo facto cæteræ mox naues Hispanos cinxere. accessit tandem vasta quædam nauis, cui cæteræ aliquod honoris signum exhibuere; nam Archithalassum, quem patria lingua *Supi* nuncupant, vehebat. Propius accedens Sanchius litteras illi præfecti Philippinarum tradidit, quarum hæc forma: Duces, Præsidiarijque Sinenses, si quis vestrum in Sacerdotem hunc incidat, sine vllo maleficio indemnem sinat. nam à summo insulæ Lussonensis Mandarino legatus est ad Aitanum Cantonensem. Est namque diuinæ legis promulgator, & quotquot socios habet, honestate commendantur: nulla ferunt arma, nec vllius maleficij patrandi ergo ad vos veniunt. Hisce litteris, quas lingua patria *Chapam* (id est, patentes) nuncupant, ab Archithalasso perlectis, alias quas ad Cantonensem Aitanum perferebat, petijt. Tradere se posse negauit Sanchius, quod Lussonensis Mandarinus in Cantonensis tradi manus illas mandasset. Placuit Supio responsum, & mox nauem nigro extinsecus tinctam vernice, aureisque hinc inde picturis variegatam conscendit. Duces aliquot, interea dum Supius Mandarinatus sumit insignia, cum patre Alphonso loquuntur, ac paulo post in prætoriam illum deduxere. Porro tametsi naues hæ vastæ, magis ad splendorem, quam robur

Archithalasso litteras suas exhibet.

bur

bur compositæ sunt: intrinsecus namque elegantia, capaciaque habent atria, & vnum duci destinatum. Ductus in prætoriam Alphonsus ad Supium in sella considentem, & toga rubea eaque serica, antrorsum leonibus opere Phrygio exornata indutum. Ante sellam mensa erat serico panno, vndiquaque fimbriato instrata. Duces ac milites atrium ingredientes, in genua procumbebant, quos Alphonsus est imitatus. Supius censoria quadam grauitate, varia sciscitatus, tandem magna illum humanitate ab se dimisit. Quem ductores stipatoresque non prius deserebant, quam nauigium subijsset. *Loquitur Archithalasso in ipsius naui.*

Vix effluxerat hora, quin tres duces, quidquid nauigio aduectum erat, describerent, ne minima quidem recula prætерita. Mouit hoc Alphonsum sociosque, cur hæc fierent ignaros. Verum vbi rei huiusce causam cognouêre, metum excussere. Solent namque Sinæ hanc descriptionem facere, ne quid aduenis furto surripiatur. In quo adeo religiosi sunt, vt etiam chartulas obsoletas lacerasque, etiam ligulas describere turpe non ducant, quem deinde indicem ad Mandarinum mittunt, qui cum aduenam agere oportet. Si quid surreptum aut amissum fuerit, in ducem à quo deducitur, grauiter animaduertitur. Indice ad Supium delato, iterum Alphonsus euocatur, à quo varijs de rebus interrogatus, benigne dimittitur, vtque diligens illius sociorumque haberetur ratio, mandatur. Idcirco bini per varias disperguntur naues. *Consuetudo laudabilis Sinarum.*

Mirabantur rem insolitam Hispani, credebantque se hoc pacto velut captiuos constitui.

tui. Sed longe ſecus ſe res habebat. fiebat namque, vt diligentiorem illorum rationem duces haberent; vti etiam habuere. nam cœnâ lauta eos excepêre, ac nocte tota excubias egere. Excubiarum autem naualium hæc eſt ratio. In prætoria ingens campana eſt, in cæteris nauibus minores: vbi hæc pulſum dederit, cæteræ mox reſpondent; eodemque tempore tympana per ſingulas naues ſtrepunt. Si permultæ ſint naues, ingens ſane editur ſonus: ſingulis porro horis ſignum hoc repeti ſolet, vt vigilare illos conſtet. Inſomnem noctem cum traduxiſſet Alphonſus; vbi illuxiſſet, Supium adit de exhibito ſibi ſocijſque officio gratias acturus. quem Supius benignius quam pridie allocutus, multa per otium ſciſcitatus eſt, ac deinde comiter dimiſit. poſtridie, quæ dies erat palmarum ſacrarum officio venerabilis, ſingulę naues quatuor iam inde ab exortu diei, extulere apluſtria, aliaq́ue vexilla complura. tum claſsiarij exſcenſione facta, ante arcem vicinam è viuo ſtructam lapide inſignibus militaribus induti, (ſagulo ſcilicet flauo eoque ſerico) luſtrati ſunt, & quam ſcitiſsime bombardas diſploſere. In aduenarum forſan gratiam hoc luſtrum conditum, tum ad dignitatis ac muneris ſui amplitudinem, tum ad militum dexteritatẽ oſtendendam; forſan etiam quod dies is luſtro deſignatus eſſet. nam huiuſmodi luſtra, toto regno nouilunij tempore condi diximus. luſtro peracto, tres ad Alphonſum venêre duces, à Supio abeundi, concedi facultatem nuntiantes: verum priuſquam valediceret, quod anguſtum Hiſpanorum cerneret nauigium, quo laxius eſſent, tria alia ſuppeditauit.

Quomodo in naui agantur excubiæ.

Supius abeundi dat patri veniam.

uit. Illo igitur die nauem conſcendere,& ad ſequentem vſque veſperam nauigarunt. Tum conductor in terram eos iuſsit deſcendere, quod haud procul à littore horti forent iucundiſsimi,& ad amœnitatem concinnati. Iterum dein naue conſcenſa, ad vſque veſperam feriæ IV. hebdomadæ ſanctæ nauigantes, tandem portum ſubire capaciorem, munitioremq; eo vnde venerant. Altiſsimis namque circumſecus cingebatur montibus; hic maior etiam inſtructiorque ſtabat claſsis, quam prior; eodem tamen apparatu. Vt naues & nauigium Hiſpanienſe portum ſubijſſent, præſidiarij feſto bombardarum boatu aduenas excepere; qui mox in Mandarini cuiuſdam nauem deducti ſunt, à quo benigne habiti ac de varijs reb. interrogati, dein in terram iuſsi deſcendere. Erat in portus huius extremo opidum,& arx munitiſsima, in qua ſedem Chumpinus (id eſt, primarius totius regni Archithalaſſus, qui omnibus claſsibus præſidet) habebat; quod omnium is portuum foret commodiſsimus. Chincheanũ eſſe crediderim. Arx à littore, in quo diſcenderant, duobus tribuſq; diſtabat ſclopeti iactibus: vtramque ripam præſidiarij, telis,haſtis,ſclopetiſque inſtructi prætexebant, quæ prætergreſſo Alphonſo ſocijſque diſplodebant.

Chumpin. primarius Chinæ Archithalaſſus.

Deinde ad vſq; arcem perducuntur: primam poſtquam ſubijſſent aream, *Vpij*, id eſt, lictores publici, ingentem & horrendum ſuſtulêre clamorem: mos ſiquidem obtinet, vt, externo cum maioribus Mandarinis agente, tam intenſe vociferentur. Duplex hic armatorum ſtabat series, in ſecunda item area; ſed

hi prioribus erant instructiores: in tertia vero duplex ordo Mandarinorum militarium, ducum, ac centurionum, gladijs instructorum & galeis communitorum. accedebant & alia dignitatis insignia. Septuaginta Chumpinus inde distabat passibus, velut in oratorio, quatuor fulto columnis, nigro Charano inductis. à tertiæ areę vestibulo ad vsq; oratorium ingens interiacebat atrium, quod vtrimq; porticus exornabat, in qua sedilia constituta, velut iudicum subsellia. Nemo per medium illius transibat præter Chumpinum, cæteri per latera egrediebantur & ingrediebantur.

Alphonsus Chumpinum alloquitur.

Hoc in atrium cum Alphonsus & Socij peruenissent, duces militares, à quibus deducebantur, in genua procubuere, & capite solum ferientes, dixêre, aduenas Chumpinum conuenire velle. Quos ille iussit accedere, sed cum vicenis quindenisque abessent passibus, in genua item procidere iussi sunt. Interuenit deinde interpres, qui Hispani sermonis vix peritus, quid Alphonsus socijque vellent, haud intelligeret, nec vicissim ab illis intelligeretur. Offendit Chumpinum hominis ineptia, ingentique clamore sublato, mensam ante se positam manu percussit. Duces militesq;, qui haud procul aberant, accurrentes, in genua prouoluti, inclinatoq; capite, quid vellet, postulabāt, sed paucis allocuti ad stationem redibant. Vocatus dein alius interpres, Philippinis oriundus, quem secū Alphonsus duxerat, & Sinensis linguæ vtcunque peritus erat. Verum quod petita vix intelligeret, in reddendis ijs errabat. Quo viso ab interprete accedens petit Alphonsus, quid interrogaretur. Chumpinus, dum il-

los inter se musſitantes, loquenteſque videt, malum cœpit ſuſpicari, ſublataq; voce iterum manu menſam percuſsit. Tum quotquot in area verſabantur nudato ferro aduolarunt, Alphonſum vna cum interprete extra atriū trahentes. Intellexit ilico Alphonſus, ſiniſtram Chumpini opinionem, quam vt animo euelleret arcæ, qua litteræ patentes continebantur, claues protulit, quæ, qui qualeſue forent, patefacerent. Allatas litteras Chumpinus cum perlegiſſet, meliorem mentem induit, perq; priorem interpretem denuntiat, nihil de illis ſiniſtri ſe cogitare, probitatis illorum ſufficiens iam teſtimonium habere, & craſtina illos die Cantonem dimiſſurum. *Mala de illo concipitur opinio ſed purgat ſe.*

Nox erat, antequam arce diſcederent, tum per varias diſperſi naues eodem excepti ſunt modo, quo apud Supium. Cum illuxiſſet, litteræ Chumpini allatæ, ac data abeundi facultas, quando alluberet; perque nuntium de viatico illis ſe proſpecturum indicauit, oriza videlicet, ſuilla recenti, & artocreis ac malis aureis. Mandauit inſuper, vt tres illis ad comitatum tribuerentur naues, quæ Cantonem vſq; deducerent. *Cantonem abijt.*

Secundo Paſchatis die mane, nauem conſcenderunt, cumq; iuxta Ancheum exſcendiſſent, à Mandarino quodā per terram iter poſtridie faciendi copiam impetrarūt. Hoc in portu hæſere nauarch⁹ & nauicularij, quos Chumpinus dederat, ſimul & illi qui Manilla Alphonſum deduxerant; tres duntaxat ſuorum ac Mandarinum militarem cum aliquot militibus, qui in comitatum deſignati erant, ſecum ſumpſit Alphonſus. Hiſce comitantib. per flu-

men nauigationem instituit, in qua quindecim diebus, & quatuor alijs terrestri itinere impensis, ad aliud flumen, quod à sale nomen habet, peruenit.

Aliquot dies cum hoc in flumine egissent, ad vrbem tandem appulit, quæ diei ac medij itinere à Cantone distat. Hic nouæ exortæ difficultates. At Mandarinus cognito à conductoribus, quales aduenæ forent, & vnde venissent, humane habitus, quamprimum ab se dimisit, additis comitibus, qui Cantonem vsq; deducerent. Aitanum (quæ prima à prorege dignitas est) hic se reperturos dum sperant, in via cognouere, Tanqueni illum versari (erat vrbs hæc in itinere sita; atque hic remi & gubernacula nauium, dum quiescunt, asseruantur, & noua fabricantur.) Mandarinus, qui Alphonsum deducebat, præibat, & Aitanum de aduenarum aduentu certiorem redderet.

Tanquenum vrbs vbi Aitanum reperit.

Oblectabat se hic, tum in flumine vrbem præterlabente, naui quales Mandarinorum vsibus cedere supra diximus, vectus; festo tibiarum buccinarumque strepitu resonante. Alphonsus ad illud nauigij latus, quo Aitanum agere credebat (neque enim videbatur; nam cortina serica visum impediebat, singula tamen ipse facile despicere poterat) more patriæ in genua procumbens, loqui cœpit. Reduxit cortinam Aitanus, qui in elegantissimo cubiculo sellæ insidebat, purpurea indutus toga.

Litteræ præfecti Philippinarum cum perlegisset, patrem Alphonsum magna à se beneuolentia dimisit. Interim suum in flumine iter pro-

profecutus, cum in vrbem redijſſet, patri literas ad Conchifuium Cantonenſem (eſt hic velut iudex primarius, ac totius prouinciæ præſes) dedit, aliumq; illi Mandarinum, qui comitaretur, aſsignauit.

Poſtridie ergo Tanqueno ſoluit, & poſtridie Kalendas Maij Cantonem peruenit, flumine quod vrbem alluit, vectus. Mandarinus ductor, hoc in flumine commorari Luſitanos nonnullos ait, in ſuburbijs vero ſacerdotem, ad quem, ſi quod honorarium daret, ſe ducturum ſpopondit, à Luſitanis illi ſatisfactum iri reſpondit Alphonſus, neque enim pecunias ſibi abundare. Promiſsis ſe fidere Mandarinus oſtendit, & ad Luſitanorum illum nauis perduxit. qui viſis Europæis, cymbâ egreſsi, illorum ſunt aduentum gratulati, inter quos erat P. Michael Rogerius, qui tum forte ad Luſitanos diuerterat. *Cantonem peruenit.*

In mutuos vterque ruit amplexus, & alter alterius fuit aſpectu mirifice recreatus. Mandarinus vero, qui Patrem Alphonſum deducebat, optatum colloquium abrumpens, vt ad Conchifuium pergeret, incidit; ita vt diutius inter ſe agere non potuerint: ignorabat ſiquidem Rogerius, capti ne eſſent, nec ne: omnes tamen ad vſque Conchifui ædes comitati ſunt, verum intrare prohibiti. nemo namque ingreditur, niſi vocatus. Alphonſo ſocijſque ingreſsis omnes mox occluduntur ianuæ, dein ſeſqui hoc effluxit tempus, antequam intro vocarentur. *In P. Rogerium incidit.*

Ita namque Mandarini præſertim cum aduenis, ad auctoritatem dignitatēq; oſtentandā

 agere

Conchifuiũ Cantonensem alloquitur. agere solent. Admissus ad Conchifuium Alphonsus sellæ insidentem, reuerentiam & honorem exhibuit, quem ille vicissim læto excepit vultu. erat enim humanus & affabilis, quamuis adolescens, atque hoc nomine passim apud Lusitanos bene audiebat. Cumque iam Alphonso litteras daturus esset, nuntius adfertur, Chapenum, id est, Visitatorem ac Censorem prouinciæ, adesse.

Moris autem est, vt illis venientibus Mandarini omnes officij gratia occurrant, ac triduo portæ vrbis occludantur. Cognito ergo Visitatorem adesse, Alphonsum sociosque à se dimissos, alterius Mandarini curæ committit: à quo in ædes P. Rogerij deducti sunt, qui de Alphonso inprimis sollicitus erat. Verum vbi ad se illum venientem vidit, incredibile fuit gaudio perfusus; vti & Alphonsus, dum angusto hoc in loco Socium reperit. Aperuit interim Rogerio itineris sui causam, ac quæ Lusitanis Macaensibus denuntianda in mandatis habebat: vt scilicet persuaderet, vt Philippo secundo Hispaniarum regi (Cardinali Henrico, qui Sebastiano successerat, iam defuncto) obedientiam, velut Lusitaniæ regi, præstarent, cuius rei litteras testimoniaque amplissima ostendebat. Horum vero nihil Lusitani, qui Cantone versabantur, & Sinenses intellexere: verum ad visitandos Socios Macaenses Alphonsum venisse arbitrabantur.

Triduo exacto reserantur vrbis portæ, ac tum à Conchifuio ipse & socij euocantur, qui quales forent, & quam ob rem aduenissent, exposcit. Interea vero dum petitorum rationem redderent, subito accessit Mandarinus

Mandarinus qui alio in loco illos examinarat, illorumque litteras perlegerat: nullam hic difficultatem ac periculum subesse libere confessus est, ac planum de Alphonsi Sociorumque innocentia & integritate testimonium dedit. quocirca hunc in modum litteras expediunt: Patres hi Macaum proficiscuntur ad Socios, qui eamdem profitentur regulam, inuisendos; arma non gerunt, nemini iniuriam irrogant; quocirca liberum illis iter indulgeo. hoc solo plectendi nomine, quod Aitano litteras per breues attulerint, petita sua supplici libello nõ exposuerint, & illius hoc pacto dignitatem visi sint violasse. Verum quod aduenæ, & patrias leges ignorant, veniam delicti concedimus. Eamdem post sententiam Aitanus confirmauit. verum quod à Tutano siue prorege confirmari eamdem oporteret, Xauquinum mox eadem transmissa. Hæsit interim Cantone Alphonsus, donec Macaum discedendi Xauquino facultas appulisset. At quod ilico litterę non mitterentur, nouus exortus turbo negotium omne propemodum inuertit, hoc quo sequitur modo.

A Conchifuio sententiam petitam obtinent.

Tutanus, ad quem Conchifuij sententia transmissa erat vt signaretur, & iam nuper dignitatem adierat, eodem tempore à Lusitanis quæritabat, quo iure auctoritateve Macaense emporium occuparent. Affertur interim sententia Conchifuij; aderat tum Chinensis, qui Lusitanorum Cantone agentium agere solebat interpretem, euocatur à Tutano, vt hac de re inquisitionem faceret. Petebat Prorex, quales essent qui Macaum iam pergerent: tum interpres, quod aliter quam oporteret de re

comperisset, vel quod Hispanos odisset; esse ait, Castillas quosdam prædones, latrones, & exploratores, quos Chinensium oram exploratum venisse vulgo ferebatur: aliaq; in illos crimina depromebat Tutanus, qua erat prudentia, Mandarinum ad præfectum Macaensem destinat, vt quamprimum se sisteret, sui omniumq; Lusitanorum causam acturus. Perculit Macaenses rei huiusce nuntius, inito q; consilio statutum est, præfectum non mittere, sed alios eius loco, Auditorem nempe, ac Iudicem cum P. Rogerio qui Cantone tum agebat. Hi ergo Xauquinum ad Tutanum (qui superbe admodum & arroganter illos militum præsidio cinctus excepit) cum peruenissent, acriter correpti sunt, quod Tutanorum iniussu, hoc in emporio sedem fixissent, domos & templa erexissent. Quem viri furorem Rogerius & Iudex modesto responso fregerunt; Lusitanos sc. Macaenses hactenus fidum Sinarum Regi obsequium & præstitisse & præstare etiamnum paratos, illiusq; se excellentiam vt dominum ac tutorem agnoscere; orare se proinde, sua vt auctoritate ac beneuolentia misellos tueretur. Studio modestiam hanc ac submissionem induit Rogerius; norat namque Mandarinos gloriæ percupidos per magni facere, si quis subditum se illorum fateatur, illorumque potestatem & auctoritatem agnoscat. Hinc, priusquam Xauquinum se conferret, cum Macaensi egerat Iudice, quid respondere & quo in difficili hoc negotio procedere oporteret modo.

Prorex præfectum Macaensem euocat.

P. Rogerius & Iudex Macaensis Tutanum adeunt.

Quod prudenter admodum excogitauit, & felicius successit. Tutanus namque humili hoc

hoc responso, ita de repente mutatus fuit, vt illorum rebus fauere, causamque agere ab eo tum tempore cœperit; vti suo videbitur loco: ac Lusitanorum se parentem ac protectorem futurum spoponderit; & vtrique insignem ostenderit beneuolentiam. Nam litteras P. Rogerio dedit, quibus illi Chinam intrandi exeundique dum iuberet, facultatem concessit, nullus vt impedire aut contradicere auderet. *Molli responso illius molliunt animum.* *Magnis donantur ab eo priuilegiis.*

Quod hactenus toties, sed frustra, magnisque laboribus, petitum erat. Dedit insuper copiam, vt Cantone publice domum sibi compararet, in qua oratorium omnibus adire volentibus excitaret; denique Xauquinum se conferendi, ad Tutanum quoties alluberet, conueniendum. Rogerius visâ Tutani liberalitate ac munificâ propensione, actis illi ingentibus ob tanta beneficia gratijs, ab illo insuper conceptâ fiduciâ, petere præsumpsit, vt Castillis Cantone agentibus Macaum transeundi copiam faceret. *Alphonso libera abeundi datur facultas.*

Tum Prorex, si vadimonium pro illis, & alijs qui Anchei cum nauigio remanserant, præstare voluerit, nullum vt inde secuturum sit damnum aut detrimentum, haud illam grauate se facturum. Paratissimum vero ad hoc cum se Rogerius ostendisset; Alphonso ceterisque Hispanis libera Macaum pergendi potestatem dedit, Conchifuij decretum signando. Rogerius ergo & Iudex Cantonem reuersi Conchifuio Tutani litteras pro Alphonso socijsque cum attulissent; illius animum maleuolis nonnullorum crimi-

criminationibus adeo exulceratum offenderunt, vt abeundi veniam prorsus denegaret; donec in genua procumbens Rogerius palam asseruisset, sui Ordinis esse religiosos qui huc illucque diuinæ legis docendæ gratia orbem peragrarent. Quibus ille sermonibus delinitus, Tutani litteras tandem obsignauit. hoc enim ni factum fuisset, frustra fuissent cetera. Omnes igitur VI. post Dominicam SS. Trinitatis feria Cantone soluentes, ad finem Maij, anno M.D. LXXXII. Macaum peruenere. Hic P. Alexandrum Valignanum, qui Societatis Iesu in India etiam tum Visitatorem agebat, reperere: cui P. Sanchius omnem itineris sui causam per litteras significarat; sua vt prudentia Lusitanorum animos ita præpararet, vt quæ in mandatis habebat quodammodo præciperent ac præcoquerent. Valignanus ergo paulatim ijs proposuit, fieri forsan posse, vt Lusitaniæ corona in Castellanam coalesceret. Acerbum hoc & crudum Lusitanis videbatur, ac penitus perdifficile: at paulatim Deo directore motoreque vnionem hanc fieri posse sibi persuaserunt. Appellit interim Sanchius, qui primoribus rei seriem patefecit, præstito prius iuramento, nemini vt quidquam horum declararent, donec omnibus simul manifestaretur. Ceterum viso diuinæ hos se voluntati rerum momenta nutu suo libranti ac moderanti attemperare, sub vesperam omnes in collegium Societatis conuocauit; intererat hic item Macaensis Antistes, P. Valignanus, & nonnulli Sociorum, simul & dux ciuitatis primarius cum quatuor Consulibus, ac senioribusque potentioribusque ciuium. Tum Sanchius omnibus hic in vnum collectis palam, decla-

Omnes Macaum veniunt.

Agunt de negotio ob quod P. Sanchius venerat.

declarat, Lusitanicum & Castellanum imperiū in Philippo secundo Hispaniarum rege coaluisse, paucis quæ in vnione hac contigissent, nullâ bellorum mentione factâ, perstringens. Protulit adhæc litteras, è quibus constabat, primarios Lusitanicæ nobilitatis viros in Philippi regis nomen, iuramentum præstitisse: cui optimo iure, iuxta doctissimorum Iurisconsultorum & celeberrimarum totius Europæ vniuersitatum sententiam, Lusitaniæ sceptrum debebatur. Deprompsit insuper rationes aliquot, quibus vnionis huius ęquitatem & emolumentum probauit: vt nemo non diuinæ circa hoc dispositioni acquiesceret, & nouis etiam rationibus vnionis huius commoda celebrarit, qua tam potentem Monarcham in regem nacti sunt; adeo vt omnes obsequium illis obedientiamq; iuramento spoponderint. Quo facto, prima festi quod instabat solennitate Valignanus ad populum verba habens, quid decretum illa vespera esset, publice aperuit, rationesq; produxit, quibus vnionem hanc vniuerso auditorio velut vtilē persuaderet. Idipsum & alio in cœtu fecit Collegij Rector, & tandem etiam P. Sanchius; vt ciues omnes Regi suo obedientiam iurarint. Porro de tota rei seriepetitis litteris, Sanchius ad Philippinas rediit. Illius autem iter hic inserere volui, tum quod multas Chinensium consuetudines & mores contineat, tum quod illius occasione ea quam diximus P. Rogerio data sit facultas; quę Sociorum in China ingressus & sedis initium fuit: qui firmiores paulatim hic radices egere, vt è sequentibus fiet manifestius.

Lusitani Macaenses obedientiā iurant Regi Philippo.

CAPVT

CAPVT XXIV.

P. Rogerius sibi aliisque Socijs Xauquini domicilium figendi à Tutano facultatem obtinet; hinc ad tempus demissi, reuocantur.

ROgerius & Iudex Macaum cum reuertissent, & primarius ciuitatis dux ac ciues Tutani beneuolētiam & officia exhibita comperissent; placuit per Iudicem donum aliquod totius reip. nomine Tutano deferri, & Rogerium socium illi adiungere, cum tam eximium erga illum affectum declarasset. Verum quod Rogerius, dum itineri se accingit, in grauem incideret morbum, comitari nequiuit, adeo vt solus Iudex in viam se dederit. Rogerius tamen Tutani beneuolentiam & amorem fouere gestiens, per Iudicem illi perspicilia vitrea, quæ Sinenses permagni faciunt, misit, mox vt meliuscule habere inciperet, Chinam se aditurum spondens, & horologium, quod illi seruarat, secum allaturum.

Lusitani Macaensis Tutano dona mittunt.

P. Rogerius perspicilia mittit.

Tutanus ergo è Iudice cum de Rogerij inualetudine didicisset, indoluit; gauisus tamen quod sui memor. Quocirca Iudici indixit, vt, dum ad suos reuerteretur, suo nomine Rogerio salutem precaretur, & diceret, vt cum per valetudinem liceret, ilico Xauquinum ad se excurreret. At quod post Iudicis discessum, Rogerium longiorem moram trahere videret, Valignano scripsit, vt Rogerium, mox vt sanitati restitutus esset, in Chinam venire sineret; incredibili se namque illius videndi desiderio teneri. Huic epistolæ patentes inclusit, quarum testimonio Rogerius libere in Chinam traijceret, & cum vellet Macaum reuerteretur, nullus vt obstaculo foret; argenteæ hæ erant

Tutanus Rogerium ad se euocat.

rant inſcriptæ laminæ, duorum palmorum longitudine, vmbonis in morem efformatæ. Litteris his Macaum perlatis, oblatam hanc cœlitus occaſionem, quæ Miſsioni Chinenſi auſpicium daret, negligere viſum non fuit. Decretum igitur, vt Rogerius confeſtim ſe in viā daret: cum itaq; ad iter neceſſaria comparat, Chinenſis Macaum nauis appulit à Tutano ad Rogerium tranſuehendum miſſa. Decimo octauo igitur Decembris die anno ſæculi ſuperioris octogeſimo ſecundo hanc conſcendit, vna cum Franciſco Paſio eiuſdem Societatis ſacerdote, & alio quodam, qui nondum ſacris erat ordinibus initiatus, & adoleſcentibus aliquot Sinenſibus, ac pridie natalium Chriſti mane Cantonem appulit. Hic toto egerunt die, quin & ſequenti, quo maiori pietate Natiuitatis Dominicæ ſolennia celebrarent, ac triplex pro more Eccleſiæ ſacrificiū offerrent, quo Deum pro felici itineris ſucceſſu rogarunt. Triduo poſt Xauquinū perueniunt; ac mox exſcēſione facta Tutani Secretariū adeunt; qui Rogerij fuit aduentu mirifice recreatus. Petebat hic, cur duos ſe cum ſocios duceret, cū ſolus ipſe à Tutano euocatus eſſet. Tum Rogerius, ſe ex ordinis religioſi inſtituto, nonniſi neceſsitate maxima exigente, numquam niſi binum egredi conſueuiſſe; ideoq; duos ordinis ſui viros adduxiſſe, quorum vnus comitaretur, cum ad Tutanum aut alio ſe conferret; alter vero domi interim ageret, & in incidentes occaſiones excubaret. Satisfecit hoc reſponſo Secretario, à quo poſtridie ipſe cum Socijs ad Tutanum, qui tum in prætorij ſui, vbi ius dicere ſolebat area verſabatur, deductus eſt. Acceſſere mox Patres

P. Rogerius cum ſocijs Xauquinū venit.

Tutanum adijt vna P. Paſio.

Patres reuerentiam genu curuato exhibituri, vt patriæ fert consuetudo. Sed quamprimum iussos surgere, propius accedere voluit. Dein magna familiaritate de P. Rogerij sciscitatus est valetudine; vultus namque pallidulus nondum plane confirmatas arguebat vires. Addidit mox Lusitanorum se amicum esse, & Aitano ac Mandarinis imperasse, vt in omnibus illis quam libentissime auxilium opemq; præstarent.

Egere gratias Patres ob singularem hunc aliosque beneuolentiæ affectus, & valedicto benigne admodum ab eo dimissi sunt: adiere deinde Secretarium qui officijs etiam cum Tutano certabat, & indies maiorem animi propensionem ostendebat. Huic aperuere, se dum in flumine commorantur, munus Sacerdotij sui commode exequi non posse; quotidianum sc. Deo cœli sacrificium offerre, vti Macai consueuerant. Adhæc attulisse se Tutano horologium quod in terra adaptari oporteat; rogare se proinde vt apud Tutanum agerent, domiciliũ sibi vt assignaretur, in quod se reciperent. Dictum factũ; & ædes illis datę; in quibus erecto oratorio Kalendis Ianuarij anno M.D.LXXXIII. sacrum celebrarunt. Eodem ipso die munusculũ à Tutano transmissum, farina sc. & oriza, & sulla recẽs, binę gallinę & anates; & à Secretario cõdimenta nonnulla & electuaria: postea quoq; cõuiuio adhibiti. Interim, horologiũ adaptát, & adaptatũ post dies aliquot Secretarij operâ Tutano obtulere. Miratus artem & industriam Tutanus serico panno vel pecunia ipsum soluere voluit. at recusarunt Patres in grati animi signũ & beneficiorũ collatorũ gratiam hoc se debe-

Domiciliũ petit.

Obtinet, in quo ædiculam parat.

Offert horologium Tutano.

debere afferentes. Petere se dumtaxat, illius vt bona cum venia domus, quamuis exigua, tuta daretur; quo Sinarum instituta moresque discerent melius, & Europæos Sinensibus vicissim ostenderent. Per libellum hoc à se flagitarent, respondit Tutanus, & illorum se petitionem concessurum. Libellum ergo descriptum Secretario ea quam præstituerat hora, obtulere; cuius hæc erat forma: Se, quod ex instituto diuinum cultum, & variarum scientiarum cognitionem sectarentur; comperto in patria, Sinas ingenio valere, ac præclara instituta, moresque in rempublicam induxisse; habere insuper libros, qui scientiam edocerent, monitaque præclara ad bene viuendum continerent; horum omnium simul & aliarum regni proprietatum cognoscendarum causa, patria deserta, Sinas adire, ac triennem nauigationem, variis maris expositos periculis, subire decreuisse. At quoniam Macai commode horum haberi notitia nequeat, quam humillime ab Excellentia illius deposcere, vt veniam in China inter ciues agendi concederet.

Libello perlecto Tutanus, dum Sinis honori non minimo fore putat, huiusmodi viros, qui relicto patrio solo, tam vastum emensi erant mare, inter illos sedem domiciliumq; habere, postulata haud inuitus concessit. Non parum huc momenti attulit, quod Philosophicis illos & Mathematicis disciplinis instructos inaudisset, quibus ipse summopere delectabatur: adhæc paci studere, nulli vel minimam irrogare iniuriam, sed singularem in moribus modestiam, honestatem, & benignitatem præferre. Quocirca commodiores illis ædes, quam priores dari voluit, & copiam fecit alios insu- *Facultatem obtinet in China commorandi.*

per duos sociorum, Xauquinum euocandi. Macao igitur P. Matthæus Riccius cum socio, qui sacerdos non erat, accitus. Vt quinque in vniuersum in China socii versarentur; quorum tres erãt sacris ordinibus initiati, Michael Rogerius, Franciscus Pasius, & Matthæus Riccius, qui olim Romani collegii fuerant alumni.

Cum Socius Chinæ declaratur incola.

Haud multo post cum indies maiorem Tutanus in eos beneuolentiam ostenderet, aliud illis diploma dedit; quo Chinæ eos esse declarauit incolas, & vt tales ab omnibus imposterum haberi voluit, quod publica præconis voce proclamari vicatim voluit. Nec hic illius stetit beneuolentia, sed illos visere insuper voluit; quod singularis fuit habitum amoris indicium. Proreges namque Sinenses parem forsan maiorem auctoritatem maiestatemque præferunt, quam reges Europæi, maiorique in prouincia afficiuntur honore, quam forsan rex supremus. Eo tamen se hic deiicere voluit, vt externos suis in ædibus adire turpe non duxerit: atque ita magnã omnibus mirandi occasionem dedit. Hoc vero venit apparatu. Toga serica indutus præcedebat, è cuius fimbriis aureã argenteãve dependebãt tintinnabula, deauratam capite coronã gestabat: Mandarini omnes qui tum in vrbe versabantur, honoris eum causa stipabãt, magistratus insignibus induti. Patres pridie huius rei certiores facti, ne officio partibusque suis deessent, à secretario petierant, num honoris causa illi obuiam procederent, aut quo se gererent modo. Domi manerent, suadebat Secretarius; hoc namque Tutano gratius fore. Postridie ergo

A Tutano visitantur.

cum vniuerso comitatu, ad vsque vestibulum anterius progressus affuit, descendenti è sella Mandarini omnes honorem exhibuere, velut

regi;

regi; tum illis comitantibus domum subiit. Salutatisq; quam officiosissime Patribus, ad aliquod tempus cum eis est collocutus. Domo omni perspecta, ad ædiculam tandem deductus est, quam illi exornarant, quantum per tempus inopiámq; licuerat. Cæteri Mandarinorum visa Tutani in Patres beneuolentia, eosdem etiã & suspicere, & frequentare cœperunt. Appulit Xauquinum iisdem diebus Chumpinus, id est, primarius rei nauticæ per Chinã præfectus, vt supradictum: de cuius aduentu certiores redditi Patres salutatum abiere; qua ille compellatione recreatus, insignem illis beneuolentiã ostendit, & aliquos illis fruct⁹ hortenses destinauit. Haud ita multo post quidã è Mandarinis maioribus loci, duob⁹ aliis Mandarinis, & Tutani secretario conuiuium instruxit, in horto, qui à Patrum diuersorio paruo distabat interuallo; quos etiã rogauit conuiuio interesse ne grauarētur. Morem gessere Patres, maxime vt Mandarinum hunc, qui è maioribus erat, sibi deuincirent; quo illius aliorumq; opera, Xauquini Euangelicæ ꝓmulgationi, cuius rei causa dumtaxat eo concesserant; breui daretur initium. Tametsi vero Mandarinus hic cæteris auctoritate præcelleret, eodem tamen Patres, quo cæteros, honore & officio excepit, easdem quoq; iis sellas collocauit; abeuntibus denique singulis flabellum aureum dedit. Gauisus hic nõ parum, quod incolas eos & ciues regni Tutanus declarasset; & omne, quod poterat obsequium opemq; illis se præstiturum spopondit, si qua in re sui indigerent. Alius quoq; Mandarinus è maioribus suum ad illos honoris causa misit filium paruulum, quem Patres omni officii genere prosecuti sunt. Quæ patri beneuolen-

Ad conuiuium à Mandarino inuitantur.

uolentia adeo non displicuit, vt memorem se futurum ac non ingratum denunciarit, reciprocum iis deferēdo honorem & obsequium, qui suis hęc ipsa detulissent. Quod & reipsa deinde ostendit, vt suo videbitur loco.

Quibus in rebus se Patres exercerent.

Studebant interim Patres, vt Mandarino sermoni, qui inter magnates in vsu, quoad possent, assuescerent, quo commodius faciliusq; cum iis agerent, à quibus omnis aliorum conuersio dependebat: quos vitæ honestate, ac modestia ædificare quàm maxime, nullo non loco conabantur; quemq; pro dignitatis gradu colendo, & ergà quoslibet affabiles & comes se exhibendo, quo quotidie magis magisque illorum beneuolentiam aucuparentur.

Composuit interim P. Rogerius Catechismum Sinensi idiomate, ac Vitas Sanctorum est interpretatus: credebat enim non mediocrem hinc rei Christianæ incrementum fore, quo illius sanctimoniam ac dignitatem Sinenses perspicerent. At cum iam fidem Christi publice Xauquini promulgaturi essent; ita repente mutata sunt omnia, vt Macaum ad tempus redire coacti sint. Atque hanc potissimum ob causam. Tutanus, à quo tot afficiebantur beneficiis, cum prouincia abire ac magistratu oporteret, consuluit, vt ante discessum suum, Macaum reuerterentur, & Xauquino ad menses aliquot recederent; hoc enim pacto fore vt firmius ibidem domicilium nancisceretur, vti reuera factum. Cuius rei hæc fuit causa. Solent Tutani, antequam magistratu defungantur, in annales referre quidquid imperii sui contigit tempore: hos porro successor diligentissime ante omnia euoluit, vt prouinciæ suæ negotia penitius perspecta habeat. Tutanus ergo

Cur Xauquino abire compulsi sint.

cum

cum sciret successorem offensum iri, si externos hosce Xauquini reperiret, & examinaturum accurate, quomodo & quamobrem regni essent membrum denominati; & hoc solo nomine, quod à prædecessore inducti essent, haud dubie loco pellendos; caute eos & astute, antequam ipse defungeretur, dimittendos censuit. Porro in Annales retulit, viros quosdam sanctimonia & prudentia illustres, & diuinarum, humanarumque rerum peritissimos, ex Occidente eam dumtaxat ob causam profectos, vt Sinensium leges & instituta perdiscerent; & hos se ad tempus quidem Xauquini tolerasse, verum ne in patrias leges, omnem aduenam proscribentes, peccaret, tandem dimissos. Tristes igitur ac mœsti Patres Macaum redeunt, locum, è quo rem Christianam mirifice se propagaturos arbitrabantur, deserere coacti. At diuturna haud fuit anxietas. Nouus namque Tutanus cum decessoris scripta de Patribus euoluisset, eorum videndorum loquendorumque exarsit desiderio: Subdebant etiam stimulos nonnulli è Mandarinis primoribus, qui superiori Tutano familiares exstiterãt; dum quæ scripta erant suo ipsi testimonio cõfirmabant, & noua etiam Patrum encomia proferebant, qui tum Macai agebant, ac nihil minus quam de reditu cogitabant. Missa interim Tutani auctoritate nauis Macaum, qua Mandarinus cum aliquot præsidiariis vehebatur: deferebat hic Tutani literas, quib9 illos quamprimum Xauquinum redire rogabat, atque inter cætera aiebat, quamuis decessor pro dignitate ac merito illos non habitos loco pepulisset, non esse quod metuerent. Velle namq; apud se illos habere, ac domum, templum & necessaria omnia quam *A nouo Tutano reuocantur.*

 liben-

ſibentiſsime ſuppeditaturũ. Inopinus hic nuntius incredibili Luſitanos Macaenſes & ſocios inprimis gaudio perfudit; nec mora, duo ex illis (Rogerius nempe ac Riccius) nauem conſcendunt, Xauquinum petituri. Magno illos honore Tutanus excepit, & domicilium iis & aream ad templum conſtruendum conceſsit; diplomate quoq; regio, in China commorandi & per vniuerſos regni fines eundi redeundiq; velut regni incolis & membris, poteſtatem fecit. Publice quoq; per ciuitatis vicos proclamari iuſsit, vt in poſterum, non vt aduenæ, ſed indigenæ, ab omnibus haberentur. Rebus ita ex animi ſententia cõſtitutis, vt benignior & Patrum amantior optari prorex non poſſe videretur; ſubito à rege euocatur, forſan vt ad altius dignitatis faſtigium eueheretur. Abibat enim, in Cantonẽ non rediturus. Illo decedente non minus metuebant Patres quàm ante, dum ignorant, an illius ſucceſſor Xauquini illos toleraret, vel loco pelleret. Erat hic Mandarinus, cæterorum facile princeps, & Conchifuium egerat, qui ſingulari in Patres ab eo tempore erat affectu & propenſione; quo in filium illius officium aliquod declararant; hic enim eſt, de quo pauló ante ſúmus locuti. Illo etiam potiſſimum inſtigante, Tutanus alter eos Macao reuocauerat; & apud tertiũ auctoritate ſua tantum valuit, vt non deliberarit, num Xauquini retineret, at ſua induſtria ac diligentia effecit, vt quàm à prioribus Tutanis obtinuerant facultatem, ſuo ſigillo cõfirmaret. Valebat enim hic auctoritate ac poteſtate; Conchifuiũ enim olim & Lancitanum iam agebat, qui dignitatum gradus inter cæteros præcellunt. Et ſane diuina prouidẽtia huiuſmodi Patribus virum miſiſſe

Xauquinũ redeunt, & magnus à Tutano officiis exornantur.

Mandarinus mirifice erga illos afficitur.

misisse videtur, eo præsertim tempore cum res illorum nutarent, qui & tueretur, & quæ ad vitam trahendam necessaria sunt, abunde conferret. Neque enim hic verbis dumtaxat illorum apud alios nomen deprædicabat, sed & munificus erat manu; quin & suo ære templum iis & domum, qua postea vsi sunt, construxit. Erat hæc in suburbiis flumini contermina, in loco arboribus vndequaque consito, quam imminentium hinc inde stagnorum prospectus iucundam reddebat. Cæmentitia erat è lateribus parata, & ad duplicem contignationem pertingebat. Templum vero in loco erat separato. Vestibulo imposita turris, quam porticus ambibat, è qua in vicinum flumen prospectus erat. Domui inscripsit Sinensi sermone, HIC SANCTI COMMORANTVR VIRI, QVI EX OCCIDENTE HVC VENERE. Templo verò: HIC VERA DEI CÆLORVM EDOCETVR FIDES. Quod vero constaret Lancitani iussu has inscriptiones exaratas, & hisce ædificiis palam ipse gloriaretur, quo singularem suum in Patres affectum conceptamque de ipsis opinionem testabatur; permulti ad illos Mandarini confluere, respicere, colere, & quibus in rebus poterant, opem ferre. Ipse etiam adeo cum illis agere familiariter, vt quo cum Tutano ac cęteris Mandarinis agendum esset modo exponeret; quo quiete ac nullius cum offensa sua exercere possent munia. Hoc Tutani & Lancitani exemplo permulti illos adire; atque inter reliquos Eruditus quidã, qui doctrinæ fama inclytus, iam ad tertium Paquini gradum ascẽderat. Is assiduo cum Patrib⁹ colloquio factus audacior, de fide animi voluptate agere & audire, P. Rogerium

Domum iis & templũ exstruit.

Quibus duas epigraphas inscribit.

Eruditus quidam in fidem Christianam propendet.

vnice complecti. Quod vero doctrinæ Christianæ compendia Sinensi sermone, verum nō adeo eleganti, qui eruditis placeret, à P. Rogerio sciret composita; operam obtulit eadem corrigendi, & styli formandi, quo in aliorum manus maiori cum plausu incideret, & à Mandarinis etiam euoluerentur. Dum huic ipse operi incumbit, ita diuinitus mens illustrata fuit, vt quam libello hoc legebat veritatem, perciperet; cumque iudicio & eloquentia valeret, ad intima illius adyta tam feliciter pertigit, vt magno omnium simul & Patrum stupore de fidei mysteriis agere ac disserere cœperit. Quin & nouas rationes ac conuenientias depromebat, quibus hæc ipsa stabiliri queant, quas à nullo Christianorū didicerat; quæ dum meditando commentandoque etiam perpenderet accuratius, incredibilem animi voluptatem sentiebat. Quocirca ita in illorum desiderium exarsit, vt baptismum postularit: quem certas ob causas, in aliud tempus Patres distulere: inprimis, cum ipse omnium primus in China baptismo lustraretur, æquissimum videri, vt satis sufficienterq; fidei mysteria edoceretur; vt cum rationem eiusdem à suis rogaretur, scite responderet. Quod enim doctrina & eruditione inter cæteros præcelleret, Mandarinos haud dubie viso illum legem nouam & sibi inauditam amplexum esse, causam & rationem postulaturos. Deinde quiete ac paulatim, nullo excitato motu, in Chinam doctrinam Christi inuehere placuit; ne forsan Mandarini, qui facile sinistrum quid suspicantur, turbarentur & offenderentur, si omnes in nouam quidem illis, attamen antiquissimam religionem propenderent: melius propterea videri

Baptismū petit, sed recusant Patres, & quamobrem.

deri, Catechiſmum ab Erudito iam correctum & interpolatum prælo committere; ac videre, quo ille affectu reciperetur. Exemplaria ergo Mandarinis aliiſque hinc inde diſtribuere viſum eſt. Sparſa quoque ſingulatim in pagella edita decalogi præcepta: vt hac ratione Legis Chriſtianæ ſanctitatem & excellẽtiam omnes agnoſcerent, nullo tumultu excitato: Mandarini hoc ſpecimen electo, diuinam ac cœleſtem eam eſſe legem, illiuſque præcepta æquiſsima videri, nec ab hominibus illa condita, ſed cœlo delata, palam profitebantur. *Catechiſmus eulgatur.*

Patres viſo Xauquinenſes in fidei Chriſtianæ ampliorem expoſitionem propendere, in fanis illam aperire cœpere. Quod vero Eruditus ille lingua valeret, vtpote Sina, & fidei iam myſteria percalleret; placuit & illum aliquas ad populum hac ſuper re exhortationes habere. Sua namque auctoritate & fama plurimos illum ſperabant excitaturum, qui ad doctrinam illorum confluerent. Id priuſquam fieret, Lancitano rem expoſuere, non conſilium modo, vt in omnibus magni momenti rebus iam ſolebant, ſed & docendi veniam petituri. Erat is namque Mandarinorum omnium, Tutano abſente, primus. Laudabat ille conſilium, ac facultatem dabat non fidei modo exponendæ, ſed & omnes, qui eandem amplecti vellent edocendi. Eruditus igitur hic exhortationes habere cœpit, quod vero ſcientiarum fama celebris eſſet, multi ad illum audiendum confluxere. Tanto id ille feruore & zelo faciebat, vt Patres ipſos in admirationem raperet; ſe ipſum inprimis, dein & alios ad ſcelerum, errorumque, quibus hactenus implicati vixerant, fugam excitans. Interdum & vehementius in- *Fides Xauquini docetur.*

surgens, hac auditores apostrophe compellabat; O cœci Sinæ, qui veritatis lumen domi habetis vestræ, nec ipsum præ errorum caligine conspicitis! Nonnullos hic doctrina sua ita permouit, vt in Catechumenorum numerum adlegi voluerint, qui paulatim edocebãtur, vt cum oportunitas adesset, baptismo admouerentur. Hactenus enim nulli is collatus erat, tametsi à pluribus peteretur; aliis quoque insignem in fidei mysteria affectum ostendentibus. Vt pleriq; fixam in fastigio domus, in qua Patres commorabãtur, crucem, quamuis idolorum cultum sectarentur, transeundo honorarent. Erant qui dicerent, à cruce salutem cœpisse: alii templum adire, & aqua se benedicta conspergere. A maioribus quippe accepere, quendam sanctimonia inclytum, olim per regionem transeuntem, benedicta aqua, quam illi sanctam dicunt, ægros conspersisse, & sanitatem attulisse, aliaque per hanc miracula patrasse. Illam vero & hanc Patrum vnam eandemq; existimabant. Hoc scilicet modo Xauquini fidei Christianæ iacta sunt fundamenta, inde vero in alia Sinarum opida pertransiit; quod hic Tutanus Cantonensis prouinciæ sedem haberet. Sed quid dein acciderit videamus.

Quam docet Catechumenus.

Aqua benedicta vsus in China.

CAPVT XXV.

P. Alphonsus Sanchius Macaum è Philippinis profectus socios Xauquini agentes adire statuit; sed repulsam passus re infecta, non sine periculo, Manillam rediit. Primus Sinarum baptismus celebratur.

Rogerius felicem rerum suarum in China successum, simul & fidei nostræ, quæ affulgebat,

gebat, hic propagendæ ſpem, per literas Præfecto & Epiſcopo Philippino ſignificarat; rogaratque vt ad Hiſpaniarum regem perſcriberent, rem hanç pro poſſe, legationem ad Sinarum regem mittendo, promoueret. Neq; enim aliter facultatem illius per vniuerſum regnū, promulgandæ obtineri poſſe. Dum hæc in China agerentur, nauis quædam è Philippinis ſoluerat, in nouam Hiſpaniam curſum dirigens; hæc magni momenti literas & permultas diuitias Hiſpanorum in inſulis hiſce agentium deuehebat; quas ipſe præfectus naualis ac nauarchus ſibi arrogabant. Quocirca non nouam Hiſpaniam, ſed Chinam petiere, & Macaum tandem appulere: Philippinus præfectus huius rei factus certior, ilico Ioan. Baptiſtam Romanum, regium actorem, deſtinauit, qui prædones comprehenderet, in illos meritis animaduerteret ſuppliciis, ac cæterorum repararet iacturam. Socium illi addiderat Patrem Alphonſum Sanchium, tum quod Luſitanis Macaenſibus notus eſſet, & facile ſua auctoritate impetraturus eſſet ea, quæ emiſſent, accepiſſentve à perfidis vectoribus; tum etiam vt cum Patribus Xauquinenſibus ageret, quomodo cœpta Sinarum conuerſio promoueri poſſet. Philippinis ergo inſulis profecti feliciter Macaum peruenere; quamuis autem initio in fugitiuorum ſuppliciis, & bonorum iniuſte alienatorum reſtitutione nonnulla ſe difficultas offerret; tandem tamē reos Macaenſis præfectus actori regio conſignauit; qui illis pro crimine caſtigatis, & negotiis è voto compoſitis, in nouam Hiſpaniam nauem miſit. Reditum igitur ſpectans, aliud quod in mandatis habebat, exequi voluit, & efficere, vt Pater Alphon-

Occaſio ſecundi itineris P. Sanchij in Chinam.

Xauquinū cogitat.

Alphonſus cum Patribus Xauquinenſibus ageret; huius rei ergo tamdiu Macai agere decreuit, quamdiu opus foret. Multis viis tentatum iter: tandem Alphonſus P. Rogerio ſcripſit, vt Tutano ſignificaret, Macai eſſe nonnullos Socios Caſtellanos; qui cum illo de rebus magni momenti velint conferre, num ſcilicet gratum Chinenſi regi foret, ſi quod ab Hiſpaniarum Monarcha ad illum munus mitteretur. Hac namque de re certum ſe eſſe velle.

Tutanus rem ad Aitanum Cantonenſem retulit, is ad Mandarinum, qui regis Sinenſis nomine Macai præeſſet, vt hac de re ſedulo accurateq́ inquireret. Mandarinus excuſſo Sanchio, Aitano ſuſpectum hoc eſſe ſibi reſpondit. Neque enim aliam ob cauſam eo veniſſe Caſtillas quam vt maleficos nonnullos, qui facultates alienas alio deferendas inuaſerant, plecterent: Tutanum autem quod ſe alloqui velle fingerent, intrandi potius regni id, quam alicuius ſerii negotii cauſa peragendi fieri. Reſponſum hoc ita permouit animos, vt Xauquinum adeundi omnis denegata fuerit Sanchio facultas. At quod expediret, Rogerium & Sanchium inter ſe conferre, & adhæc aliquem Sociorum, qui Prouincialem Indiæ Franciſcum Capralem Macai tum agentem cōueniret, Macaum pergere oporteret; eo ſe conferendi veniam à Lancitano petiit Rogerius. Cauſam itineris aiebat eſſe eleemoſynas, quas oblaturi eſſent Luſitani, eademq́ opera P. Prouinciali facultatem Xauquinum perueniendi petiit: ꝙ enim illorum ſuperior ac præfectus eſſet, depoſcere ipſum, ſubditos viſendi, ac corā quomodo ſe gererent inſpiciendi (vt æquum eſt) copiam ſibi fieri; ne quam vero ſiniſtrā ſuſpicionem

Sed facultas negatur.

cionem de illo conciperet, propediem illum, negotiis confectis, Macaum rediturum. Hunc vero in modum Lancitanus respondit. Quamuis initio, Pater Sinensis te linguæ morumque nostrorum perdiscendorum ergò huc venisse dixeris, & ipse ad Mandarinos hoc retulerim; certo tamen mihi constat, aliud te non spectare, quàm vt diuina lex promulgetur: quod mihi neutiquam displicet. Neque est vt hoc me celes. Quin & facultatem insuper concedo, vt Eruditum quem domi tenes, aliosq; qui Christo accedere voluerint, baptismo tingas. Quin & Patri, quem hac venire velle dixisti, facultatem concedo; & inprimis desidero, vt religionem tuã per vniuersum regnum diuulges. Vidi namq;, & aliis illius videndæ copiam feci: placet, nec nostris institutis politicæq; disciplinæ vllo modo repugnat. Hac obtenta venia confestim Macaũm pergit Rogerius, vbi per otiũ cum P. Sanchio rem communicauit, & dein vna cum Prouinciali Xauquinum rediit. Sanchius vero ad Philippinas rediit, sed non sine variis periculis, è quibus illum diuina clementia eduxit; vt sospes & incolumis multis iactatus tempestatibus, tandem Manillam peruenerit. Malacam namque æstu delatus, ad aliquot ibi menses egit, nauem restauraturus, & opportunum Manillam redeundi tempus exspectaturus. Prouincialis vero Lancitani literis iter aperientibus, sine vllo prorsus impedimento Xauquinum venit. Vt hunc cæteris præesse Patribus per vrbem diuulgatum est, multi illum Mandarini Eruditique adiere; quem suo ritu compellarunt. Lancitanum præ cæteris adiit, comitem assumens P. Rogerium. Erat hic tum in prætorio, dum iuri dicundo præsidebat, ea pompa

Lancitani responsum.

Xauquinũ Prouincialis venit.

pompa ac grauitate, qua Mandarini solent. Aduenientibus tamen Patribus assurrexit, & propius accedere iussit; quem aliis honorem exhibere Mandarini non solent, maxime dum ius administrant. Aliquo temporis spatio cum illis egit, de variis rebus sciscitando ea humanitate, comitateque, qua cum familiarissimis agere solet. Domum cum rediisset, militarem tribunum emisit, qui Prouinciali felicem itineris successum gratularetur, ac munus deferret. Dum hæc agerentur, visum fuit Patribus, Eruditum illum Chinensem, qui ad aliquot iam menses baptismum quam enixissime flagitarat eiusdem compotem reddere. Quod vero omnium foret primus, qui in Sinensi regno eundem reciperet, magna illum pompa solennitateq; conferre voluere. Adornatum hanc ob causam templum, adhibitaq; temporis & loci habita ratione cærimoniæ, hic adhiberi solitæ, magna pompa & gratulatione omnium. Anno igitur M. D. LXXXIV. decimaoctaua Decembris die, baptismum recepit, & Pauli fuit nomine donatus. Eadem quoque die & alius magni nominis vir baptismo admotus: is ipse fuit qui Patres primum Xauquinum appulsos ædibus suis excepit. Tanta huc ciuium multitudo, baptismi ritus spectatura confluxit, templo vt comprehendi non possent; ac nemo fuit, qui hisce ritibus offenderetur. Erant & alii, qui baptismum poscerent, sed certas ob causas spe data dilati sunt, tum vt in doctrina Christiana firmius radicarentur, & pluris insigne hoc beneficium facerent, tum vt à Mandarinis peteretur, num præcedentem duorum baptismum ratum haberet; ne forte offenderentur; quod verendum erat, si forte plures simul Christo

Eruditus baptizatur vna cum alio.

nomi-

nomina dare vidissent. At nemini omnino res displicuit, quin & Mādarini ipsi Patribus congratulabantur, quod eruditum hunc Christo eiusq; legi peperissent. Alteri quoque, qui cum Paulo baptismum susceperat, vicini gratulabantur, illiusque se exemplum sequi velle declarabant. Haud multo post neophytus Paulus in patriam rediit, vxorem simul & filios, quin & ciues omnes Christo lucraturus; hanc ob causam doctrinæ Christianæ libellos aliquot secum sumsit. Interim Patres ab omnib⁹ Cantonensis prouinciæ Mandarinis indies visebātur & colebantur. Moris enim est, vt Mandarini omnes, alternis saltem mensibus, prouinciæ suæ Tutanum adeant; vt & ii qui magistratu defunguntur, & qui iam recenter ineunt. At quotquot Xauquinum veniebant, domum & templum Patrum, velut rem in China inuisam inauditamque, adibant. Hinc illorum legisque quam docebant, ad plures vrbes manauit cognitio. Singulis quippe libellos dabant Patres, quibus Christianæ legis mysteria continebantur, quos in patriam delatos, aliis dein communicabant. Prouincialis interim rebus peractis, Macaum redit, Rogerio cum sociis Xauquini relictis.

CAPVT XXVI.

P. Rogerius & Antonius Almeida interiora regionis adeunt, & ad Chiquionensem prouinciam perueniunt.

DVm vero Patres, qui Xauquini commorabantur, regionem interiorem cognoscere, & quæ in reliquis prouinciis ad Christi fidem suscipiendam foret dispositio, vellent inquirere; insignis oblata est oportunitas. *Patres Chinæ cognoscendæ desiderio tenentur.*

Quod

Quod ſuum Lancitano deſiderium cum expoſuiſſent, in Chiquionenſem illos ſe prouinciam è qua ipſe oriundus eſſet, miſſurum promiſit, idque per fratrem, qui eodem propediem tendebat. Prouincia hæc Nanquinenſi contermina eſt, ducentis à Cantonenſi diſtans leucis. Egit gratias Rogerius, & conditionem accepit; obſecrans adhæc vt duos alios Sociorum Macao Xauquinum venire ſineret, vt horum vnus domi cum Riccio maneret, alter ſecum in Chiquionem pergeret. Non abnuit Lancitanus, ſed ea conditione, vt bini dumtaxat venirent, ne quam cuipiam offenſæ cauſam daret. Ilico rem Macaum ad Socios perſcripſit, ac duo illorum Eduardus ſcilicet Sandeus, & Antonius Almeida Xauquinum perrexere. Lancitani ergò frater qui Cantone agebat, cum Patris videndi cauſa Chiquionem petere decreuiſſet; à Lancitano literas accepit, duos vt ſecum Patres aſſumeret, ac tum in itinere, tum in patria liberaliter haberet: quod facturum ſe ille recepit, & exacte, vt ſuo videbimus loco, etiam fecit. Mox vt Macao Socii aduenìſſent, Rogerius vna cum Almeida Xauquino ad Lancitani fratrem profectus eſt, Matthæo Riccio vna cum Eduardo Sandeo Xauquini relicto, vt exiguū Neophytorum gregem paſcerent, aliosque qui Baptiſmum peterent, Chriſtianis præceptis imbuerent. Cantonem cum peruentum eſſet XI. Kal. Decembris vna cum Lancitani fratre anno Redemtionis humanæ M.D.LXXXV. vela ventis dederunt, per flumen illud vaſtiſsimum quod Cantonem præterlabitur, idq; ad VII. Idus eiuſdem menſis. Plurimas toto itinere viderunt vrbes & opida, ſiluas & nemora, aliaque, quæ regionis & fecunditatem & fertili-

Chiquionem adeunt.

fertilitatem declarabant. Altißimos flumen hoc montes interlabitur, ad vrbem vſque Modin, iuxta quam nomen amittit. Haud procul ab vrbe pons eſt, qui ferreis clauditur catenis, quas Mandarini vrbi præſidentis iniuſſu laxare nefas. Verum quod Lancitani Xauquinenſis fratrem adeſſe nuntiaretur, ſine vllo negotio, ad nauem tranſmittendam, laxatæ ſunt. Deinde terreſtri itinere Faquenum appulere, quod nonniſi octo leucis diſtat opidum. Hoc in itinere Chinenſium induſtriam & viarum publicarum curam notarunt. Nam tametſi per confragoſos præcipiteſque montes iter pateat; ea tamen itineris hodie cōmoditas, vt per aream planam incedere videaris. Nam omne lapidibus ſtratum erat, in quo per montem tranſcēditur, in cuius ſummitate arcus fornicato erat opere cum ipſa epigraphe, quæ nomen eius, qui iter adaptarat, continebat. Porro tanta viæ eſt frequentia, vt nundinæ vtrimque viderentur; nam vtramque inter vrbem frequentia exercentur commercia; tantaq; ſocietas eſt, vt cum Modinenſi hoſpiti ſarcinæ concreditæ fuerint, Faqueni eaſdem in diuerſorio, quod deſignaris, reperturus ſis. Is ipſe hoſpes equos & iumēta curat ſeruis, dominis ſellas geſtatorias; adeo quidem faciles ac leues, vt à baiulis binis greſſu citiſsimo ad ternas quaternasve leucas ferantur. Qui iiſdem geſtantur, Solis æſtum pluuiæque iniurias vmbellis propellunt. Hoc pacto Patres vna cum Lancitani fratre Faquenum, ſeruis equos conſcendentibus, delati ſunt. Medio cōfecto itinere ſellas & baiulos mutarunt, qui ad deſignatum vſque hoſpitium detulere, queis præter gratuitum aliquod donariolum debetur nihil: iuſtum enim pretium hoſpiti,

Modin & Faquen vrbes Chinæ.

Frequentia vtrimque commercia.

Itinerum in China commoditas.

cum merces sibi commissas singulis tradiderit, persoluitur. Eodem pretio hic sella gestantur, quo in Europa equo; sed illarum commoditas maior. Iter omne diuersoriis etiam plenum. Sub vesperam eodem die Faquenum peruenere, biduum ibidem commorati: quo tempore tantus erat visentium concursus, vt multitudine pene obruerētur; cuius rei vitandæ causa nauem conscendere. Quindecim dies flumine secundo delati sunt, & vtraque in ripa vrbes & elegantissimas & nonnullas etiā Cantone non minores conspexere. Ad XVI. Kal. Ianuarii, ad frequentissimam vrbem Cantone capaciorem deuenere, in qua Chiansiensis prouinciæ Tutanus agebat. Hanc amnis intermedius secat, cuius ripæ nauibus simul iunctis pontis vicem supplentibus, coniunguntur. Hic confestim laxatus fuit, nec sarcinæ (vti hic fieri solet) excussæ, neu exactum vectigal è mercibus, quas secum ductor vehebat, quod Lancitani frater esset. Verebantur hic Patres, ne forsan à Mandarinis euocarentur, quinam forent, quoue tenderent, exquisituris. At nihil negotii quisquam facessiuit: nam extra Cantonensem prouinciam in reliquo regno non tam anxie ac religiose in aduenas inquiritur. Vix se mileuca à ponte aliud occurrit flumen, quod cum superiori coniungitur, sed prius ab altera parte vrbem ac vicum vrbi vicinum, qui tertiam illius partem constituit, abluit. Comparatis hic quæ ad reliquum iter conficiendum necessaria videbantur, nauem conscenderunt, & quinque sexve diebus per amnem vecti vrbes vtrinque viderunt septem aut octo, & siluas amœnissimas, tum in ipsa ripa plurimas lignorum strues frigidis regionibus cū oportunas tum necessarias.

In interiori regione non adeo anxie in externos inquiritur.

rias. Tandem pridie natalitiorum, Chianſium peruenere, atq; hic nocturnas natalíũ vigilias peregere. Sequenti die iter reliquum confeciſſent, ſed repente exortus aquilo impediuit; hic enim aquam fluminis (quod in ſeptentrionem delabitur) ita turbauit, vt limpida eo die hauriri non potuerit. Poſtridie vrbem prænauigarunt, quam Vlyſsipone maiorem (ſi modò exterior forma exacte reſpondeat) iudicabant. Diei itinere peracto viã, quæ Nanquinum ducit, offenderunt; hic duo flumina concurrentia crucis quandã imaginem exprimunt; quorum vnum Nanquinum; alterum Chiquionẽ, quo iter erat, ducebat. Nanquini itinere, quod ad ſeptentrionem vergit, relicto, aliud flumen, quod in occaſum conſcenderunt; vento ſecundo vſi, quindecim, interdum & vicenas, indies leucas confecere. Delati dein ad vrbem, in qua porcellana vaſa parantur. Hic alia prorſus aeris temperies, quam viſa hactenus. Frigus namq; indies inualeſcebat, vt mane circumquaque quodam die, niue canerent omnia. Quod vero amnis decreuiſſet, Lancitani frater merces in cymbas denas, nauibus quas habebat minores impoſuit. Hoc modo biduo nauigantes, ad vrbem ampliſsimam, ad quam per pontem L. nauibus depictis cõnexum, ilico ingreſſus patuit, appulere. Nonis deinde Ianuar. Goulinum delati, quæ nauigationis per hũc amnẽ terminus fuit. Hic ad dies aliquot hæſere Patres, quos plurimi maximæ auctoritatis viri adiere: inter alios quidã qui domi idola araſq; plurimas habebat; quẽ ea de cauſa Bonzii, ſacra hic ſua peracturi, frequẽtabãt. Ab hoc ad cõuiuiũ inuitati Patres, cũ Bonziis, qui etiã intererãt, certamen iniere diſputando; quibus legis, quam profite-

Chianſium vrbs.

Goulinum vrbs.

bantur, inanias ineptiasque ad oculum ostenderunt. Ne vero asymboli decederent hospiti libellos donauere, quos per otium legeret, nec enim oportunum hic erat, amplius fidei mysteria deducere. Recessere inde pedestri itinere, sed amœno ac iucundo, sellis portatilibus ad sex septemve leucas delati. Atque tum tandem Chiquionensem prouinciam ingressi, in eiusdem vrbe prima (quam Cuinonem dicebant) triduo sunt commorati. Ad quos tanta hominum turba confluxit, vt quo se verterent, nescirent: nam velut ad exoticum quoddam prodigium spectandum vndiquaqꝫ conueniebant. Hic flumen conscenderunt, quod hac ab vrbe cursum incipit; & quamuis initio inopia aquarum laboret, etiam tridui & quatridui itinere; paulatim tamen ita excrescit, vt cũ Cantonensi latitudine certet; sed leni impetu fertur. Hoc in itinere octonæ nouenæque occurrerunt vrbes, & ardui montes niuibus tecti, ligni feraces, quod aduerso flumine Cuinonem defertur. XXII. Ianuarii die frequentem pertransiere vrbem, quæ Cantonem magnitudine multis superare interuallis dicebatur. Neque enim præter turres aliquot, conspici ob nebulas niuesqꝫ densiores potuere. Circa vesperam ad pagum deuentum est, qui alterius fluminis ripæ adiacet, quod nonnisi teli iactu ab altero distabat. Hic aliis conscensis nauibus, cum nocte tota ad facularum lumen nauigassent, sub auroram ante Lancitani patris domum, quam petebant, Ciquione venere. Is itineris huius fuit exitus, cui plusquam bimestre impenderunt. Venetiarum imaginem (teste P. Rogerio, qui vtramque vrbem viderat) Ciquionem esse qui dixerit, non aberrarit. Terra enim vel aqua

Ciquionis vrbis descriptio.

per

per ſingulos vicos iter eſt, cymbis nauigiolisq; ad hoc comparatis. Domus ipſæ Cantonenſibus ſplendidiores, plateas varii hinc inde lapidei mira arte elaborati fornices exornant. Incolæ humaniores, quam Xauquinenſes & Cantonenſes. Non eſt in vniuerſa Luſitania vrbs, quam cum hanc compares, cum omnes, præter Vlyſsiponem, teſte P. Antonio Almeida, qui Rogerii comes fuit, & hæc omnia perſcripſit, magnitudine ſuperet. Huc itaque cum perueniſſent, Lancitani pater mira illos gratulatione ædibus cõmodiſsimis excepit; quarum geminus erat exitus. Vnus in viam publicam ſpectabat, in flumen alter. Intrinſecus duo erant cubicula, hortus quoq; & locus ad parandum oratorium aptiſsimus. Vt cognitum eſt, Lancitanum Xauquinenſem mirifice erga illos affectum inſignem ſemper beneuolentiam oſtendiſſe, omnes vrbis primores, tum Mandarini, tum Eruditi felicẽ illis itineris ſunt ſucceſſum gratulati, & è maioribus Mandarinis nonnulli conuiuio etiã excepere. Et inter cæteros vnus, qui duplici gradu Lancitani dignitatem ſuperare dicebatur. Rogauit hic Rogerium, vt funeri materno intereſſet: ſed purgare ſe Rogerius, quod Chriſtianorum preces non prodeſſe diceret iis, qui Deum Creatorem ac Dominum vniuerſi, dum viuerent, non coluere. Atq; hinc occaſione ſumta, latius coram omnibus diducere cœpit, Dei legem ad ſalutem inprimis eſſe neceſſariam, ac cæteris legibus ſanctitate præcellere. Auide & gratanter hæc accipi videbantur. Non multo poſt is ipſe Mandarinus Rogerium denuo ſuum eſſe conuiuam voluit, & in menſæ conſtituit capite, quamuis inuitum ac repugnantem; ſed importunæ eiuſdẽ exactioni

Huc Patres perueniunt.

A pluribus coluntur etiam Mandarinis.

tandem cedentem. Cœna peracta ad ianuam vsque honoris illum causa (quod Sinensibus ac Mandarinis præsertim perrarum est) deduxit. Eundem iis honorem & beneuolētiam ostenderunt Bonzii, & horum nonnulli aquam benedictam petebāt, ob eam quam diximus causam. Sed, quod nefas sit, sancta canibus obiici, dare non placuit. Permulti quoque vicinorum exhortationibus, quas de doctrina Christiana instituebant, non illibenter intererant: tanto has affectu audiebant, vt bonam noctis partem sæpe impendere graue non ducerent. Denique antequam inde abirent, plurimi baptismum postulabant: verum quod Patres non commorandi, sed spectandi tantum causa eò concessissent; neminem salutari abluere aqua voluere, præterquam hospitem domesticum Lancitani Xauquinensis patrem, senio & ætate venerabilem, virtutibus moralibus insignem, & scientia, qualem Sinæ dilaudant, illustrem. Septuagesimū agebat annum, cum baptismo renatus est; ipso Dominicæ Resurrectionis die is collatus, cum quadrimestri doctrinam Christianā edoctus esset. Abluerunt & Eruditi cuiusdam filium. Prudentiæ ac sapientiæ nomine pater inclytus erat; filius vero Phthisi emaceratus ad extrema deuenerat, vt pater frustra tentatis omnibus, etiam superstitiosis precibus ac cerimoniis Bonziorum adhibitis, tandem Rogerio baptizandum obtulerit. Non abnuit Rogerius, dum visa morbi grauitate illum superstitem futurum non sperat. Sed baptismo suscepto habere cœpit meliuscule, ac tandem paucis post diebus penitus sanitati est redditus, vt è literis Patris Rogerii VIII. Nouembris, Anno M.D.LXXXVI. datis constat. Quadrimestri ergo

Lancitani pater baptizatur.

ergo & amplius cum Chiquione vna cum Patre Almeida egisset, Xauquinum postliminio cum socio rediit. Quadraginta interim Christo nomina dederant; qui quod in China essent, permagni fecere: tum ob difficilem, quem habuere regni introitum, tum ob spem, quam dare videbatur Deus, neophytam hanc & teneram Ecclesiæ plantam ramos longe lateque breui illius ope, qui dederat initium, extensuram.

Xauquinū Patres redeunt.

CAPVT XXVII.

P. Rogerius in Europam mittitur. Persecutio grauis, à senioribus Cantonensibus, aduersus Patres Xauquinenses excitatur.

Visitator ac Prouincialis Sociorum in India, tam felici rerum successu in China audito; & spe illius ad Christum reducendæ firmissima concepta, non abs re fore iudicarunt, si ad Sedem Apostolicam & Regem Hispaniarum hæc referrentur: sua vt vterq; auctoritate potentiaque auxiliaretur, & de ad regem accessu habendo ageret; quo facultatem ille fidei Christianæ, per vniuersum regnum prædicandæ, concederet: neq; hoc à proregibus ac Mandarinis dependere, qui quolibet triennio magistratu abeunt aliis in locum succedentibus; sed nisi à rege copia fieret, periculum esse ne, qui multis annis collectus erat fructus, vnico momento euanesceret. Visum idcirco P. Rogerium in Europam mittere, qui patriæ mores & indolem incolarum cæteris Patribus melius, perspecta haberet; vtpote qui iam annis aliquot inter eos egisset.

Cur P. Rogerius in Europam missus sit.

Item Pater Sanchius.

Huc accedebat, quod Alphonſum Sanchium iis ipſis diebus in Hiſpaniam cogitare intellexiſſent; hinc ſperabant fore, vt ſi vterq; in Europam ſimul proficiſceretur, hæc apertius ac manifeſtius, tum ſummo Pontifici, tum Regi Catholico oſtenderentur. Non ſine magna tamen moleſtia Rogerius, quod Mandarini omnes mirifice erga eum afficerentur, China euocari potuit. Sed rationibus tantum apud illos effecit, vt illis etiam annuentibus inde diſceſſerit. Nonniſi duo tum Xauquini Patres agebāt, Matthæus Riccius & Anton. Almeida; Eduardus namque Sandeus, q͂ male ſe haberet, Macaum iam redierat. Rogerius ergo anno 1588. è China cum ſoluiſſet, vno poſt Alfonſum Sanchium anno in Hiſpaniam venit, cum feliciori ille vſus fuerit nauigatione. Vterq; tamen primo ad Regem Hiſpaniarum, deinde ad Sedem Apoſtolicam, cui tum Sixtus V. præſidebat, de negotio cuius cauſa venerant, retulerunt; at nullus itineris ſuſcepti dein effectus apparuit. Sed Rogerio in Europa iam agente in Chinam redeamus. Patres dum officio quiſq; ſuo gnauiter Xauquini incumbunt, alios quadraginta incolas Chriſto lucrifecere: vt pluſquam octoginta in vniuerſum Chriſtiani Xauquini numerarētur. Verum malignus ſpiritus hanc ſibi prædam eripi, & in regnum hoc, quod tanto iam tempore tyrannico preſſerat iugo, fidei Chriſtianæ aditum patefactum dolens; totum negotium turbauit, & omni qua potuit arte felicem Euāgelii curſum impedire conatus eſt: vtque ſementem, quæ iam primum germinare incipiebat, in ortu ſuffocaret ſuo, cultores ipſos, Xauquinenſes ſcilicet Patres, China pellere machinatus eſt. Vſus in hanc rem eſt Mandarinorum

Perſecutio aduerſus Patres Xauquini excitata.

norum & Seniorum Cantonensium opera; hi Visitatorē adeuntes hoc illum libello compellarunt: Nouit Excellentia vestra, patriis nobis legibus facultatem, quodcunque ad regni vel detrimentum vel emolumentum spectat suggerendi concessam. Quamobrem visum fuit, ad E. V. referre, Xauquini externos quosdam sacerdotes, Macao profectos agere; à quibus magna in vniuersum regnū emanare incommoda, & graues inter incolas oriri tumultus queunt: antequam ergo longius malum serpat præcidendum, & qua licet arte industriaq́ꝫ occurrēdum. Adhæc Macaum vndiquaq; alienigenæ confluunt, & iniussu nostro firmas ibi sedes figunt. Olim ne in terram quidem descendere licebat, sed merces distracturos naues repetere cogebamus, ac deinde diuēditis ad suas reuerti. Hodie vero domos excelsas & amplas construxere, in quibus apium aut formicarum instar nidificent ac multiplicentur. Vnde non immerito quisque capiti nostro metuimus. Illorum quoq́ꝫ Sacerdotes nouam excogitarunt artem, dum eleemosynas cogunt ad turrim quandam Xauquini construendam; hocq́ꝫ prætextu hic agunt, interim aliis hoc modo accedendi copiam struunt. Verendum profecto, ne explorandi huc causa venerint, ac deinde cum seditiosis ac perduellibus ciuibus societatem, magno regni totius incommodo, ineant. Hoc nimirum scripta nostra suggerunt, dum aiunt: Fecundo in agro seminastis spinas, serpentes & viperas ad bibendum vobiscum inuitastis. Lusitanos Macai ferre tantundē est, ac si pes manusq; male haberent; cui morbo statim occurri potest. At Sacerdotes Xauquini agere, quid est aliud, quàm virus in stomachum admitte-

Libellus visitatori prouinciæ oblatus à senioribus Cantonensibus aduersus Patres.

re, & venenum ad cor penetrare permittere? Occurrendum igitur principiò, & hæ rerum publicarum pestes proscribendæ. Hoc nos seniores, totius prouinciæ Cantonensis nomine, ab E.V. flagitamus, quam illo sibi singulari hoc beneficio in perpetuum deuinxerit. Hæc libelli illorum forma: qui subtilius vafriusque ad ea, quæ spectabant, obtinenda, nec à dæmone ipso componi posse videbatur. Et sane nemo est qui satanicis op⁹ hoc caminis fluxisse fateatur. Sed quid dein factum sit videamus. Libello perlecto Aitano Cantonensi, Conchifuioque Visitator rei huius examen credidit. Iniunxit insuper vt ad Lancitanum Conchifuiumque Xauquinensem libellum mitterent, vt quid videretur, libere hac super re statuerent. Nec mora, ad Conchifuium Xauquinēsem missus est, iniunctumque vt in sacerdotes externos inquireret. Nonnisi duo ibi tum versabantur, Matthæus scilicet Riccius & Eduardus Sandeus, (qui biduo ante eodem redierat) qui nihil minus cogitantes sibi ipsis prosperū Chinæ aditum gratulabātur, qui magno hactenus steterat. Haud ita multo post, rei huius certiores facti Patres, libelli simul & mandati Cantonensis Conchifuii, Visitatoris nomine, exemplar nacti sunt, idque opera secretarii Conchifuii Xauquinensis; mandati hæc erat forma: Domine Conchifue, mox vt præsentes acceperis, inquires in negotium hoc, vt pro rei necessitate opus esse iudicaris, & ea, qua par est diligentia; & quidquid statueris detexerisque, ad me referes: vt voluntati magni Chaieni (ita Visitatorem appellant) obsequendo Cantonensibus Mandarinis, prout æquum est satisfaciam. Perculit nuntius hic Patres: Sciebant nempe Visitatores se-

Quid secutum sit.

Quid Conchifuius Cantonensis Xauquinensi iniunxerit.

uere animaduertere vt plurimum, ex muneris præscripto, in eos, qui aduersus patrias leges nouitatem quandam inducere conantur; & fama erat hunc, qui modo Visitatorem agebat, cæteros omnes seueritate antecellere. Intellexerant adhæc, præcipuos Mandarinos Cantone illos egregie confictis criminibus, traduxisse: vt mortalis illorũ inimicus foret, & parum abesset, quin eosdẽ, sine vlteriori examine vniuerso regno proscriberet. Sed mẽtem illi Deus iniecit, vt debita iustitiæ forma procederet. Interim Patres rebus suis prospexere. Ilico Lancitanum protectorẽ ac tutorem suum adiere; cum visum fuit, Xauquino vt confestim se subducerent, cum multa aduersus ipsos mala cuderentur. Reminisci adhæc se dicebat, Rogerio à prorege datas literas, quibus in China commorandi facultas concedebatur; quas vt proferrent, si opus foret, suadebat. Non displicuit consilium, tamen vti visum non fuit; sed aliam & cõmodiorem & certiorem rationem adhibere. Deo ergo negotium quam potuere diligentissime, commendare, pœnitentias in hanc rem varias exercere, sacra frequẽtiora celebrare, precibus & orationib⁹ instare frequentius, Deum, illiusq; Matrem beatiss. ac Sanctos omnes, hoc vt succurrerẽt in discrimine, obsecrare. Haud incassum fuere hæc omnia. Nam vt meriti quod inde sibi compararũt taceam augmẽtum, nouo mox intrinsecus gaudio efferri cœpere; repentinam hanc mutationem animi secum demirati; at postea præsagium id esse intellexere, diuinã mox opẽ adfuturã, vti paulo post adfuit hoc quo sequitur modo. Inquisitione facta, Conchifuius Xauquinẽsis P. Riccium ad se euocauit, nõ parum sibi metuentem: nam rediturusne esset, dubitabat, cum ductores

Quomodo ab hac se procella Patres subduxerint.

Conchifuius Xauquinensis P. Riccium ad se vocat.

gestus exhiberent; præda petita iam potientium, quasi illum iamiam dilaceraturi forent. Sed Susannæ exemplo, erat cor eius habens fiduciam in Domino. A Conchifuio ergo interrogatus tã apposite ad singula quæsita respondit, vt penitus illi satisfecerit. Vnde post varia vltro citroque prolata, hunc tandem Iudex in modum respondit: Nunquam sinistrum quid de vobis sum suspicatus; sed quidquid actum est, ex muneris mei præscripto fieri debuit. Cæterum maximo in discrimine res vestra versata est, ac parum abfuit, quin neci dati sitis. Si leuitate quadam iis, quæ de vobis mala spargebantur, credidissem, iam pridem occubuissetis: sed magno meo cum dolore, non modo quod singulari vos amore prosequar, verum etiam quod honor meus hic non parum agatur. Cantonenses namque Mandarini suo in libello honorem etiam meum denigrare conati sunt, & magistratũ impugnare. Sane ni mea satis perspecta foret integritas & fides, ac Visitator mihi coniunctissimus fuisset; illorum calumniis infamis & perfidus audiissem, toto vitæ tempore omni vbique dignitate indignus iudicatus. Ostendere siquidem conati sunt, confuse geri hic omnia, nullum reip. seruari ordinem, improbos ac nefarios gratissimos esse, denique mea vnius negligentia & inertia vniuersum Chinæ imperiũ pessumiturum. Hæc cum turbato iratoque proferret animo, Riccio ait, vt quæ respondisset scripto cõsignaret, nec animo caderet. Ricciuss domum reuersus, hilaris socio singula narrauit; Deoq; gratiis persolutis magna animi gratulatione *Te Deum laudamus* cecinerunt. Deinde Conchifuio apologiã omnem scripto complexam tradidit, obsecrans quam

Animum illi dat.

enixis-

enixiſsime ſuam vt cauſam auctoritate, vti hactenus, tueretur aduerſus eos, qui tam inique ac nefarie ſe ſuoſque criminarentur. Hoc porro ſcripto aperuit, eſſe ſe Religioſum regno Trincico, id eſt, cœleſti, (hoc namq; modo Sinæ Europam indigetant) oriundum. Retulit adhæc, triennem ſe nauigationem nō ſine magno diſcrimine confeciſſe, varia terra mariq; pericula ſubiiſſe, & tandē Xauquinum, quieſcendi cauſa, in ſedem delegiſſe; neque enim Macai, & in aliis maritimis locis quietem reperire potuiſſe. Quod vero quotidie, ex muneris præſcripto, in naui manendo, (in nauibus namque Luſitani Cantonem commercii cauſa venientes cōmorari cogebantur) Deo offerre ſacrificium non poſſet, Tutanum ſuperiorem exiguum terræ pugillum Xauquini, ad domunculam conſtruendam conceſsiſſe, & piorum ſe eleemoſynis eandem perfeciſſe: Tugurium, inquit, mihi erexi: Sum namque velut aues, quæ huc illucq; volitantes, tandem in nidum, quietis captandæ cauſa ſe recipiunt. Ipſe mercaturam, ad diuitias mundi comparandas, non exerceo; magnum illum cœli terræq; conditorem quotidie deprecor, vt benignum ſe ac clemētem in Chinenſe regnum oſtendat. Sane omnia opera & cogitationes meæ alio non referuntur, neve quid aliud vnquam ſpectabo. Cuius clariſsime Domine, ſi mihi forſan non credideris, certiorem te reddent vicini mei, & alii Sinæ quibuſcum famliaritatem aliquam cōtraxi: qui quomodo me geſſerim hactenus, & qualem vitæ ſim rationem ſecutus, teſtabuntur. Teſtabuntur, inquam, iurare auſim, ab eo me tempore, quo Chinam ingreſſus ſum, ita meos moribus inſtitutiſq; Sinarum adaptaſſe, ac ſi inter illos

natus

natus essem & educatus. Hæc sunt paucis, quæ in sui purgationem Cochisuio scripto Riccius tradidit. Tum verò hasce ad Aitanum Cantonensem ille literas destinauit: Inquisiui ea quã potui diligentia, magnifice Domine, in ea, quæ ad me seniores Cantonenses perscripserant. At nihil eorum, quæ criminanda obiiciunt reperi: magistratus namque & ciues nostri, turrim, quam vestri ita depingunt, & aduersus quam adeo bacchantur, ædificarunt. Fateor, sacerdotes hos externos, cum moles hæc assurgeret, Tutanum loci tum accessisse, & aream ad sibi domum & templum Deo exstruendum, postulasse: sed hoc impetrato, nihil vnquam postea egisse, quod reipublicæ incolumitati aut priuati cuiuspiam commodo officeret. Quod æmuli obiiciant, tumultuosos ab illis ciues ac publicæ quietis perturbatores in ciuitatẽ clanculo inductos, merum commẽtum est; ac nullus nostrum quidquam hac super re intellexit. Equidem porro non video, cur iure, quod Tutanus concessit, priuandi sint, nisi forsan quis friuola ac futili de causa, illos velut canes exagitare voluerit. Cæterum iis, quæ Visitator decreuerit, libens subscribo. Si mea vnius res ageretur, suo illos vti priuilegio sinerem, cum tantus vir ipsum concesserit, ac legitima tollendi causa non subsit.

Literæ Cochisuij Xauquinensis ad Aitanũ Cantonensem.

Hisce perlectis literis Aitanus Cantonensis (qui in externos per vniuersam prouinciã inquirere solet) ita mutatus fuit, vt ab eo tempore magno sit Patres affectu prosecutus, & pro ipsis hoc argumento pronunciarit: Ratum sit oportet, quidquid superior Tutanus Xauquini decreuerit & fecerit; præsertim hoc in negotio. Cum igitur sacerdotibus aduenis in

China

China agendi facultatem concesserit, agant per me licet quamdiu voluerint; equidem non obstabo. Nolim vero vllum iis negotium exhiberi, cum ea non agant, quæ institores externi, qui Macaum confluunt. Quare si quis iis aduersari voluerit, vtramque prius audiri partem æquissimum est. Decretum adhæc, vt sententia hæc ad Conchifuium Cantonensem referretur, quo ille satisfaciat Visitatori. Hoc igitur modo deſæuit procella & persecutio, quæ Patribus exilium minari, ac mortem videbatur. Visitator namque, visis iis, quæ Conchifuius Xauquinensis, & Aitanus Cantonensis pro illorũ innocentia rescripserant, facile cognouit, commentitia esse, quæ à Cantonensibus senioribus delata essent; nihil vt tum decreuerit, sed in suum Xauquinum aduentum negotium distulerit. Deinde vero ad Tutanum nouum omnia retulit, qui maiori seueritate rem excussit, vt iam videre licebit.

CAPVT XXVIII.

Patres Xauquino à Tutano Cantonensi eijciuntur, & ad aliam eiusdem prouinciæ vrbem, Xaucheum, mittuntur.

NOndum in tuto Patrum negotia versabãtur, sed nouæ apud Tutanum alterius, à quo tam benigne habiti fuerant, successorem struuntur insidiæ. Demortuus namque Tutanus Patrum amicus iam erat, dum seniorum Cantonensium libellus Xauquinum mitteretur, & alius eius in locum suffectus. Is vt primã ꝓuinciæ suæ vrbẽ attigit, interim dũ exspectat, vt pompa Xauquini, vbi Tutanorum sedes est, *Noua in Patres excitatur persecutio.*

ador-

adornetur; Seniores & Mandarini Cantonenses non quiescentes, ad ipsum profecti Patres Xauquini agentes mendaciter criminantur, & plurima aduersus eosdem commenta produ- cunt. Iactabant, maximam sacerdotum externorum copiam Macao Xauquinum confluxisse, templum haud procul à primario flumine construxisse, paratam semper hic cymbam stare, vt huc illucque nauigando, quid in vniuerso ageretur regno explorantes, ad Macaenses perscriberet; hos ingenio valere, ac doctrinam promulgare, quam paulatim omnium animis instillarent, & Deum suum ab aliis coli velle; habere insuper campanam in aere pendulam, quae sua sponte, nullo manus admouente, sonitum ederet, & ad quoscunque hic deueniret, fascino eos quodam magico incantari.

Criminationes Seniorū Cantonensium in Patres.

Tutanus hisce intellectis, mox ad Xauquinensem praefectum, vt de singulis inquireret, perscripsit, &, si, post accuratum examen compererit, campanam hanc sponte sonitum edere, & illum audientes incantari, & ipsos alicuius culpae impositae reos esse, Macaum transmitteret, vel ad coenobiū Nangoae, quod Bonziorum est habitaculum, vti suo dicemus loco, Xauquino ablegaret. Praefectus & Mandarini omnes, qui Patrum partes sequebantur, hoc Tutani praecepto non mediocriter consternati sunt. Pro ipsis namque paulo ante amplissimum decretum tulerant, quod infringendum haud dubie erat, si modo Tutano obsequi vellent, quod illos non parum mordebat. Voluntati tamen illius refragari non audebant. Patribus ergo cōsuluere vt modeste, antequam vi compellerentur, se Xauquino subducerent, & ad Nangoanū coenobium reciperent. At displicuit Patribus

Tutani aduersus Patres decretum.

Patribus consilium: qui præfectum & Mandarinos etiam atque etiam rogarunt, vt propositos articulos excuterent, & num magicas incantationes vsurparent, inquirerent. Interim octodecim tam viri quam feminæ, fidei aggregati sunt, & baptismo in medijs persecutionum patribus imminentium turbinibus admoti. Dum vero præfectus & Mandarini in rem inquirunt, Xauquinum Tutanus aduenit; sed mox Cantonem ad piratas, qui Ainanem insulam gemmarum piscatu notam, iam occuparant, classe instructa exagitandos profectus est. Respirant interim nonnihil Patres. Hinc P. Riccius, occasione præsenti vsus P. Almeida Xauquini relicto, Macaum raptim aduolat, vt cum P. Visitatore, qui abhinc aliquot diebus ex India huc appulerat, rem communicaret. Tutanus rebus Cantone compositis Xauquinum redijt. Mandarini Patrum tueri causam, & Tutanum illis propitium reddere conabantur; dum quæsitâ in sermone oportunitate, sensim de illis agunt, suum tamen erga illos affectum celantes. Sed Cantone ita exulceratus redijt, (quod aliquot ciuibus Cantonensibus Lusitani detrimentum intulissent; & Seniores mendacibus criminationibus & calumnijs aures obtulissent) nullis vt rationibus, quas præfectus & Mandarini pro causa illorum afferrent, auscultare voluerit; sed conceptam aduersus illos sententiam ab ipsis approbari petierit, quam se deinde signo muniturum dicebat. Aduersari non audebant Mandarini, sed approbare eamdem coacti sunt, vt ad executionem eiusdem, solum Tutani signum desideraretur. Affulget interim Patribus mēdax quę-

Octodecim Chinenses iterum baptizati.

Tutani aduersus Patres sententia.

dam ſerenioris auræ, & labyrintho hoc egrediendi ſpes, qua ad tempus ineſcati ſunt; ſed ea perbreuis fuit & momẽtanea. Cũ enim Viſitator prouinciæ, Xauquinũ ad Tutanũ veniſſet, magna pompa & gratulatione, decẽ & amplius diebus exceptus fuit: quẽ Cantonẽ redeuntem, Xauquinenſes Tutanus & Mandarini honoris ergo ſunt comitati. Tutanus & Viſitator eadẽ vehebantur naui, feſto buccinarũ, tubarum, & ſambucarũ modulamine viciniâ perſtrepente; quẽ Mandarini & primores ciuitatis magna famulorũ ac miniſtrorũ caterua ſtipante comitabãtur. Domũ autẽ Patrum cum præternauigarẽt, (nã flumini contermina erat) eamdẽ viſere placuit; emiſsi igitur Mandarini aliquot vna cũ miniſtris publicis, fores Tutano & Viſitatori mox aperiri indixere. Paruerunt Patres; & ea qua potuere gratulatione officioq; veniẽtes excepere: tantã porro maieſtatẽ p̃ferebãt, vt duos Monarchas diceres. Vtrũq; namq; octophori geſtabãt, tã p̃tioſis induti veſtibus, vt nobiles viderẽtur & magnates. Debitã Patres exhibuere reuerentiã, in genua procumbentes, & tertio caput terrę illidentes; deinde per vniuerſam illis domũ deductis, oſtendere nonnullas Europâ deuectas elegãtias, minutas illas quidẽ ſed à Sinẽſibus ob raritatẽ magni fieri ſolitas, imprimis vitrũ quoddã trigonũ, omnigenos rep̃ſentans colores, qui in diaphano translucebãt: q̃ illi comentũ non parũ demirati ſunt. Horologij itẽ artẽ ſpectarunt, in quo cãpana nullo mouẽte horas indicabat, quod incãtationibus q̃buſdam fieri Tutanus credebat, donec ſuis id oculis cõſpexit. Viderunt hic libros Sinarum, quos Patres domi per otium euoluebãt; q̃ illis ſtudi-

Tutanus & Viſitator Patrũ domum adeunt.

Raritates Europææ illis oſtenduntur.

ſtudiũ nõ diſplicebat. Deducti tandẽ in oratoriũ,in quo Deiparę imaginẽ,quæ in ara,ſpectabantes,artẽ non parũ demirati ſunt. erat enim ſcite depicta. Tandẽ reſederunt,& ex oblatę, ꝓ more regionis, collationis ſymbolo nonnihil deguſtato ad naues rediere,ſignis & verbis gauiſos ſe inde diſcedere ſignificãtes. Credebant ciues & Patrũ patroni hac aditione omnẽ quę ſparſa erat, calumniã abolitã ac ſepultã, & recuperatã Tutani gratiã illis congratulabantur: quin & patres ipſi vlterius ſe exagitãdos nõ putabant. Ipſe etiã Conchifuius ſcribę nũ decretũ aduerſus illos latũ,Tutano offerendũ foret petenti ſuccenſuit. Tace,inquit,nec hac de re mihi loquaris,niſi rationẽ rogatus. Verum quod nonniſi curioſitate ductus Tutanus Patrũ domũ & elegantias,de quibus multa inaudierat, viſitaſſet; paucis poſt diebus,nõ obſtante quam oſtẽderat amicitia,ſentẽtiã ſigillo ſuo communitã executioni mandando, Xauquino patres diſcedere cõfeſtim voluit,tũ ꝙ aduenę forent, tũ ꝙ Bonziorũ doctrinę aduerſarentur. Domũ ſtipe collata cõſtructam redimi noluit; ne quã tamen poſtea redeundi occaſionẽ prętexerẽt, Sexaginta illis Taẽs pro ædibus perſoluit. Suã Patres innocentiã depromebant, ſe Macaenſibus aduenis perſimiles eſſe negantes;nec æquũ videri ſe,nulla admiſsã noxã,in Trincicũ regnũ vnde tanta cũ difficultate iã venerant,remitti. Quid.n.aiebãt,diſcrepat,mortẽ aut longinquũ hoc exiliũ ꝑpeti cũ tãta itinere hoc ſubeũda ſint pericula. Sed incaſsũ ꝓlata omnia. Conchifuio iniunctum vt pecuniã traderet, & naui imponeret. Omnem manendi ſpem pręciſam videntes Patres, paruere; ſed pecuniam admittere,

Creduntur Patres extra periculum eſſe.

Tutanus Xauquino eos pellit, & pecuniam illis dari vult.

Patres pecuniam renuunt, & cur?

ex P. Visitatoris præscripto, noluere; vt si forsan postea benignior succederet Tutanus, ablata repetendi ius semper integrum esset. Conchifuius vero, viso pecuniæ repudio, scripto petebat vt consignarent pecuniam à se oblatam, sed repudiatam. fecere Patres, Cantonem pergentes, mox Macaum profecturi; stipabant militares copiæ, quæ ad extremos vsq; Chinæ limites illos deducerent. Interim dum Cantone Macaum nauigandi opportunitatem præstolantur, subito à Tutano Xauquinum reuocantur. Nec distulere, dum mutatam illius voluntatem sibi persuadent: sed ex ore illorum scire volebat, num oblatam pecuniam repudiassent. Patribus ita se rem habere dicentibus, Nolim, inquit, sine viatico vos quoquã proficisci; probro mihi enim foret. Satis sibi nummorum esse ad Macaum proficiscendum, dixêre Patres; & rationibus depromptis hanc à se pecuniam amouebant. At Tutanus adeo indignatus est, vt interpretem illorum Sinam parũ abesset quin flagellis adiudicaret. quamuis enim linguæ patriæ vtcũq; Patres periti essent; tamen quando cum maioribus Mandarinis, de rebus magni momenti agẽdum erat, interpretem, ad commodius sensa mentis exprimenda, adhibebant. P. Riccius viso Mandarinum vere hoc ob repudium succensere, placare illum qua potuit modestia contendit. Addidit adhæc, cũ illorum, asignato in iter longinquum viatico luculento, miseratione tangeretur; etiam atq; etiam supplicare se, vt exiguum aliquem in China angulum concederet, ad quem se reciperent, nec Macaum redire compelleret; vbi etiã diutius subsistere non liceret. Aliam tum illis Tuta-

Tutanus prouinciæ vrbem aſsignauit; ſed Cantone & Xauquino abſtinerent: illa, quod prouinciæ metropolis, hac, quod Tutanorum ſedes, ad quam omnes totius prouinciæ Mandarini confluunt. Cur vero, inquit, quam offero pecuniam, non admittitis? erit enim vſui ad domum alio in loco ad quem concedetis extruendam. Tum Riccius: Cum ita Dominationi veſtræ videatur, per pecuniæ acceptionem nō ſtet, quo minus veſtra clientela fruuamur. Adeo vt pecuniam, qua de agebatur, tandem receperint. Porro non parum Tutanus mirabatur, cur tam inuite externi China, præter ceterorum hominum patrium ſolum amantium conſuetudinem, decederent; ſed ignorabat, quanta maiorum foret virium Dei amor in illis qui igne hoc cœleſti flagrant, quam naturalis in Patriam affectus. Adeo vero Patres pecuniam admittendo ſibi morem geſsiſſe lætabatur, vt cum ijs ipſis diebus Mandarinus Xaucheanus Tutanum adijſſet, illi redeunti vt Patres ſecum Xaucheum duceret, & de commodis ædibus illis proſpiceret, iniunxerit, quod haud procul inde amplum Bonziorum cœnobiū foret, à quorū viuendi ritu ipſos cum non multum diſcrepare putaret, quod barbam raderent, & mulierum contubernium deteſtarentur; facilem vtrimq; conuictum, aut ſaltem non tantum ad illos Mandarinorum, qui Xauquinum frequenter eundo redeundoq; commeabant, concurſum credebat fore. Vale ergo neophytis Xauquinenſibus dicto, quomodo in fide ſtabiles permanerent, edocuere; & Saluatoris Chriſti illis imagine relicta exhortati ſunt ſæpius ad Deū orandum conuenirent, ac præ-

Tutanus aliam Patribus vrbem aſſignat.

Xaucheum mittit.

 ſertim

fertim feſtis diebus: quos vt noſſent, factos illis Sanctorum Sinenſi lingua ita concinnarunt, vt diſtributis ordine diebus, annũ Sinarũ noſtro adaptarint. Tanta vero neophytorũ in addiſcẽdis ijs, quæ officij ſui forent, fuit ſollicitudo & anxietas, vt noctẽ ſupremã ijs ipſis impẽderint, lacrymãtes ac dolentes, tã præpropere ſe magiſtris ac paſtoribus ſuis orbari: nos cõſolati Patres, oſtendere cœpere, huiuſmodi amicis Dei afflictiones immitti, qbus erudirentur nõ habere ſe hic manentẽ ciuitatẽ, ſed in cęleſti Ieroſolyma permanentẽ ac ſtabilẽ ſedẽ fore. Deniq; ad fidei ſunt conſtantiã, & æquanimiã aduerſitatũ omniũ ob Dei nomen ingruentium tolerantiã cohortati: felicitatẽ ſummam rati pro diuina gloria aliquid in hoc mundo perpeti. Hęc ſuprema peracta ſunt nocte Xauquini: poſtridie vna cũ Mandarino, cuius cura cõ-

Xancheum petunt. crediti erant Xancheum nauigarunt, eiuſdem hęc prouincię vrbs eſt, ſed quadraginta & amplius, Septentrionẽ verſus, interiorẽ regionem petendo, à Xauquino diſtat leucis. Tutani & Conchifuij litterarũ auctoritate, poſſeſsionem loci aſsignandi adiere. Mandarinus, à quo deducebantur nuntiũ ad Bonzios qui haud procul ab vrbe commorabantur, in loco qui Nangoa dicebatur, præmiſit, vt hoſpites aduenas, quos Tutanus deſtinabat, domo admitterent. hinc fama Xanchei ſparſa, eſſe Patres Bonziorũ Nangianorũ Mandarinos ac præfectos conſtitutos, cenſuumq; annuorũ, qui ampli & luculenti ſunt, rationibus illos præfuturos. Idipſum & Bonzij ipſi credebant; adeo vt horũ antiſtites in ripa deſcendentes Patres, magno honore exceperint, atq; in capaciſsimum cœnobiũ deduxe-

duxerint. Sacrum hoc diuo cuidam Sinensi, qui sectæ nouæ, quam Bonzij sequuntur, fuit inuẽtor & auctor. Delubrum amplũ habent & splẽdidũ in cuius vnico sacello quadringentæ deauratę visuntur statuæ, ante quarum primariã quadraginta & amplius lampades collucebant. fani magnitudinẽ splendoremq; Patres demirati sunt. Obstupuere vicissim Bonzij, cum Patres loco sancto (vt ipsi sibi persuadent) & idolis nullũ exhibere honorem conspexere. Cœnobio perspecto vrbem adiere Mandarinos salutaturi; atq; eum imprimis, cui commissi erant, à quo summa sunt humanitate excepti, interrogatiq; num quem viderant locum arrideret, & num ibidem aut in vicinia saltem, commorari vellent: si enim displiceret, de alio se loco prospecturum spondebat. Aliam sibi vrbi viciniorem vt daret, flagitarunt Patres. Facturum se ille recepit. Idcirco in prædium eos deduxit suburbanum, quod à Bonziorum cœnobio nõ procul distabat, placuit hic locus & commodus videbatur ad domum simul & templum quod inprimis desiderabant, constituendum. Placere locum gaudens Mandarinus; dũ Tutanum non repugnaturum arbitratur, ædificandi quod voluissent, facultatem concessit. Multi ciuium, viso Mandarini in Patres affectu, illos adiere quam officiosissime, nam Cantonensibus & Xauquinensibus humanitate & officijs præstant, atq; idcirco magnum hic, Deo auspice, Patres facturos se fructum sperabant. At cacodæmoni cum non sufficeret Xauquuno illos pulsos esse, Xaucheo etiam pellere contendit, aut quam sibi paulatim auctoritatem parabant, infringere & eneruare, quo illorum

Monasterium Bonziorum incolere nolunt.

Haud procul ab vrbe domum nanciscuntur.

doctrina non ita grata auditorum auribus accideret; idcirco nouam ijs persecutionem, cuius hæc fuit occasio, machinatus est. Patres enim cum in loco quem diximus, domum & oratorium excitassent, exigua satis, tamen ad functiones peragendas satis apta; credebant nonnulli, magnam apud illos auri vim esse, cum tantillo tempore hanc casulam erexissent.

Fures XII. domum diripiunt.

Hinc fures XII. occasione sumpta domum clanculo de nocte ingressi sunt, vt quam latere putabant pecuniam, diriperent. Sed spe frustrati tum domus tum templi supellectilē abstulere. Delata mox hęc ad quatuoruiros vrbis, sed non à Patribus, hi in furum tum ratione officij, tum quod à Tutano huc missi forent Patres, inquisierunt, & fures comprehensos ar-

Capti sunt.

ctæ custodiæ manciparunt. Haud multo post Xaucheum Visitator appulit, cuius solius est mortis sententiam ferre; quæ furibus ex patriarum legum præscripto certissimo infligenda erat. Fures Visitatoris aduentu comperto, dum certo scirent, si Patres damnum posse ibidem manerent, mortem se euadere non posse, libellum aduersus eos obtulere. hic illos externos esse criminati sunt, & cū exteris clancularia agere commercia. æquissimum propterea videri Xaucheo illos pelli. Vnus quatuoruirum, qui Patres magno amore complectebatur, huius astus illos certiores reddidit; qui nuntius non parū illos consternauit. Videbant enim se, si à Visitatore (qui supremis totius prouinciæ iudex) loco hoc pellerentur, nulla humana fieri ope posse, vt aliquo Chinæ loco subsisterent. At Dominus hanc breui procellam discussit. Per quatuor enim præfectorum manus libellū transi-

transire cum oportebat, antequam Visitatori traderetur: quorum vnus furum partes fouens eundem offerri volebat. Sed secus sentientibus alijs, solus cogitata efficere non potuit. Cum itaque dies morti præstituta aduenisset, P. Riccium Visitator euocauit, vt in maleficos animaduerti peteret. Cui Riccius, non modo accusare se nolle ait, sed etiam atque etiam exposcere, vt indemnes ac sine infamia vlla dimitterentur. Miratus hanc benignitatem Visitator, non parum lætatus est, quod tot simul neci dare non teneretur. Idcirco, dum illos accusari à Patribus non vidit, nec ipse vita illos, vt leges præscribunt, priuare voluit; sed flagellis acerrime cædi.

Patrum interuentu à morte liberantur.

Cæterum generosum hoc Patrum facinus adeo gratum auribus omnium accidit, vt nemo nisi cum honore de illis loqueretur. quin & fures ipsi illorumq; amici & consanguinei gratias acturi veniebant, æquum videri, ac virtutes illorum promereri, vt in China manerent, cum pro malefactis beneficia rependerent. Putabant Patres nebulam ac procellam ita detumuisse: at Satan horum omnium auctor & instigator, qui illos China proscribi etiam atque etiam desiderabat; fures hos & affines iterum commouit, vt beneficij accepti immemores, sed tormenti & ignominiæ memoriam refricantes, & secunda & tertia vice, Patres Xaucheo proscribere tentarint. Visitatori hanc in rem libellum offerunt, quem tres præfecti superiores reiecerant. quorum ingratitudinem & nequitiam miratus à se dimisit, nec audire quidem voluit. Sed nec ita quieuerunt.

Iterum fures in proscriptionem Patrum incumbũt.

Interim aliquot post mensibus, præfectus is,

Item tertio. qui Patrum partes hactenus fouerat, ad regem mittitur; cuius in locum primatem suffectus is, qui secundus ordine furum semper causam egerat. Tempore vtendum rati fures, consanguineorum ope nixi, huic præfecto libellum offerunt, quo aduenas vrbe pelli postulabant. quod haud dubie postridie factum esset, ni De⁹, qui suos tuetur, nocte sequente mortem illi immisisset. Atq; ita irritus omnis illorum fuit conatus. Primarius præfectus è regia reuersus, audito, quo in discrimine fuerint se absente Patres, & diuinitus illos ereptos esse, maiorem quam hactenus illis amorem demonstrauit; hinc frequenter domum illorum adijt, & quomodocumq; poterat, auxilio fuit. Illius ergo fauore nitentes, fidem Christi publice Xauchei prædicare cœperunt, sed caute ac prudenter, vt æquum erat, ne quam Bonzijs & Mandarinis sinistræ suspicionis ac tumultuum ansam darent.

Miraculose Patres liberantur.

Quid Xauchei egerint. Anno ergo M. D. XCIV. mense septembri, Deo iuuante, aliquos baptismo tinxerant, & hos inter Eruditum quendam, Magnatis cuiusdam filium; præter alios plures, qui ad eiusdem susceptionem disponebantur. Præcipitare tñ hic Patribus non placuit, sed lentius procedere, vt iam ante Xauquini, nullos baptismi consortes reddendo, nisi iam rite probatos & instructos: vt si forsan & hinc pellerentur, sine cortice neophyti, in Patrum absentia, Deo iuuante natarent. Semper tamen hactenus Xauchei permansere, neophytam illam Christi vineam indefesso labore colentes, quo palmites proferret; & sane non irrito conatu; multos siquidem Christo peperêre, & indies etiam pariunt. Videamus iam, quomodo dilatare pro-

propagines, & ad alias etiam prouincias Euangelij lumen deferre contenderint, & præsertim ad primarias regni ciuitates.

CAPVT XXIX.

P. Matthæus Riccius Mandarinum comitatus, ad interiora regni penetrat; Nanquini commorari dum vult, repulsam patitur.

DVm Patres Xaucheani intimam regni partem adire, & paulatim Paquinum peruenire satagerent, insignem anno M. D. XCV. mense Aprili occasionem nacti sunt. Nam Mandarinorum primariorum quidam, quem Xeyam appellant, à rege euocatus, vt à consilio militari foret, Xaucheū appulit. hîc magna pompa & festo apparatu ab vniuersis excipitur. ad dies aliquot hîc cum hæreret, externos quosdam sacerdotes, rerum multarum peritos in vrbe agere comperit. Hos ad se confestim euocat, nam filio, quem ægrum secum trahebat, opem forsan afferre posse sperat. Adeuntes Patres maiori gratulatione & affectu excepit, quam Mandarinos quoslibet. Varijs de rebus habito sermone, filij morbum aperuit, si qua pellere arte morbum possent, hanc adhiberet, rogat, nec ingratum se fore. Riccius tam insignem Paquinum aut aliā vrbem primariā petendi occasionem oblatam gaudens, idq; prætextu Mandarini comitandi; quidquid suarum esset partium, q̃ libentissime se præstiturū spopondit. sed tantillo, quo Xauchei ipsi commorari licebat tempore, vix pelli posse; at, si videretur paratum se Paquinum vsq; comitari, & tum

Mandarinus regiam petens Xaucheum pertransit.

tum in itinere, tum in regia sedulam filij rationem habiturum. Non displicuit hoc Xeyæ, quod de filij incolumitate maxime laboraret. Xaucheano igitur præfecto, litteras vt expediret, quarum munimine secure regnum transiret, indixit. Post biduum, habitis litteris. Xeya cum suis itineri se accingit; quem Riccius, assumpto puero Chinensi, callido & prudente, naue secutus est, Xauchei P. Lazaro Cataino relicto, is haud pridem Macao appulerat, quod vterque Riccij socius Xauchei esset demortuus. Xeya modo terra, modo aqua iter peregit; quem quia Riccius cymba vectus, sequi non poterat; in prima illum prouinciæ Chiansiensis vrbe, quam Nanganfuium nuncupant, expectaturum se spopondit. Antequam huc peruenias, Namum oppidum pertranseundum: quod vero anfractibus varijs & circuitu longo hic flumen mæandrizet; ne tædiosa sit nauigatio, terra iter vt plurimum confici solet. Via quoque, quæ duodecim Leucarum, & elegans est & commoda: nam lateribus constrata, etiam tempore pluuio lutulenta non est. vtrimque enim lacunæ ductæ, aquam omnem excipiunt; quas saliceta procera inumbrant. Namum cum peruenisset Riccius, Xeyam ab aliquot diebus hic fuisse comperit: quem aduentus sui confestim certiorem reddere voluit. at quod magnæ vir auctoritatis foret, non facile dabatur aditus. hinc in œconomi & secretarij se gratiam insinuauit, elegantias aliquas & cimelia Xeyæ danda, ostendens; clepsammidiũ scilicet, ac vitrum quoddam trigonum aliasq; minutias, quæ in China ob raritatem permagni fiunt. Secretarius cum ad dominum hæc retu-

Cur P. Riccius Mandarini comes esse voluerit.

retulisset, postridie Riccium ad cœnam inuitauit, & in multam noctem prolato colloquio varia ab illo petiuit. Intermiscebat nonnunquam de fide Christiana sermonem Riccius, quem Xeya non grauate se excipere ostendebat. Denique cum de filij sanitate nonnihil egisset, Riccius se Paquini, aut Nanquini saltem, commorari libenter velle aperuit. at hoc nefas esse Xeya respondit, quod externos hisce præsertim in vrbibus, sedem figere non liceret, Nanchanum vero, quæ Chiansiensis prouinciæ vrbs, nobilissimis non cedit, interim concederet. Tum finito sermone, bona Xeyæ cum venia Riccius discessit. Postridie rursus euocatur, & diutius cum Xeya locutus aliquot libros mathematicos, & instrumenta protulit. Exinde Xeya cum suis naues, conscendit, & Riccius suam, ac simul Canchefuium venêre, vbi tum prouinciæ Tutanus erat. Magna hic gratulatione & applausu Xeya excipitur. Tutanus enim & Mandarini omnes tribus stipendiariorum millibus stipantibus, obuiam progressi sunt; quem milites transeuntem, ordine dispositi, sclopetorum displosione salutarunt. Postridie lautum illi ex ærario publico datum epulum, exhibita dramata, aliaque gratulationis signa. Riccius interim naui delituit. nam cum vrbis spectandæ gratia egressus, magna populi, velut ad monstrum ac prodigium spectandum confluentis, corona cingeretur, ne quam Xeyæ ab adductum externum, pœnitendi ansam daret, naui se clausit. Biduo post secundo flumine deferuntur: vix leucam confecerant, cum in difficile ac periculosum venêre octo fluminum confluuium, quod inde patria

Agit Riccius cum Mandarino.

tria

Iapatanum locus difficilis. tria voce Iapatanum vocarunt. Octo enim hic flumina concurrunt, & vndiquaque acutissimæ rupes nonnullæ aquis tectæ, nonnullæ etiam prominentes. His naues aliquot rem Xeyæ deferentes illisæ periere. Nauis quoque Riccij *Riccius pene hic mergitur.* paulo inferius, scopulos transiens in frusta dissilijt; sed ipse nando, non sine præsentissimo vitæ periculo euasit. Puer vero Sina, hic perijt; neque enim postea comparuit; nam præceps aquarum impetus, procul inde abripuerat. Quam iacturam Riccius peracerbe tulit. nam pueri opera reliquo itinere opus habuit; sine ipso siquidem nihil pene efficere potuit. Xeya Riccium, comperto casu solatus, puerum diligenter conquiri iussit, sed frustra. Biduo *Quianganfu vrbs.* post Quianganfuium vrbem, & munitissimam & opulentissimam peruenêre. ciues hæc habet insignes & locupletes; è primarijs totius regni est; & sola tantũ regi vectigal pendit, quantũ prouincia integra. Opida & ciuitates habet in territorio plurimas; quin & commercia, sic ob institorum copiam frequentia. Hoc & aliud discrimen adire, ea ipsa nocte qua vrbem subiere: adeo vt Xeyæ & Riccij nauis in maximo versarentur discrimine. Quocirca reliquũ iter terra conficere Xeya voluit, sinistra sibi euenisse, ob Patris comitatum ratus. Idcirco Secretario iniunxit, vt Nanquinum, quæ prima à Paquino vrbs est, illum deduceret. Xeyæ propositum, cum intellexisset Pater, postridie mane illum adijt, litteras patentes postulaturus, quibus Nanquinum sine vllo maleficio ac tuto ingredi liceret, cum Paquinum vsque comitari nefas foret. non posse se easdem donare [illegible]it, quod nondum dignitatis sigillum

gillum

gillum accepisset, sed daturum operam spopondit, vt Quianganfuiensis præfectus easdem daret, & tuto illum seruis suis comitantibus, eodem posse pergere. Aliud cum impetrare non posset Riccius, quieuit. Allatæ tum litteræ & amplissimæ, & beneuolentissimæ, quales hactenus in vniuersa China non obtinuerat. His namque incolam illum ac ciuem à Tutanis & Mandarinis declaratum afferebatur, vti colligere licebat è litteris, quas Xauchei acceperat, cui proinde Nanquinum & alia regni loca adire licebat. Hoc munimine Pater, eo ipso die, quo Paquinum alter terrestri itinere petijt, duobus Xeyæ famulis comitantibus, nauem conscendit, & secundo flumine Nanquinũ delatus est. at ꝗ memoranda quædam hoc itinere contigerunt, paucis eadem hic perstringemus.

Iter P. Riccij Nanquinum versus.

Quianganfuio ergo postquam decessit, ad aliam territorij illius vrbem deuenit, incidit hic in Mandarinum, à quo Xauquino Xaucheum deductus fuerat, à quo benigne habitus est. inde Ningubaofuium delatus, vbi flumen quod conscenderat, adeo late patet, vt in nouem se cornua, insulas aliquot amœnas constituens, diffundat. Postea Nanchanum, Chiansiensis prouinciæ metropolim, peruenit. exscensione facta magna ciuium mox corona, qui velut rem nouam conspecturi, huc confluebant, vallatur. Quamuis enim externi Sinarum ritu induantur, vultus tamen lineamenta facile eos produnt, oculi maxime, nares & barba. Plerięꝗ à Xeyæ famulis petebant, qualis hic aduena foret. quib. illi insignẽ esse Philosophum Occiduis profectũ par:ibus, esse responderunt; vnde non parua in eorum animis orta admiratio.

Viso

Viso spectantium confluxu Riccius in nauem se recepit, sed & tantus hîc concursus fuit, solus vt esse vix potuerit. Neque enim illius aspectu modo capiebantur, sed & varia ab ipso percontabantur. Nanchano, eodem flumine defertur; quod eadem altitudine latitudineque, in duo rursus diuiditur brachia; hoc Iaocheofuium tēdit, quæ vrbs figlinis porcellanis vasis nobilis est; illud vero Nanquinum. ter hoc cœptam nauigationem confecêre, donec ad lacum venêre, è quo plurimi amnes originem trahunt, quorum pars in mare mox se exonerat, pars longius cursum extendit. hunc vrbes & pagi varij hinc inde prætexunt; ad sæuam ingens ciuitas spectatur Nanquafuium. Haud inde procul mons altissimus, cuius vertex perpetua, quamuis cœlo sereno cingitur nebula, & trecenta sexaginta quinque idolorum fana continet, numero anni dierum respondentia. Varia hic item Bonziorum inediâ corpus emacerantium cœnobia.

Iaocheofu vrbs porcellanis vasis nobilis.

Nanquafuiũ vrbs. Mons altus.

In lacus ostio munitissimum atque elegantissimum est opidum, exiguum tñ ingenti, sectum flumine; hoc tantæ altitudinis esse iactāt Sinæ, vt quibusdam in locis fundus haberi nequeat. Vbi angustius est, semileucæ est latitudine. Hic initium territorij Nanquini est, quam vrbem indigenæ Nanchili, & Nanceli nuncupant; de qua nonnulla etiam hic dicenda sunt. Duobus & triginta gradibus altitudinis Borealis est, in Xantij fluuij ora sita; qua post Paquinum, nulla Sinensium vrbium aut maior aut insignior. Quod enim commoda foret, veterum Regum sedes fuit. Huc namque ex omnibus regni prouincijs facile iter patet,

Nanquini descriptio.

cum

tum quod maxima fluminum pars huc defluat, tum quod in regni vmbilico, oram maritimam si legas, sit constituta: nam nonnisi denis abest leucis. At quod vrbes Septentrionem spectantes, assiduis Tartarorum incursibus deriperentur; regia Paquinum translata, quo rex inimicis cornua tollentibus, propior foret, & hostilia retunderet. Tametsi vero Reges sedem mutarint, regiæ tamen ipsa ciuitatis nomen semper retinuit, iisdemque priuilegijs & iuribus modo gaudet, quibus olim, dum reges incolerent. Hinc regium hic concilium idem magistratus, & dignitates ac prærogatiuæ eædem quæ Paquini. Idcirco hæc Septentrionalis, Nanquinum australis regia dicitur. Triplici lateritio cingitur muro (vt Riccius qui coram vidit, testatur:) singulorum ea latitudo, vt duobus iunctim curribus iter commodum pateat. Primus circuitus, quique vrbi proximus, sena passuum patet millia, nostro calculo sesquileucam. Duodecim in locis peruius est, singuli aditus quatuor habent portas lapidis iactu à se inuicem distantes. ferreis hæ laminis, & quidem densioribus coopertæ sunt; in muro vero intermedio tormenta disposita, & præsidiarij collocati. Hic vectigal ex omnibus in vrbem inuectis mercibus exigitur. Intra hunc murum regiæ sunt, & horti circumquaque iucundissimi, stagna, viuaria, & domus ad delicias constructæ, nemora & luci amœnissimi, omnigenis referti feris. Elegans vrbis proportio est, vici recti & lati, domus quamuis humiles, intus commodę & pulchræ ac præsertim regiæ.

Triplici muro cingitur, eiusq; magnitudo.

Intra hunc regia est.

Intra hunc circuitum Mandarini, Eruditi, a-

Intra secundum regij præsidiarij. lijq; magnates commorantur. Secundus murus viginti Italica complectitur miliaria, aut leucas quinque, eadem materia, forma, latitudo quæ proris. Inter vtrumq; hunc circuitum vrbis præsidiarij agunt, qui plusquam quinquaginta millia, vt Chinenses vulgo iactant, & P. Riccius testatur. Extimus murus quadraginta passuum millia, vel decem patet leucas, sed hunc multis in locis interlabentia secant flumina. Hunc inter & secundum coniectæ sunt opificum tabernæ ac vulgus, atque idcirco suburbia pars hæc vocatur. Sed ad propositum redeamus.

Riccius Nanquinũ venit. Riccius cum Xeyæ famulis, cum Nanquinum appulisset, illi ad sua reuertunt, orantes nemini dicerent, in Xeyæ se comitatu venisse, neu diutius in vrbe, ac sæpius in vrbe versaretur, ne quis inde ortus tumultus in Xeyam redundaret. Ille vero tanta in vrbe cum solum se, & omni humano auxilio destitutum cerneret, videretque nihil inde detrimenti Xeyæ oriturum, quamuis illius in comitatu venisse constaret, quin potius multum id sibi profuturum; illorum noluit acquiescere consilio. hinc omnibus adeuntibus & rogantibus, Xeyæ se ductu eôdem venisse dixit; illius enim nomine gratior erat aduentus. Igitur domum extra secundum murum conduxit.

Domum conducit, & amicos parat. Incidit hic forte fortuna in adolescentem medici filium, quem Xauchei nouerat, & Nanquini hactenus egerat; à quo didicit, esse hic & alium adolescentem Tutani Cantonensis filium, quem Riccius olim familiariter nouerat, qui etiam illum adijt. Hoc pacto amicos parauit, non hos modo adolescentes, sed

& alios, quibus illi amici erant, & præsertim Eruditum quendam, magni nominis, & opum virum, illius quoque filium, etiam Eruditum.

Quater quiniesue illorum conuiua fuit; actum nonnulla de fide Christiana aperuit, quæ grata auribus accidere videbantur. Magnos hic se fructus collecturum sperabat, cùm tam felix auspicium res habuisset. at dæmon omnis boni inimicus, totum negotium perturbans, opinato citius loco illum discedere compulit.

Cognito namque Riccius Mandarinum, quem olim Xauchei nouerat, insigni Nanquini munere fungi, non absre putauit, illum adire. illius vt ope auctoritateque si opus foret, vteretur. Adeuntem ille magna initio gratulatione excepit, at cognito, Nanquini sedem illum velle figere, adeo succensuit, nullis vt verbis ad mentem reduci potuerit, quamuis in Xeyæ se comitatu venisse diceret, litterasque depromeret, multis etiam prolatis rationibus, quibus ad propositum dilaudandum permoueret. Metuebat scilicet (quantum illius è verbis colligi poterat) ne rex aut assessores regij, audito Riccium Mandarini domum adijsse, illum opem afferre aduenæ, vt Nanquini contra patrias leges commoraretur, crederent. Quocirca quo periculis occurreret, mox euocauit illum, apud quem Riccius diuertebatur. Misellus confestim ad Mandarinum violenter abripitur, virgarum minæ intentantur, quod aduenam sacerdotem Mandarini iussu domo excepisset; sed nonnisi merus fuit timor. Iuramentũ dũtaxat præstitit publicis literis, Ricciũ à se

Mandarinum adit, quem olim Xauchei nouerat.

Mandarinus succenset, quod Riccius Nanquini agere decreuisset.

Ad prouinciam Chiansiensem pater mittitur.

à se mox in Chiansiensem prouinciam, vbi litteras acceperat, ductum iri. Mirabatur subitum Mandarini decretum Riccius, quò spem suam omnem concidere videbat: at quod è primoribus Mandarinis foret, refragari ausus non fuit, ne & virum magis exacerbaret, & hospitem in grauius periculum conijceret. Eo igitur vnde venerat, quamquam inuitus rediit, sperans forsan meliorem Nanchani res suas successum habituras, vbi paulo ante transiens mira ab omnibus exceptus fuit beneuolentia.

Nanchianum petit.

Incidit hic in famulum Tutani prouinciæ, qui eandem petebat vrbem; qui non modo comite illo gauisus est, sed & ædes Nanchani conquisiuit, ad quas Riccius diuertit, & ciuium paulatim gratiam est aucupatus, vt commorandi facultatem, vti iamiam referemus, obtinuerit.

CAPVT XXX.

Nanchanum describitur: commorandi hic à Tutano Riccius facultate obtenta, Euangelium promulgare cœpit; quis hic & Xauchei fructus editus.

Cur Nanchanum frequens oppidum.

NAnchanum Chiansiensis prouinciæ metropolis est; hanc aliasque ob causas, quas postea referemus, & propulsa & frequens est, & à magnatibus Eruditisque incolitur. Potior namque ciuium pars è regio prognatis sanguine constat. Solent namque Chinæ reges liberos omnes, preter regni heredem, Nanchanum mittere. Hic palatia singuli habent amplissima & censum lautissimum pro dignitate, quotannis recipiunt. quamuis autem omni reip. & prouinciæ administratione exclusi sint, à Mandarinis

rinis tamen maxime coluntur. Pluribus etiam priuilegijs gaudent; quæ alijs non dantur. Quod vero progenies regia hic plurima sit, hinc quartam aut quintam ciuitatis partem pene occupant regij. Sed tres familię præcipue, quarum capita ac primarij reges dicuntur, & sane regiam pompam præferunt, maxima famulorum caterua stipati. Multi hic etiam Eruditi, alij iam Mandarinatu defuncti, alij ad eundem aspirantes. Malunt namq; hic inter nobiles agere, quam in Patria aut alio in loco exauctorati & priuati viuere. Hinc Nanchanenses cæteris Sinarū sunt, & humaniores & honestiores. Huc secundo, cum Riccius concessisset meliori, quam Nanquini sorte vsus est. Hospes apud quem diuertebat, bonus & benignus erat, multasq; cum incolis agendi rationes suggerebat. Dicebat inter cætera, medicum hic esse Xeyæ familiarem. Hac occasione vsus Riccius, virum adijt, à quo benigne exceptus fuit; postridie vero ipse Riccium; & paucis post diebus lauto conuiuio excepit, cui duo interfuêre magni nominis viri. Inter prandendum nonnulla fidei mysteria Pater aperuit, quæ gratis auribus excepêre; atq; ab eo tum tempore legem quam docebat, & eruditionem qua pollebat per vrbem deprędicarę cœpêre; publice referentes, insignem ex Occidente virum eruditione & scientia illarum appulisse. ac medicus inprimis, qui præconem ac tubicinem Patris elogiorum agebat; nam apud Mandarinos & alios vrbis primores ita illum commendabat; vt Mandarini adeuntem, magno honore & applausu exceperint.

Riccius hic agit, & in medici se insinuat gratiam.

Medicus hic auctoritatem Riccio comparat.

Denique ita nominis illius & eruditionis

fama per orbem diffusa est, vt è Mandarinis quidam Tutanum de omnibus certiorem reddiderit, oraritque, vt in vitam agendique rationem inquireret, quis esset, vnde, quomodo & quamobrem venisset. Tutanus ergo cognito Medicum Riccij familiarem esse, ad se virum euocauit, quis aduena esset, qui cum ageret familiarius, petijt. Ita Riccium ille dilaudauit, vt Tutano videndi iniecerit desiderium. Ne tamen officio deesset, vni è quatuor Mandarinis primarijs inquisitionem in vitam aduenæ demandauit, sed modeste eam ac sine vllo tumultu fieri voluit. Medicus Mandarinum hunc adit, & Riccium de meliore nota commendat: quem postridie Mandarinus euocat, & magni momenti negotium illi se, Tutani nomine, credere velle significat adeuntem. Mandarinus magno apparatu & gratulatione excepit, vnde & qua huc venisset, via percontatur. Xeyæ se comitem fuisse ait Riccius, ac litteras habere, quibus sibi hic commorandi copiam factam aiebat; sed vt appulit, præfectos loci se ob morbū quo hactenus pene decubuerat, adire non potuisse. Placuit Mandarino responsum, & ad Tutanum se de omnib. relaturum ait, & quocumque loco posset, auxilio futurum. Postridie & ipse tribus collegis alijsq; stipatus, Riccium domi suæ salutatum venit.

In vitam Riccij inquiritur.

Huc non parum contulit, quod Xeyæ amicum se diceret, inque illius comitatu venisse; magna namque Xeyæ hoc in loco erat auctoritas. Hospes & vicini omnes viso, quem ei Mandarini omnes exhibebant honore, pluris eum facere, quam ante cœpere: quin & Tutanus auditis, quæ Mandarinus, cui inquirendi nego-

A quatuor vrbis præfectis inuisitur.

negotium dederat, referebat, videndi se illius cupidum ait. Quamobrem cunctandum neutiquam ratus Riccius, Tutanum adijt; hic venienti assurrexit, neu prius resedit, quam Riccius propius adesset: qui tum more instituto que patriæ ingenua procumbens, mox surgere iussus est. Dimidiæ horæ spatio & amplius de varijs rebus collocuti sunt. Intermiscebat nonnunquam sermonem de religione Christiana Riccius, de Mathematicis item disciplinis & de horologiorum indicumq; solarium conficiendorum ratione: libenter namque Sinæ de hisce rebus disserentes audiunt. Trigonum quoq; quod penes se habebat vitrũ, illi ostendit, quod Tutanus non parum suspexit transparentes in diaphano colores demiratus. quod illi Riccius obtulit: sed repudiauit alter, ne quam adstantibus sinistræ suspicionis ansam daret. Vlteriusne pergeret, an Nanchani commorari decreuisset, petijt. Tum Riccius; Toto illo tempore quo in Cantone prouincia egi, parũ firma vsus sum valetudine, & duo collegarũ Xauchei demortui; hinc inde Nanchanũ concessi, ꝙ is locus inprimis cõmendaretur, & hic sedẽ figere, bona cum Excel. vestrę venia decreui. Annuit Tutanus, & cõmorandi facultatem benignus dedit. Ingentes tum Riccius gratias agere, & discedens officiose cõpellare: at Tutanus gratũ sibi futurũ dicere, si indicẽ solarem sibi pararet. Facturũ propediem se recepit Riccius. Interim alios, Tutani amicitia conciliata, sibi Mandarinos deuinciendos cogitat. Singulos ergo amice compellans & inuisens à Tutano sibi copiam factã ait Nanchani agendi; quã illi omnes sunt congratulati. Vt cognitum est, Riccium hic domicilium fixurum, & Tutanum

Tutanus illum videre desiderat.

Tutanus Nanchani commorandi copiam facit.

facultatem fecisse, multi tum Eruditi, tum optimates sanguine illustres illũ adiêre: vt affluentem turbam domus non caperet. Hinc nonnulli etiam regij sanguinis, quos hic supra agere diximus, non modo amice domum illius se contulêre, sed & conuiuam suum esse voluerunt. Excusare se Riccius non est ausus, illorum gratiam aucupari gestiens; vt cum Christianæ fidei annuntiandæ tempus commodum affulgeret, quod inprimis desiderabat; illos benignos & attentos experiretur. Cum quodam tempore inter mensam de memoria locali, artificialiue, cuius artem Riccius habebat, sermo incidisset, conuiuas singulos litteras nulla seruata serie & confuse, quascumque exarare voluit; quas semel inspectas se memoriæ ita mandare posse afferebat, vt suo quamque ordine memoriter recitaret.

Arte memoriæ nomen sibi parat.

Incredibile hoc principio omnibus videatur; inuisum enim & inauditum hic hactenus. Sed sine vlla hoc difficultate Riccius præstabat, vt qui artis iam dudum periculum fecisset, & assueuisset. Charta allata quisque quos voluit, characteres depinxit, quos inspectos ille memoriter eadem serie, magno illorum cum stupore recitauit. Nam, teste Philosopho, admirationis causa ipsa est ignorantia. Mirati vero, tum inprimis sunt, cum eosdem inuerso ordine, à calce ad caput vsque percurrit.

Qui huic sermoni interfuerant nobiles, tota eum vrbe sparserunt, vt plurimi Eruditorum, etiam Mandarini alijq; optimates, artis huius discendæ cupidi ad illũ confluxerunt. Benigne singulos pro dignitate excipiens, & officiose eã

se

ſe non modo artem, ſed & alia permagni momenti, declaraturũ ijs ſe, vbi domus commodior pararetur, ſpopondit. Erat inter Litteratos quidam fama illuſtris, qui alios docere contentus, nulli omnino magiſtratui dignitatiq; inhiabat. Sexageſimum hic annum exceſſerat, ac triginta iam compoſuiſſe tractatus, ſingularem eruditionẽ ſpirantes, vulgo dicebatur, quos edere volebat. Virtutum adhæc fama inclytus erat. Horum factus certior Riccius, virum adijt, vt illius diſcipulorum ſibi gratiam conciliaret. Adeo vero grata Sinæ hæc Riccij fuit compellatio, vt quoties ſe daret occaſio, illi ſe auxilio futurum ac tantam illius, quantam ſuarum rerum rationem habiturum ſpoponderit. Hinc ipſe & diſcipuli magno Patrem ſunt amore proſecuti, & de facto in ijs quæ ſe offerebant, ſincere illi & amice, quid faciendum foret, conſulebant; beatos ſe rati, quoties illum adire & addiſcere quippiam dabatur. Sinenſes enim, & præſertim Nanchanenſes, turpe ſibi non ducunt ab alijs diſcere, neu conceptæ ſemel opinioni mordicus inhærent. Quam obrem tanto Riccium honore & veneratione colebant, ac ſi per annos aliquos illius ſub diſciplina egiſſent. Porro non Mandarini modo & Eruditi, ſed & magnates & Principes regij ſanguinis, illum diſcendi gratia frequentabant. Atq; inter ceteros quidam è tribus primarijs familijs, quas regias dicunt, illius amicitiam ac familiaritatem deſiderabat: at quod ob illuſtre genus & auctoritatem, turpe futurum crederet, ſi domum aduenæ ipſe adiret; euocare tamen ad ſe, ob inſignem quem illi deferebat reſpectum, non auderet;

In Eruditi cuiuſdam amicitiam ſe inſinuat.

Gratiam aucupatur Principis cuiuſdam.

dolebat illius conueniendi sibi occasionē præcidi,& familiaritate se quam tantopere desiderabat,frustrari. Riccio medicus hoc principis desiderium indicat; qui confestim illius palatium adijt; quem Princeps magno honore & humanitate singulari, (grauitatis tamen suæ limites excedendo, quam, vt colligere erat,vix seruare mentiendo poterat, quam familiarissime cum Riccio agere dum vult) excepit. Plusquam horam simul de diuersis rebus egerunt. obseruauit hic Pater, illum quæ de æterna vita dicebantur,attentis auribus accipere; vt potiorem horæ partem ijsdem impenderit magna Principis cum voluptate. Antequā vale diceret,postridie fuit à Principe inuitatus; sed conuiuio ipse,Sinensium magnatum more non interfuit; filium tamen primogenitum,vnicum heredem, mensæ voluit accumbere. Mensa remota, dum varijs de rebus loquerentur,piam Deiparæ illi imaginem Riccius ostēdit. hæc adeo Principi placuit, vt ad aliquod sibi tempus domi concedi postularit, quo per otium contemplaretur ac spectaret. Interim duas sibi curat ad illius imaginem depingi. Paucis post diebus attulit illi Riccius S. Stephani effigiem, quam ille velut eximium munus complexus est, & scite circumquaque exornari iussit. Aliquot interiectis diebus per medicum Princeps significauit,illius se socium, id est, discipulum esse velle, (hoc enim verbo magnates vtuntur, dum ab alio minori aliquam addiscere scientiam volunt) at,quo melius & rectius edoceretur, optare se vt in palatio commoraretur; oblatisque omnibus conditionibus, etiam atque etiam id flagitauit.

Princeps esse illius [illegible] discipulus.

Assen-

Assensum dare noluit Riccius, plurimis de causis, in primis, quod libertatem docendi quæreret, & ad plures Euangelicæ doctrinæ vtilitas emanaret. Quod in loco, qui ab omnibus libere adiri poterat, dum de Christiana doctrina exhortationes haberet, fieri oportebat; non vero in palatio; quo vulgus & populus, accedere non audet. *Renuit id Riccius.*

Hoc initium ait Residentiæ Nanchanensis. Anno igitur M. D. XCVII. duas in vniuerso regno Socij habebant; vnam Xauchei, in Cantonensi prouincia, centum à Macao leucis dissidẽtis, vbi Lazarus Cataneus & Nicolaus Lombardus cum alio Sacris non initiato, & adolescentibus duobus Sinensibus, qui ad Societatem aspirabant, commorabantur: alteram vero Nanchani, quæ vrbs quadringentis Macao leucis abest; agebant hic Matthæus Riccius Chinensis missionis superior, & Ioannes Soëris, cum fratre coadiutore, & adolescentibus binis China oriundis, qui Macaensi in Collegio litteris operam dederant, & Societati asscribi enixe postulabant. Vitæ bonæ exemplum dare Sinis imprimis satagebant, ac deinde aliquam illis Creatoris cognitionem inserere; sed id paulatim, ne Mandarinis daretur occasio vnico destruendi momento, quod tanto tempore sudoreq; paratum foret. Quod sane verendum erat, si multi simul ad Christi castra transiissent. Interdum tamen aliqui baptismi compotes fiebant; qui, Dei adiuuante gratia, à fide suscepta non deficiebant, sed vitæ honestate infidelibus, quibuscum agebant, exemplo erant. Inter alios quidã, Xauchei à P. Riccio baptismo tinctus, q ad suos in patriã se cõtulit, & sol⁹ inter ethnicos Christiano ritu vitã agebat. *Neophytorum con-stanti[illegible].*

Hic

Hic domo sua Patres Xaucheo Nanchanum petentes excipere solebat, & magna ijs pietate affectuq; obsequebatur; quæ illi officia salutari doctrina tradita compensabant. Interdum quoq; certo anni tempore, maxime quadragesimalis ieiunij, Xaucheum se conferebat, quo exhortationibus quæ Christianis tum fiebant, interesset. singulari vero, quam omnes de Patrum doctrina conceperant opinio, vnica erat causa, cur magni ab omnibus fierent, & frequentarentur; ac præsertim ab illo tempore, quo deposita Bonziorum veste, Eruditorum assumpsere: quod anno M. D. XCVII. contigit, implorato prius orationibus, pœnitentijs, sacrificijsque Sanctissimi Spiritus auxilio, & Visitatoris aliorumque Patrum Macaensium, simul & Ludouici, Segneriæ Iaponiorum Episcopi, qui Macai tum erat, cum hac de re deliberaretur, consultatione adhibita. Viderant enim, quindecim iam annorum spatio, per Bonziorum hunc habitum stetisse, quo minus diuinæ gloriæ & salutis animarum negotium ex voto succederet. Hac mutatione mutati & Sinensium animi, & magis erga Patres affici cœpere, ac præsertim Eruditi; tum ob habitus & vitæ similitudinem, tum quod familiarius, seruatis vtrimque patrijs ritibus, in mutua compellatione, sessione, disceptatione, conferentia adhiberi solitis; sine vlla honoris, quam ante verebantur, iactura, inuicem agere, hoc pacto liceat. Erubescebant quippe ab aduenis Bonzijs (hoc namq; eos dicebant nomine) prius aliquid discere: sed iam vbique, & omni in congressu, quoad titulos, compellationem, mutuam visitationem, muneraq; danda reci-

Bonziorum vestem deponunt Patres, & Eruditorum assumunt.

pien-

piendaue,& alios ritus,pro Eruditis habentur. Mutuo hoc commercio, tantam doctrinæ & virtutum Patrum opinionem Eruditi concepere,vt per vniuersum pene regnum nomen illorum propagarint; hinc multi illorum videndorum cupiditate tenentur, & plures familiaritatem ambiunt, quo aliquid ab ijs addiscant. Vnus imprimis exstitit; qui nomen illorum mirifice extulit, & celebrauit. Erat hic Mandarini,omnium præstantisſimi,ac tum ob dignitates quibus functus iam olim erat, tum ob plurima, quæ euulgarat commentaria, celeberrimi filius: Hanc ob causam & filius,cui nomen Taiso, magni ab omnibus Mandarinis & Eruditis fiebat. Hic cum aliquo tempore Xauchei cum P. Riccio commoratus esset qui nonnulla matheseos illi præcepta dabat; tanto eum deinceps & Socios omnes est affectu prosecutus,vt aduenarum,ac Riccij imprimis, nomen per vniuersas Chinæ prouincias diuulgarit: cumq; cum Mandarinis maioribus & Tutanis sæpius ageret,tam luculentum de patribus testimonium dabat, vt illũ nosse ac videre summopere desiderarent. Patres viso oportunum iam tempus aduenisse, quo Euangelicam sementem vasto illi agro committerent, in id vnum incumbebant, vt per omnes regni prouincias sese diffundendi facultas daretur,& inprimis Paquinum adeundi. Interim vero, vt vbique specimen aliquod diuinæ legis, sine vlla turba, ederetur, Riccius breue Doctrinæ Christianæ compendium Sinensi idiomate edidit; dum alium de eadem re librum, quem iam composuerat,in ordinem digerit, & incolarum moribus,cõditionibus,necessitatibusq; adaptat.

Hoc pacto sibi auctoritatem compararunt.

Riccius Nanchini catechismũ edit.

adaptat. Varia hinc inde exemplaria distribuit, nec fructu irrito, & magna cum plurimorum voluptate. Erat inter alios Eruditus quidam, qui hoc ipso anno ad secundum gradum obtinendum examen subierat; hic lecto libello motus, in viam se ilico dedit, Patrem de fundamentis ac rationibus libello contentis coram interrogaturus. Nanchanum cum venisset, recta Riccium adijt, & non aliam aduentus sui esse dixit causam; quam vt legis quam docebat, penitiorem cognitionem haberet. facturum se id Riccius respondit, sed per otium: quocirca necesse videri, vt Nanchani commoretur. Non abnuit alter; conductisq; ædibus bis de die lectioni catechisticæ intererat, mane & vespere. Trimestri spatio hoc pacto discipulum egit, dum paulatim illi fidei mysteria Riccius aperit; quo constantiam illius experiretur, videretq; an quod afferebat ad Christiana sacra suscipienda desiderium, solidæne rupi an leui arenæ innixum esset. At è perseuerantia iudicium faciens, sincere illum procedere, in oratorio baptismo tinxit; quem eodem die plerique Mandarini adiere, tantum illi bonum gratulantes. Paulo post lætus & alacer ad suos redijt, aliquot secum doctrinæ Christianæ libellis assumptis, quos amicis consanguineisq; distribueret, atq; ita ad Creatoris æterni cognitionem pertraheret.

Litteratum conuertit & baptizat.

CAPVT

CAPVT XXXI.

Regiam Paquinensem ignis corripit & destruit. Matthaus Riccius & Lazarus Cataneus Paquinum pergunt. sed hic commorari prohibiti Nanquinum redeunt. hic ciues & incolæ, mirabili quadam ratione declarantur.

IAm ante commemoratum est, Patres Regem conuenire imprimis desideraſſe, quo liberam ille fidei promulgandæ, & in regno ſedis figendę poteſtatẽ faceret; verendum alioquin erat, ne vnico momento perderetur, quod multorũ annorũ labore partum foret. Hanc ob cauſam Riccius magnũ illum Mandarinum, quẽ Xeyã nuncupant, iam ante adijt; dũ eius ope Paquinũ peruenire ſe poſſe ſperat; ſed ab hoc, vt vidimus, in medio deſertus eſt itinere. Non propterea animum deſpondit, aut ſpem abiecit; ſed denuo rem aggredi ac tentare placuit. *Patrum propoſitum.*

Ita porro rem omnem diſpoſuiſſe diuina videtur benignitas, vt cuncta in maiorẽ nominis ſui gloriam redundarint, & finem, quem optimus quiſque optabat, conſecuta ſint; ſed non ſine maxima difficultate ac moleſtia. Hoc quippe in omnibus Dei operibus inprimis elucet; qui tum vere ſe illorum auctorem effectoremq́ eſſe oſtendit, dum diſturbatis ac ſuperatis obſtaculis quibuslibet, finem, quem vult, tandem conſequitur. Credendum ergo hanc ob cauſam, regis illum animum, immiſſo flagello, mitigare voluiſſe. *Quomodo Deus res diſponat.*

Anno nam M. D. XCVII. menſe Maio, ignis vnũ è palatijs regijs corripuit, & pene deſtruxit; anne quis iniecerit, num vero fortuito aut naturaliter is euenerit neſcitur hactenus; Sinæ cælo illum delapſum credunt. Eo prorſus modo,

Tria flagella in tres monarchas eodem pene tempore immissa.

modo, quo eodem anno & menſe, media die, decidit in tentoria, quæ magnus Mogor, (dum ſolis feſtum celebrat) ſibi filijſq; pararat; qui exinde ad regiam proſerpſit, in qua theſauri collecti periere, vt ſuo commemoratum eſt loco.

Anno vero ſuperiori in Septembri tam vehementi terræ motu Iaponia tremuit, vt omnia palatia, quæ Taicoſama, ſupremus tum Iaponum monarcha ſplendoris oſtentandi cauſa erexerat, ſolo æquarit. Tres hoſce principes eodem pene tempore commonere voluit Deus, non habere illos hic ciuitatem manentem, ſtabilem aut certam, ac proinde animum terrenis ne affigerent; & ſimul edocere, eſſe potentiorem in cœlo monarcham, qui terræ ſimul & cœlo dominetur, & in maximos mundi principes dum viſum fuerit, animaduertere poteſt.

Incendium regia Paquinenſis.

At videamus, quomodo incendium in Sina contigerit. Eo igitur quo retulimus tempore, ita flamma regis palatium Paquini corripuit, vt rege ipſo inſpectante, ne biduo quidem potuerit exſtingui. Ingredi auſus fuit nemo; quod lege ac conſuetudine prohibeantur omnes, etiam hoc in periculo, pedem intra regiam inferre, ni vitam amittere velint. Cautum id, ne quis hoc in tumultu regem iugulet, aut aliud incommodum eueniat. In regia tamen magna, Eunuchorum erat copia, ni ad caſtigandum hanc conflagrationem Deus immiſiſſet. Porro ingens iactura fuit, nam vt taceam ædificiorum ruinam, theſaurus regius magnũ paſſus eſt detrimentum: periere ſiquidem monilia, gemmæ, margaritæ, aliaq́ pretij inæſtimabilis.

mabilis. Regis mater hic exſtincta traditur, & ipſe ita conſternatus; vt, cognito cœlitus ſibi hæc immitti, filio regni hæredi, etiamnum puero, indixerit, vt in terram proſtratus, cœlum adoraret, illiuſq; opem ac miſericordiam depoſceret: Sinarum namque plurium cœlum numen quoddam eſſe putant. Porro filium ita orare iuſsiſſe rex dicebatur, quod ob vitã ſceleratam indignum ſe crederet, qui aliquod à diuina maieſtate beneficium obtineret. Suorum forſan iudiciorum metum hoc pacto incutere voluit Deus, vt, dum libera Euangelii diſſeminandi poteſtas poſceretur, facilem ſe (vti reuera fecit, vt ſuo referam loco) præberet.

Interim dum Patres Paquinum ad regiam tendendi occaſionem ſedulo conquirunt, anno ſequenti inſignem nacti ſunt. Mandarinorum namque primariorum quidam, Patrum patronus, cum Paquinum à rege euocatus, quo ad eam dignitatem eueheretur, quæ in Gallia noſtra ſupremo Parlamenti præſidi æquiualeret, Xaucheum tranſiret; Lazarus Catanius, qui tum hic commorabatur, officii cauſa illum adiit, petiitque, vt ſuo in comitatu Nanchanum ad Patrem Riccium pergere liceret. Placere ſibi Mandarinus reſpondit. At quod terreſtri itinere vrbem quandam petere illum oporteret, in qua vectigalia perſoluuntur ex iis, quæ ſecum vehebat; huc vt nauigio Lazarus veniret, indixit, ac tum ſe pariter Nanchanum terra perrecturos. Paruit imperatis Lazarus, & vna cum ſocio, qui ſacerdos non erat, nauem conſcendit, quo Mandarinum ſequeretur. Sed ſumma etiam adhibita diligentia, Mandarinum conſequi non potuit. Quocirca cum ante

Inſignis Paquinum adeundi oblata Patribus commoditas.

socios huc peruenisset, media exspectauit die, verum moræ impatiens, iter cœptum prosequitur. Mandarinis tamen iniungit, vt si quando appellerent, liberam commeandi facultatem darēt, quod è comitatu suo forent. Postridie tandē appulere, Mandarini discessum dolentes; dum verentur, ne quod forsan vlterius progrediendi foret impedimentum. Sed cognito liberum sibi iter à Mandarino datum, metum excussere. Deinde vero ita festinarunt, vt biduo ante illū Nanchanum peruenerint. Riccio mox Paquinum adeundi occasionem, adeo exoptatam, oblatam referunt; sperare se, propter singularem Mandarini affectum in socios, si modo Riccius rogaret, non ægre illum Paquinum vsq; comitandi facultatem daturum. Riccius hoc nuntio recreatus, Mandarinum, mox vt appulit, adiit; quamque necessarium foret, ad secure ac tuto in China manendum, ac ne subito à regiis præfectis loco pellerentur, regiam facultatem habere aperuit. Non displicuit hoc Mandarino: at audito, secum Riccium Paquinum vsque proficisci velle, multis difficultatibus prolatis impedire contendit. Inprimis vereri se, ne forsan, ob adductos aduenas, male in regia audiret. Sed munus quod Riccius obtulit, animum viri penitus immutauit; quin & rationem suggessit, quam si forsan exactius in rem inquireretur, in sui defensionem depromeret, scilicet se comperto voluisse Regem, Lunare sibi Kalendariū (per Lunas namque Sinæ menses distinguunt) condi, quod solari reuolutioni adaptaretur non ingratum regi futurum sperare, si hunc aduenam, in quem forte incidisset, in Mathesi, ac præsertim Astrologia apprime versatum hoc se facturum spondentem

P. Lazarus Cataneus Nanchani P. Riccium reperit.

dentem quo Regi obsequeretur; secum Paquinum adduceret. Riccio vero denunciat, vt si modo adire regem voluerit, munus aliquod, pro patriæ consuetudine, deferat. Tum ille horologium, quod rotis ageretur, imagines aliquot scite depictas, & alias minutias Sinis ignotas protulit; quas Regi minime ingratas putauit fore.

Tametsi vero Mandarinus, quod auctoritate polleret, Riccium cum socio secure ac tuto Paquinum deduceret, tamen vt vrbem subiere cauit, ne in publicum prodirent, sed domo se continerent. Timebat namque, vt aiebat, ne palam fieret, in suo illos comitatu venisse, Patres, ne virum offenderent, foras non prodibant, sed per interpositas personas cuncta gerebant. Sæpe quidem, etiam oblatis donariis, aditum ad regem sibi fieri postulabant, quo illi delata munera offerrent, & Euangelii promulgandi, ob quam potissimum venerant, peterent copiam. Sed nemo patronum illorum hic agere voluit, quod aduenæ forent, quos inuisos Sinæ habent. Aliquot hic egerant mensibus sine vllo prorsus fructu: veriti vero, ne qua interim in domibus Nanchanensi Xaucheanaq; procella oriretur Nanchanum redire decreuere. Nanquinum autem cum in transitu peruenissent, iterum Riccius sociis hic domum parare tentauit. Diuinitus huc (vt effectus declarauit) videtur fuisse impulsus, certa spe concepta, ex voto fore vt res succederet. Illinc vero penitus id fieri non posse credebat, quod omnis aduena, non habita Mandarinorum venia, vrbe excludatur, & in hoc omnes diligenter aduigilent. Tanta hic namque magistratuum est copia, vt etiam minima quæque contingen-

Paquini agunt Patres sed re infecta redeunt.

tia comperiant. At Deus (cui omnia & facilia & poſsibilia ſunt) ſuam hic potentiam & bonitatem patefecit; dum Patres Nanquini, nullo Mandarinorum refragante, omnibus tamẽ conſciis, collocat. Vnus tamen (qui ſingularis dein illorum patronus, & protector exſtitit) carceri illos tradere (vti poſtmodum retulit) iam decreuerat: at comperto, quieti illos ſtudere, & diutius iam in Regno ſine vllo tumultu egiſſe, cœptis deſtitit. Amicorum quidem ope, illius inprimis Mandarini, à quo Paquinum deducti fuerant, & qui eo ipſo tempore Nanquinum appulerat, hic vſi ſunt; primarium tamen auxilium cœlitus affulſit: abſque hoc enim nihil penitus effectum fuiſſet. Primam enim Riccii repulſam hoc pacto reparare voluiſſe viſus eſt Deus. Solet namque Sanctorum aduerſa & amara ſuperiniecta dulcedine temperare; quibus nec ſemper aduerſa ne deiiciantur, nec proſpera ne inſoleſcant, immittit, vt præclare Chryſoſtomus obſeruauit. Nanquini ergo Patres, Mandarinorum nondum facultate habita, conniuentibus tamen ſingulis agunt. Quo vero firmiores hic radices agerent, mirabilem Deus, facilem tamen, vt iam videbimus, rationem adhibuit. Diximus iam ante Mandarinos omnes non propriis, ſed regiis ædibus, omnibus in opidis, magiſtratus tamen functioni accommodis, vti & triennio, quo dignitate funguntur, euoluto, ſucceſſorem muneris ædes quoq; eaſdem accipere, has vbi libuerit, ſuis vſibus adaptare, veteraſcentes reſtaurare, aut nouas etiam erigere regiis tamen ſumptibus. Eo vero tempore, quo Nanquinum venerant Patres, quidam è primariis Mandarinis nouam ſibi ſtruxerat domum; ſed

Hom. 8. in Matth.

Qua ratione Deus Nanquini Patres ſtabiliuerit.

lemu-

lemures hanc iam perfectam ita infestarunt, vt ilico se inde proripuerit. Horrenda quippe spectra domesticos variis lacessebant modis, ac nocte præsertim (sunt namque spiritus tenebrarum,) nullus vt ibidem commorari voluerit, cunctis assidua vexatione deterritis.

Domus elegans erat, & optimo ciuitatis sita loco; sed prorsus inutilis: nam ne vili quidem pretio diuendi potuit. Quærebat tum ædes Riccius ad diuertendum; hinc nonnulli per iocum petiuere, num ædes dæmone infestas emere vellet. Tum Riccius non abnuere se, modo commoda forent; verum se adorare & colere Deum, quem dæmones perhorrescunt, & vel audito eius nomine contremiscunt, se vero Dei huius fisum auxilio, dæmones non morari, at se ipsis econtra terribilem esse, vt Domini huius famulum. Domum igitur cum Riccius vidisset, placuit; quod vero vili fieret, facile inter eos conuenit. Mandarinus qui extruxerat, adeo gauisus est, vt nō domum modo cesserit, sed & literas, quibus & illi & successoribus in perpetuū illius vsum possessionemque confirmauit, dederit, quod à nullo hactenus Mandarino impetrarant. Confestim ergo illius possessionem adiere, verum antequam incolerent, ritu ab Ecclesia seruari solito eandem benedixerunt. Atque ex eo tempore nulli auditi visive lemures & omnis infestatio abiit. Rei huius exitum Sinæ exspectabant; verum comperto omnia pacata, & phantasmata penitus euanuisse, mirati dixere, magnum sane Deum esse Christianorum; cum hanc domum incolere cupiens, dęmones velut custodes pręmiserit, qui impedirent, ne quis, præter seruos suos, hic diuerteret; ad quorum aduentum, ca-

Domum emunt lemuribus infestatam.

Benedicunt hanc, & dæmonibus fugatis incolunt.

cacodæmones ilico inde recedere iussit. Atque hoc modo Patres Nanquini, quæ prima à Paquino vrbs est, domum nacti sunt, à Deo non sine miraculo, præter omnem humanā spem, introducti.

Rei huius fama mox per vrbem sparsa, adeo vt cuncti externos illos sacerdotes & videre, & conuenire cuperent; dicebantur & varios ex occidente attulisse libros, aliaque in China ante non visa; doctrina adhæc & virtutibus excellere. Hinc Mandarini plerique, omni verecundia humana postposita, solito famulorum lictorumque cœtu stipati, ædes Patrum adierunt: idcirco & plebeii illos colere cœpere, nec vllorum conatibus obsistere ausi sunt. Omnes porro magnam de illis, & quam docebant lege, opinionem concepere. Afferet hoc non mediocre ad conuersionem vrbis huius momentum, modo diutius hic agendi facultatem, & prædicationi efficaciam concedere Deo videatur.

Status rerum Chinensium quoad fidem anno 1599.

Hoc in statu res Christiana apud Sinas erat anno vndesexcentesimo, ad quem, Deo fauente, historiam nostram deduximus. In appendice dicemus, Riccium, tentato iterum aditu ad Regem, cum Patre Iacobo Pantoia, & Sebastiano Fernandio, Paquinum rursus adiisse, & anni sexcentesimisecundi initio eodem peruenisse, ac tandem post varias difficultates, Regi munus gratissimum obtulisse. Quocirca indies è regia alimenta necessaria mittebantur, in domum, quam conduxerant, in qua publice fidem Christianam edocebant; cui mense Septembri eiusdem anni regium Mandarinum, & virum primarium, quæ Regis sororem in matrimonium duxerat, & alios Eru-

ditos

ditos, & magni nominis viros, iam lucrati erant.

Quamuis autem plenam nuntiandæ fidei, & in regno commorandæ potestatem rex nondum dedisset; eandem tamen se breui impetraturos sperabant, oblato illius ergo libello; quin & plerique Mandarinorum palam asserebant, votorum illos compotes fore. Quod Regi munus oblatum perplacuisset, & inprimis horologium quoddam maius, (in cuius vsum ligneam parabat turrim) & manucordium; cuius pulsandi, horologiique dirigendi artem, vt regios Eunuchos Pantoia edoceret, quotidie mense integro Regiam adibat.

Quid postea nuntiatum.

Goa perscriptum est anno millesimo sexcentesimo septimo extremo, è China venisse literas, quibus regio diplomate Patres regni incolas, & ciues declaratos iam fuisse, significatum est, ac plenam domos struendi, emendi, possidendi, vendendique, eo prorsus iure quo indigenæ, potestatem nactos, & iam commodam sibi parasse. Non deesse tamen interdum procellas aduersitatum, & hinc anno millesimo sexcentesimo sexto quendam Sociorum, fustigatione, aliisque tormentis à Cantonensibus Mandarinis inflictis occubuisse. Sparsus namque rumor erat, Socios Macai ingentem Iaponiorum aliorumque externorum exercitum conscribere, & classem parare, qua in Chinam traiicerent, cui temere nimis Cantonenses crederent; sed tandem, post innocentis fusum sanguinem merum fuisse patuit commentum, vt in sequentibus latius deducetur.

Oranda igitur diuina bonitas, vt quemadmodum potentis huius regni aditum, ante adeo occlusum fidei præconibus referauit, regis quoque & subditorum animos aperire dignetur, vt ea qua par est dispositione diuinorum verborum sementem admittant; robur quoque, media, & animum iis suggerat, qui tam grauem difficilemq; adeunt prouinciam, quo gnauiter laborent, sedulo incumbant, totque illi animas lucrifaciant, quod in infidelitatis caligine ad inferos præcipites ruunt. Vt, sicut opibus ac diuitiis hoc affluit regnum, ita religione & pietate aliquando florere comperiatur, vt eadem omnes fide vniti diuinam simul Maiestatem adoremus, & colamus, cui honor & gloria in perpetuas æternitates.

FINIS LIBRI II.

Deo Deiparæq; laus & gloria.

INDEX



INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVÆ IN DVOBVS HIS LIBRIS CONTINENTUR.

A.


Abassini fidem Christianam profitentur. 209. à quo illam acceperint. ibid. hodie Iudaicis superstitionibus inquinati. ibid. eorum Episcopi & Monachi. 210. Schismatici sunt & hæretici. ibid. eorum Legatus in Lusitaniam. 213. ad summum Pontificem, quam obedientiam ei præstent. 218. obedientiam excutiunt. 219. Suppetiæ mittuntur à Prætore Indiæ. 220

Abrahamus Maronita Iesuita in Æthiopiam mittitur. 286. Mazuam appellit. 288. ibique Christianum se professus occiditur. 289. sepulchrum illius lumine 40. diebus miraculose collustratur. 290. eius somnium. 291

Abuna Patriarcha Æthiopiæ recusat disputare cum Roderico Gonsaluo S. I. Patre. 240

Abyssini Catholicos Iconibus obiiciunt. 259. illæsi euadunt. ibid. in exilium mittunt. ibid.

Adamas Æthiopiæ rex. 245. hostis Catholicorum. ib. & seq.

Adolescens Bonzius conuertitur. 714. parentes illum repetunt. ibid. Episcopus reddi recusat. 715. mortem subire paratus. ibid. ob fidei confessionem flagellatur. ibid. in exilium pellitur. 716

Adolescentis cuiusdam recens conuersi ingens feruor in religione. 460
Adolescentis cuiusdam Germani qui ad Turcas confugerat conuersio. 466. à turcis necatur. 467
Æthiopia duplex. 206
Aimuri in Brasilia populi ferales & antropophagi. 382
Albuquertius Armuziam regi Lusitaniæ subijcit. 427
Alcoranus Mahometanorum ter confutatus. 507
Alphonsus Congi regis filius efficitur Christianus. 38 improbis se opponit 42. multa patitur 43. fit rex & fratrem bello superat. 47. mittit filium in Lusitaniam. 52. Legatum ad Pontificem Romanum. 58 morbus lentus 60. & eius mors. 61
P. Alphonsus Sanchius Chinam adit. 719
in classem Chinensium incidit. ibid. Archithalasso suas literas exhibet. 720
Chumpinum alloquitur. 724
Cantonem abijt. 725
Sinarum laudabilis consuetudo circa descriptionem rerum aduenarum. 721
Aluarus Congi rex moritur. 101
alium eiusdem nominis fratrem duello interimit. 108.
Amadaba qualis ciuitas & vbi sita. 536
quæ ibi memoranda. ibid.
Amazones Indicæ vbi. 130
Ammonitæ Arabiæ populi 484. à P. Gaspare doceri cupiunt. ibid.
Ampaza vrbs diruta. 194
Andreas Ouiedus Soc. Iesu in Æthiopiam proficiscitur. 144 summam ibi paupertatem patitur. 247 destinatur in Iaponiam 249. sed moritur in Æthiopia 251. 265. eius laus 252. miracula 253. & seq. multos Abyssinos ad fidem conuertit 256. variæ eius persecutiones 257. & seq.
Angolæ regnum vbi situm 110. & seq. eius fines & termini 111. incolæ caninam carnem magni faciunt ibid. eorum malitia 112. quatuor hominum genera. 114. eorum iniquæ leges 115. quorundam feritas ibi. Sacerdotes Christianorum petunt 117. & seq. eo-

rum conuerſio ad Chriſtianam fidem. 128
Antonij Fernandez Ieſuitæ pietas. 267
Antonius de Monte Serrato Ieſuita in Æthiopiam proficiſcitur 276. varias patitur calamitates 277. & ſeq.
Antropophagi in regno Angolæ. 115. 140. 382
Anziani populi Auſtrales humana carne veſcuntur 9. eorumq; maxima barbaries ibid.
Aquæ benedictæ vſus in China. 746
Arbor Braſilia qualis. 299
Arbor vndas aquæ referens. 559
Archiepiſcopatus octo à S. Thoma inſtituti. 671
Armuzia vrbs & regnum 421. eius frequentia. 423 incolarum politia. 424
Armuzia ad pietatem incenditur. 460 repente in peius ruit. 461
Armuziæ rex cupit fieri Chriſtianus. 477
Armuziæ regina vna cum fratre paruulo baptizatur. 492.
Armuzianorum vitia 449. quædam ſublata ibid. fœnera & iniuſte parta reſtituunt. 456
Ars imprimendi apud Chinenſes prius quam apud nos 598.

B.

Baixos da India ſcopuli marini terribiles. 153
Balenæ pugnaces vbi. 7
Baptiſmus puellæ cuiuſdam notatu dignus ob fidem illa varie affligitur. 573. victrix tandem euadit. 575
Baburxa rex. 494 eius geſta. ibid.
Butra prouincia & vrbs. 14
Bayenſis Collegij exercitia in Braſilia. 370
Bazar quid. 449
Bella ciuilia in China quare non facile exoriantur. 652. item externa. 653
Bemba prouincia regni Congiani 9. eius diuitiæ. 10. 15
Bembanarum robur. 10
Beſtia portentoſa vt numen adorata apud Congianos 20.
Bombycum in China copia. 594
Bonziorum in China multitudo. 665

Bonziorum vestem Patres deponunt. 796 eruditorum assumunt. ibid. illo facto authoritatem comparant. 797

Brasilia vbi sita, eiusque descriptio. 296. eius temperies. 297. fertilitas. 298. incolarum olim immanitas & religio. 301. vnde dicta. ibid. tria Societatis Iesu collegia à Sebastiano rege Lusitaniæ ædificata. 361

Brasilii cuiusdam beata mors. 400

Brasilianorum mos in vescendis carnibus humanis. 317. metuunt Lusitanos, & cur. 363. & seq. Iesuitas amant. 367. iisque obtemperant. 370. eorum pietas. 393

Brasiliani ad Christum conuersi ægrotant, sed paulo post sanantur. 321. inter eos superstitio seu error sparsus qualis. 374. miracula circa baptismum & Eucharistiam. 378

Brasiliorum mores. 303. nudi incedunt. ibid.

Breu'a Iudææ vbi, & quam metuenda. 145.153

Buttua regnum vbi. 144

C.

CAfres gens barbara & inhospitalis Lusitanos naufragos spoliat. 161. 168. 177. gens stupida & barbara. 135

Caluinistæ occidunt Patres S. Iesu in Brasiliam tendentes. 339. eorum feritas. 345. mors violenta. 358

Cambaia quale opidum. 531

Cambambes montes in Angolæ regno argenti feraces. 123

Canina caro ab Angolanis magni æstimata. 111

Canus Congi regnum detegit. 26. & seq. Christianam religionem inducit. 29

Capdeuilius Caluinista & pirata occidit Iesuitas in Brasilia nauigantes. 351

Carauana quid & quomodo iter instituat. 535

Carceres apud Chinenses quales. 635

Carigii populi Americæ fidem Christi doceri cupiunt. 324. eorum ducenti longum iter emensi occiduntur.

tur. 325. dociles. 394. ardent zelo religionis Christianæ. 398
Catechumenorum processio. 572
Caximir regnum. 558. illius descriptio. ibid.
Classis Martini Alphonsi Melli à Chinensibus oppressa. 681. & seq. ipse euadit cæteris captis. 682. capti ad supplicium rapiuntur. 682
Celunda fluuius. 76
Cerigones animalia Brasiliæ qualia. 299
Ciquionis vrbis descriptio. 556. eò Patres perueniunt. 757. à pluribus etiam Mandarinis coluntur. ibid.
Circumcisio in vsu apud Africanos quosdã populos. 9
Chaquata prouincia, eiusque fines. 49
Chia qualis liquor. 589. vnde exprimatur. ib. eius vsus. ibid.
Chiansium vrbs. 754
China ferax & cur. 588. & seq.
in China frequentes piratæ. 649
Chinarum erga externos inhumanitas. 659
Chinarum regnum. 581. eius limites. 582. eius amplitudo. 584. & seq.
Chinenses quare semper calidam potent. 617. quando & quomodo vxores ducãt. 612. vitam quomodo arte prolongare studeant. 613. rerum nouarum percupidi. 614
Chinenses argentum pluris quam aurum faciunt. 593
Chinenses quomodo annum distinguant, & quomodo incipiant. 608. eorum salutandi mos. ibid. visitandi ritus. 609
Chinenses regni fines dilatare non curant. 654. Coraianum regnum occupatum quare deseruerunt. 654
Chinenses moralibus virtutibus dediti. 677. sex præceptorum habent compendia vti Christiani decalogum. 677. quibus vtantur libris. 640
Chinenses literis hieroglyphicis vtuntur. 634
Chinenses plerique athei. 660. quæ idola adorent. 661. quid de inferno sentiãt. 663. de mundi exordio. 664. quanti deos suos faciunt. ibid. dediti sunt sortilegio. 665. diuinatores consulunt. 666. parentes singulari amore prosequuntur. ibid.
Chinen-

Chinenſes quomodo aues alant. 595
anates. ibid.
Chinenſium arma. 647
naues. 645
Chinenſium in bello imbecillitas 657. magna ſui ipſorum opinio. 658
Chinenſium induſtria. 592. in parandis aquis. 597
Chinenſium induſtria in artibus Mechanicis. 598
Chinenſium vrbium pulchritudo. 599
earumque platearum diſpoſitio. 600
Chinenſe ſericum. 594
Chriſtiani nonnulli auro corrupti Saracenis ſuum fanum reddi petunt. 483. eorum miſerabilis interitus. ibid. & ſeq.
Chriſtianitatis ſigna quæ in China. 671
Claſſis Luſitana Armuziam appellit. 467
Chriſtianæ legis difficultas apud Ethnicos potiſſimum quæ. 507
Chumpinus quis. 723
Claudius Abyſſinorum rex. 219. reſtituitur in regnum. 224. Catholicæ Eccleſiæ vniri, quod antea petierat, detrectat. 239. idque palam profitetur. 245. in bello victus occubuit. ibid.
Cœli Mandarinus apud Chinenſes quid dicatur. 627
Coanza flumen. 8
Collegium S. L in oppido fluminis Ianuarij. 389
Confeſſio ſacramentalis miraculo confirmatur. 465
Congi prouincia vbi ſita. 4. in ſex prouincias diſtincta. 9. qualis in ea æſtus & hyems. 9. in ea motus 36. 87. tres reges eodem die occiſi. 88. rex à Deo punitur. 94. aurifodinæ. 96
Congo vrbis regia, eiuſque ſitis 15. diripitur à Giachis populis barbaris. 93
Congiani quomodo domos ſtruant. 18. eorum idololatria. 21. Politia. 22. Muſica inſtrumenta. 23. vxorum copia. ibid. veſtitus 24. Chriſtiani fiunt. 29. rex & regina baptizantur. 37. langueſcit in fide idque mulierum inſtigatione. 41. mittunt legationes varias in Luſitaniam, plerumque infelices. 101 & ſeq.

Congiani Cleri cum Episcopo dissensio. 64
Concilium regium in China quale. 627
Conchiliorum piscatio vbi. 6. eorum vsus loco auri. ibid.
Conuertendi obstinatum ratio. 454
Conuiuiorum ratio apud Chinenses. 694. qui illa instruit, non solet interesse. ibid.
Corai regnum. 583
Cuama flumen. 145

D.

DÆmon simius est. 486
Dæmonum terra visio. 457
Deipara apparet regi Monomotapæ. 143
Deus quomodo res Patrum disponat. 799. tria flagella in tres Monarchas eodem pene tempore immittit. 800
quomodo eos Nanquini stabilierit. 804
Disputatio inter Patres & Mullas Mahometanos. 516
Dissensio inter Clerum & Episcopum Congiens. m. 64
Dominicani habent monasterium in Mozambico. 135
Domorum exstruendarum ratio apud Congianos. 18
Duellum duorum Principum Congianorum. 108
Duodecim Soc. Iesu interfectorum à Caluinistis nomina. 360

E.

EDouardus Lopez Regis Congiani legatus ad regem Lusitaniæ. 99. & ad summum Pontificem. 100.
Elephas proboscidi vt Scipioni innititur. 561
Elephantum greges. 10. magna copia in regno Monomotapæ. 147
Elephantorum copia. 496. eorum armatura. 497. cur non ponantur in prima acie. ibid.
Emanuel Fernandius Iesuita Prophetiæ dono clarus. 269. ante mortem à Deipara visitatur. 270
Emanuel Nobrega Soc. Iesu missus in Brasiliam. 309
Emanuel Chaues Soc. Iesu moritur in Brasilia. 400
Ema-

Emanuel rex Lusitaniæ mittit legatos & sacerdotes in Congi regnum. 50. in Æthiopiam ad regem Abyssinorum. 216
Ensada arbor mira in Insula Loanda. 7. ibi Conchiliorum frequens piscatio. 8
Episcopus Congi quomodo acceptus. 62
Equi lignei in regno Congi quomodo fiunt. 86
Eruditus quidam Xanquini in fidem Christianã propendet. 743. baptismum petit. 747. quare Patres recusarint. ibid.
Excubiæ apud Sinas quomodo in naui agantur. 722
Extatici apud Brasilios quales. 376
Externi Chinensi regno excluduntur. 655

F.

FAmes in Caximir ingens. 560
Fernandus Andrada confirmat Lusitanorum cum Chinensibus commercia. 679. eius frater eadem euertit. 680
Fides Christiana in Congo acceptatur. 29. pene perit. 85
Fidem Christianam in China seminare quare difficile. 673. semel admissa quare futura perpetua. 675
Flumen de la Plata quam latum. 297
Flumen ad preces Patriarchæ & Catholicorum Abyssin. exsiccatur. 259
Franciscus Berretus Indiæ prorex. 237
Franciscus Borgia Gandiæ Dux Soc. Iesu. 328
Franciscus Brocadus Lusitanus. 169. 183
Franciscus Bullamaterius suadet regi Congensi relinquere religionem Christianam. 90. eius inopinata & repentina mors. ibid. eius cadauer post mortem à diabolis abreptum. ibid.
Francisci Lopezii Soc. Iesu in Æthiopia vita & mors. 270. & seq.
Franciscani & Benedictini in Brasilia. 363
Fratrum duorum naufragorum insignis dilectio, deq; iis historia. 175
Fulgentius Fereira Soc. Iesu capitur à Turcis. 248
Funerum stipatio apud Chinenses. 668

Fures 12. Patrum domum diripiunt. 776
capiuntur. ibid.
ad mortem damnantur. 777
sed Patrum interuentu ab ea liberantur. ibi.

G.

Galli plebs Æthiopica dicta. 247
Gallinæ habentes nigram carnem. 132
Gangæ magi & sacerdotes Angolanorum. 134
eorum impostura. ibid.
Garziæ Proregis Armuziæ expeditio in Hibernia. 460 & seq.
Gaspar Soc. Iesu quæ in Armuzia effecerit. 451. & seq.
magnum sibi ibi nomen parat. 452
Blasphemum conuertit. 452
Schismaticos & hæreticos multos ad Ecclesiam reducit. 466
Quid circa Iudæorum conuersionem Armuziæ egerit. 468
duos Iudæorum Rabinos conuincit. 469
à Saracenis magnifit. 470
quare ab ijs Ioannes baptista nuncupatus. 470
cum Saracenis disputat. 471
à quibusdam Saracenis vt magus habitus. 476
Christianorum supplicationes Armuziæ instituit. 480. 490
Goæ cum magno fructu concionatur 490. eius obitus. 491
Goæ rex dū peruicax Deo non auscultat, punitur. 556
vt Deus adorari vult. 556
nouam vult inducere sectam. ibid.
opem pollicetur ijs, qui in Cataiam mittuntur. 580
Gei quales populi. 584. eorum mores. ibid.
Giachæ populi barbari. 14. eorum mores. 91
Congum expilant, & regem in fugā conijciunt. 92
Congi regiam diripiunt. 93
Gonsalui Cardosi Iesuitæ pietas, gesta & labores. 268
Gonsaluus Rodericus Soc. Iesu mittitur in Æthiopiam 237. scribit librū de Abyssinorum erroribus. 238

Gonsaluus Silueria mittitur in Mozambicum 134. & seq. regem baptizat, eiusque familiam. 136. mittitur in Monomotapam. 138. regem eius baptizat. 144. ab eo occiditur. 148
Gregorianum Calendarium apud Armenos admittitur. 537
Guinea superior & inferior. 26

H.

Hæreticorum sacrilegia in res sacras. 541
Hieronymus Xauerius S. Iesu cum alijs duobus Mogor adijt. 550. in morbum incidit. 560
Hippopotami equi fluuiatiles, vbi & quam robusti. 5
Hispani quid in Chinensium fanis mirati. 695

I.

IAocheofu vrbs. 784
inter cætera vasis porcellanis nobilis. ibid.
Iapatamum qualis locus 782
Iesuitæ quidam naufragium passi moriuntur. 242
Ignatius Azeuedus in Brasiliam mittitur. 382
occiditur cum socijs. 339
Ignati⁹ Loiola S. I. fundator scribit regi Æthiopiæ. 229
Illeensis Præfectura in Brasilia habet residentiam Soc. Iesu. 380
Imago S. Antonij Paduani ab hæreticis irrisa facit, quod petierunt. 387
Imbij populi efferi vbi. 199
eorum regis superbia & potentia. 100
Ioannes III. Lusitaniæ rex Iesuitas mittit in Congum. 85. Legatum ad Presto-Ioannem 211. conatur Æthiopiam sedi Apostolicæ vnire. 226. eius in eam rem liberalitas. 237. mittit Iesuitas in regnum Angolæ. 118. in Brasiliam. 309
Ioannes Nonius Soc. I. fit Patriarcha Æthiopiæ. 227
sed in illam non peruenit & cur. 243
Inambanæ regnum vbi. 136

Indo-

Indostani flumina. 495
Infantes Brasilianorum in Christiana religione instituti. 520
Ingratitudinis exemplum. 326
Iogue à Paganis vt numen cultus à Gaspare ad fidem traductus. 485.& seq.
Ioguæ cuiusdam superbia. 536
Ioguis miraculosa visio. 488
Christianus fieri cupit. ibid.
baptizatus cur Paulus vocatus. ibid.
Romam iter parans in Lusitania moritur. 499
Iter Patris Riccij Nanquinum versus. 783
Itinerum in China commoditas. 753

L.

LAcus centum leucarum longitudine. 37
in Lahor multi baptizati. 568
Lami rex capite plectitur. 204. & cur. ibid.
Lancitani pater baptizatur. 758
P.Lazarus Cataneus P. Riccium Nanchani reperit. 802
Lechias pruna. 590
eorum vis. ibid.
Leænæ rabies amissis catulis. 562
Legati externi quomodo cũ Rege Chinensi agant. 625
Lelunda flumen. 6
Legitima potestas & pura doctrina siue claues regni cœlorum. 230
Leo Grimonius Græcus Subdiaconus. 525
mittitur vt Legatus à Magno Mogor ad Indiæ Prætorem. ibid.
Leprosus quidam aqua benedicta sanatus & conuersus. 385
Liampus promontorium. 583
Loanda insula 6. Conchiliorum piscatu frequens. ib.
eius fertilitas & opes. 116
Libellus Visitatori Prouinciæ à seniorib. Cantonensib. aduersus Patres oblatus, vbi & confictis criminib. egregie traducuntur. 117
Limahonus pirata nobilis. 685
Philippinas inuadere conatur. 686

Manillam frustra oppugnat. 687
alio se recipit, vt se communiat. 688
Hispani illum expugnare se parant. 687
in arce sua obsessus. 689
fuga se subducit. 780
moritur præ mœrore. 781
Literæ Conchifuij Xanquinensis ad Aitanum Cantonensem. 766
Literæ Magni Mogor ad Patres Goanos. 527
Literæ P.Prouincialis ad Magnum Mogor. 564
Literæ regis Abyssin. ad Emanuelem regem Lusitaniæ. 215
Loytiæ nobiles Chinenses, eorumq; dignitas. 639
Luco frumentum regni Congiani quale. 16
Ludouicus Vasconzellus classis præfectus Brasiliæ prætor. 335
Lusitani cuiusdam miraculosa visio. 455
Lusitani Macaenses obedientiam iurant regi Philippo. 733. Tutano dona mittunt. 734
Lusitanorum portoria in India Orientali. 192
commercia in regno Angolæ. 113
victoria incredibilis de Angolanis. 131
Deiparæ ope hostes debellant. 133
status in Æthiopia. 292
victoria contra Gallos hæreticos in Brasilia. 412
Arx in Sofala. 146. in Mozambico. 135
Lymphatici apud Brasilios. 376

M.

MAcao qualis vrbs. 683. à quib. ædificata. ibid.
Macao transitus est in Iaponiam. 713
Magus quidā in Angolæ regno fœminea veste indutus. 126. Brasiliensis cum vxore baptizatus. 381
Magicus flumen. 145
Magni Mogor origo, imperium, potentia & opes. 492 & seq. diuitiæ. 496
Magnus Mogor filium secundo genitum Patribus in disciplinam tradit. 509
Patres visitat. 510

Christianam legem omnibus præfert. 511
Imagines honorat. ibid.
impedimenta IV. cur fidem Christianam non susceperit. 513. & seq.
concedit Patribus baptizandi facultatem in suo regno. 515
à Deo iterum suæ salutis commonefit. 524
Deiparæ imaginem colit. ibid.
Alcorana & Mosquea destruit. ibid.
Vxores repudiat. 525
tertio ad accersendum Patres Goam legatum mittit. 530
quomodo Patres exceperit. 538
quam erga fidem Christianam propensionem ostenderit suæ conuersionis spem dando. ibid. & seq.
dedit Patribus libros. 539
eius & filij erga Deiparam affectus. 542
eis dat facultatẽ omnes, qui vellent baptizandi. ib.
Mahometismum in regno profligauit. 543
Magni Mogor Regia. 497
eius vestes. 497
Dotes. ibi.
Exercitia. ibid.
Ludi. ibid.
Venatio. 499
quomodo causis audiendis vacet. ibi.
iustitiam exerceat. 500
maleficos puniat. ibid.
illius clementia & iustitia. 501
cur aliquot S. Iesu Patres Goa euocarit. 501. & seq.
de lege sua dubitat, eius literæ ad Patres S. Iesu. ibid.
Mahumetani cuiusdam liberalitas in Lusitanos naufragos. 163
Mahumetanorum vrbs in Sofala. 146
Mahometanorum fano P. Gaspar crucem infert, illudque obstrui iubet. 481
illud Saraceni aperire conantur. ibid.
Malorum plurimorũ origo apud Chinenses vnde. 659
Mameluci in Brasilia qui dicti & quales. 372

Mandarinorum duplex genus. 626. corũ discrimen. ib.
Mandarini togati maiorum gentium in singulis prouinciis 628. eorum munus. ibid. à populo quomodo colantur. 629. quo honore ab eo afficiantur. 630
Mandarini militares, qui. 645
quomodo eligantur. 646
Mandarinorum magna potestas multarum iniquitatum causa. 657
Mandarinorum habitus. 632
Mandarinorum nauium pulchritudo. 601
eorum vestitus. 605
Mandarinis cur sermo difficilis. 634
Mangi regnum quale. 647
Mani præfecti apud Congianos. 9
Martyrium puelli innocentis. 564
Matamanense regnum vbi. 142
Mathematica instrumenta in China à Tartaris relicta. 648
Mattheus Armenius Legatus regni Abyssinorum in Lusitaniam. 213
P. Matthæus Riccius ad interiora regni penetrat. 779
Mandarini comes esse voluit. 780. & cur. ibid. cum Mandarino agit. 781. fere mergitur. 782
Mazua insula in sinu Arabico. 238
Medicus Nanchani, quomodo P. Riccio auctoritatem compararit. 789
Melchior Carnerius Iesuita vir pius & zelosus. 274
Melchior Carnerius Episcopus Nicenus moritur. 713
Melchior Siluius Sacerdos mittitur in Æthiopiã. 293
Melindæ regnum vbi. 190
Miles contentiosus opera P. Gasparis conuertitur. 452
Militis cuiusdam peruicacia aduersario nolentis ignoscere. 453. impœnitens moritur. 454
Miracula apud Brasilios circa Baptismum & Eucharistiam. 378
Miramonini Brasiliæ populi. 401
conuertuntur ad Christum. 402
Mombazæ regnum vbi. 190. vrbs & insula. 196. capitur & euertitur. 702

Monomotapæ regnum vbi situm eiusque descriptio 146. & seq. rex baptizatur. 144
Monserratus S.I. cur à Turcis captus. 565
Monumentum insigne apud barbaros. 536
Mos Chinensiũ in sepeliendis suis parentib. 667 & seq.
Moscum vnde paretur. 593
Mozambicum olim promontorium, nunc Insula vbi. 131
Mulier Brasiliensis Christiana docet suos vincere hostes. 324
Mulier diabolicis spectris per S. Euangelij verba liberatur. 458
Mulier sterilis Ethnica Deiparæ ope fit fecunda. 563
Mulierum Chinensium habitus. 606. cur pede sint exiliores. 606. semper domi manent. 607
Mundus opinione regitur non ratione. 7
Murus a Chinensib. aduersus Tartaros exstructus. 603 illius magnitudo. ibid.

N.

NAnchani opidi descriptio. 788
Nanquafuium vrbs. 784
Nanquini descriptio. 784
triplici muro cingitur. 785
eiusque magnitudo. ibi.
ibi regia est. ibid.
Nauarri ad Ethnicos conuertendos idonei. 314
eius ratio. ibid.
Naufragium Lusitanorum horridum & triste. 152. & seq. & 245.
Naufragorum in periculis mortis pietas. 156
Neophytorum quorundam constantia. 795
Nili inundationis causa. 19. & quando contingat. ib.

O.

Octodecim Chinenses Xanquini baptizantur. 769
Ogegha arbor. 18
Oleum butyro simile. 17

Omonconus Chinensis dux. 690
Orationis vis mirabilis. 131
Oriens dextra mundi pars. 419
Opes magnæ caudæ. 132

P.

Palmæ variæ. 16
Pango prouincia. 13
Panis è palmarum folijs. 17
Panni ex palmarum folijs. 17
Paquini magnitudo. 618
Paquinum adeundi insignis Patribus oblata commoditas. 801
Paquinensis Regiæ incendium. 800
Paraibani Brasiliæ populi baptizantur. 413
Parthi aduersus suum regem se commouent. 515
Parthus, intercessione Deiparæ prodigiosus. 393
Patana vrbs. 537
Patres Soc. Iesu mittuntur in Mogor. 529
iterum Goam redeunt. ibid.
Patres Soc. Iesu Brasilios ab epulis humanis pellunt. 316.
Patres Soc. Iesu mittũtur in regnum Congi. 85. in Angolam. 136. & seq. in Brasiliam. 309
Patres Chinæ cognoscendæ desiderio tenentur. 751
Chiquionem adeunt. 752
Patruus regis Congiani feruens Christianus. 32. & seq.
Paulus Diazius regem Angolæ oppugnat. 122
Pansus Aquitimus iunior regis Congi filius fidei hostis. 39. captus occiditur. 48
Pax inter Lusitaniæ & Æthiopiæ regem inita. 217
inter Lusitanos & Carigios Basiliæ populos. 396
Pendæ rex in regnum restitutus. 202
Perambucus vrbs Lusitaniæ in Brasilia. 410
in ea collegium Soc. Iesu. ibi.
Peregrinantium in Brasilia magna necessitas. 369
Persa quidam euocatur ad disputandum cum P. Gaspare. 471. illius astus. 474. disputationem differt. ib.

circa

circa quæ disputatio instituta. 474
veritatem fidei Christianæ fatetur. 475
eius vxor pro filia baptizatur. 475
Persecutio aduersus Patres Xauquini excitatur. 760
Petrus Correa primum prædator Brasiliensium postea prædicator effectus. 322
Petrus Couillanus Legatus regis Lusitaniæ in Æthiopiam ad Prætorem. 211. eius iter 212. detinetur in Æthiopia. 213
Petrus Martinez Soc. Iesu docet rudimenta fidei Christianæ in Mozambico. 188
Philippi II. in Congi regnum Legatus. 299
Pigritia animal. 300
Piratiningensis Colonia in Brasilia 440. euertitur. 401
Piscandi per coruos ratio. 503.
illius piscationis emolumentum. 544
Pontes plurimi in China. ibid.
Porci marini seu aquatiles. 5
quomodo capiantur. ibi.
Portus formosus vbi 144. securus vbi 306. vnde dictus. 385
Potentissimi Mahometis, magni Regis & Domini Follerij diploma. 526
Præfectura S. Vincentij in Brasilia. 394
Præsepe Bethlemiticum. 562
Præsides comitiorum regiorum in China. 627
Prætoria Magistratuum in China. 601
Charan quid. 601
Presto-Ioannes vel Presbyter Ioannes cur dicatur rex Æthiopiæ. 206
eius imperij fines. 207
fertilitas & populi inertia. 208
Promontorium falsum cur dictum. 149
bonæ spei. ibid. cur ita dictum ibid.
Prouincialis quare Patres Goam reuocarit. 519
Pueri cuiusdam febricientis ac lippientis miraculosa curatio. 458

Q.

Qualimanes fluuius. 141
Quatuor atria in regia Chinensis regni splendidissima 619. eiusdem regiæ descriptio. 620
Quaymados montes vbi. 14
Quiloa insula & vrbs vbi sita. 189
Quianganfu qualis vrbs. 782
Quinque scutula in insignibus regum Lusitaniæ quid designent. 56

R.

Ramada ieiunium Saracenorum. 188
Raris mons in Brasilia. 371
eius incolæ Christiani fieri cupiunt. 16
Reconciliatio duorum qui sibi inuicem necem parant. 452
Reipublicæ Chinensis vtilitates. 650
illius subordinatio ibid. ei præsunt eruditi. 652
eiusdem reip. mala. 656
Religio Christiani in Congi regna plantatur. 29
inopia sacerdotum in eodem pene extinguitur. 97
Religiosi Franciscani Chinam adeunt. 707
nauem conscendunt Præfecti Philippensium iussu. 703
Chinam fine vllo intrant obstaculo ibid. à Mandarino euocantur. 704
illius petitio à religiosis & eorundem responsio. 705
eorum interpres responsa deprauat ibid. ostiatim mendicant. 707
Vrbem ingrediendi facultatem nacti. 706
ad proregem perueniunt. 709
Cantonem redeunt. 710
agnoscunt sui interpretis fraudem. 711
eorum quidam Macaum, quidam ad Philippinas redeunt. 712
Reliquiæ sanctorum quam efficaces. 387
S. Mauritij. 405
Residentia Sanctorum. 402
S. Spiritus. 403
Residentiæ Iesuitarum in Brasilia. 362

Rex

Rex Congi instanter petit sacerdotes in regnum mitti. 98.
Rex Chinæ omnes diuitiis superat. 615
Reges Chinæ illustres virtutibus. 615
Rex Mogor ad bellum proficiscitur. 569. cum P. Xauerius sequitur 570. eiusdem Patris cum illo colloquium ibid.
Rex Monomotapæ baptizatur. 144
occidit Sylueriam. 148
resipiscit. 149
Rhabarbarum in China optimum gignitur. 590
Rhinoceros in India Lusitanis naufragis tentat periculum. 162
P. Rogerius Xauquini à Tutano obtinet locum vbi ædiculam paret. 736
illi offert horologium. ibid. obtinet facultatem in China commorandi. 737
cum socijs declaratur incola Chinensis. 738
à Tutano visitatur ibid. à Mandarino cum socijs ad conuiuium inuitatur. 739
Xauquino cur patres abire compulsi 740. à nouo Tutano eodem reuocantur. 741
eo redeunt & à Tutano magnis officiis exornantur. 742. erga illos Mandarinus mirifice afficitur.
ibidem ijs domum & templum extruit. 743
eiusdem domus & templi insignes inscriptiones ibid.
domicilium Cantone obtinet. 716
à Mandarinis maioribus inuisitur. 718
cum socijs Xauquinum venit. 735
cur in Europam missus sit. 760
item P. Sanchius. ibid.
Ritus in foribus prætorij aperiendis apud Chinenses. 633.
Rudolpho Soc. Iesu, quare Mullæ necem paratint. 520.
ei rex custodiam & stipatores adiungere vult, sed non admittit, 521. eius vitæ austeritas ibid. in morbum incidit. 527. à Deo solatur. ibid.

Sacer-

S.

Sacerdotũ summa penuria in Congiano regno. 104
Sacrilegium punitum. 401
Salomon vnde olim thesauros suos eduxerit. 147
Saraceni multi à P. Gaspare conuertuntur. 477
Saracenorum in Christianos odium. 565
Scopuli Iudææ in India. 151
Sebastianus rex Lusitaniæ Congi regi succurrit. 95
tria in Brasilia ædificat collegia Soc. Iesu. 361
Serpentes ingentes. 11
loco cibi incolis. 12
Serpentes virulenti. 12
Serua Christiana ope Deiparæ à suspendio præseruatur. 139
Sexcenti barbari in Brasilia conuertuntur. 392
Sinensium conuertendorum ratio. 701
Sinus Ainanensis plurimas gemmas profert. 593
Sinus Nanquinensis. 583
Sinus Vaccarum. 8
Siluius Legatus in Congum moritur antequam eo perueniret. 53
Sitis restinguendæ dura ratio. 364
Soba Banzanus baptizatus in regno Angolæ. 127
Sobæ magnates Angolani. 126
eorum quidam punitus ab violatum locum sacrum. 138
excitatur à mortuis & fit Christianus ibid. alij conuertuntur. 140
Songo prouincia. 13
Soria Caluinianus pirata occidit Iesuitas in Brasiliam nauigantes. 339
impœnitens obit 341. & seq.
Sortium ridicula inquisitio apud Chinenses. 666
Status rerum Chinensium quoad fidem. 806
Successio in regno Chinensi quomodo fiat. 621
Sundo prouincia. 13
Sultanus Morad secundo genitus Magni Mogor Cambaiam venit. 532

à Patri-

à Patribus salutatur, ibid. in castra eos vocat. ibid. Patribus pecuniam, equos & reliqua ad iter necessaria suppeditat. 534
Supius quis dicatur. 722

T

TAmberlani nepotes eorumq; gesta. 439
Tanquenum qualis vrbs. 726
Tartari Chinam occupant. 647. à Bonzio Chinensi pelluntur. 648
Templum lapideum in Congo extruitur. 36
item alia. 87
S. Thomas Apostolus num fidem in China docuerit. 670.
S. Thomæ insula quomodo inuenta & eius descriptio 61. Episcopatu illustrata. 62
Tigrides feroces 11. in Brasilia. 300
Timor confitendi à vano pudore profectus. 416
Tormentorum bellicorum inuentio Chinensibus ascribitur. 597
Toroa regnum. 147
Tres Socie. Iesu Patres à Magno Mogor postulati ad illum veniunt. 505. quomodo ab illo excepti ibid. qualia ei obtulerint Patres munera 506. illorum PP. cum Caciziis disceptatio. 506
Tria hominum genera in Brasilia. 367. & seq.
Triginta octo gentiles vno tempore Lahore baptizati. 571
Triginta Iesuitæ occisi à Caluinistis. 344
Triste naufragium. 152
Tutanus & Visitator Patrum domum Xanquini adeunt 770. Raritates Europææ illis ostenduntur ibi. eos Xanquino Tutanus pellit 771. eis vult pecuniam dari ibid. sed illam Patres renuunt 772. ijs aliam vrbem assignat 773. Xaucheum mittit 773. Monasterium Bonziorum incolere nolunt. 775 haud procul ab vrbe domum nanciscuntur. 775.
Tutanus eos videre desiderat. 791

qui

qui ipsi Nanchani commorandi copiam facit. ibid. Artem memoriæ sibi nomen comparat. 792 gratiam cuiusdam principis aucupatur 793. in eruditi cuiusdam amicitiam incidit. ibid. Princeps illius esse vult discipulus 794. is quare renuerit 795. Nanchani Catechismum edit 797. Literatum quendam ad baptismum conuertit. 798
Tutani ad præfectum Xanquinensem aduersus Patres Societ. Iesu decretum 768. eiusdem aduersus eosdem sententia. 769
Tumultus in regno Congi. 87
Typographica ars Chinensium à nostra distat. 597

V.

VAccarum sinus. 8
Vascus Gamma Brasiliam detegit. 305
Veneficij cuiusdam Brasilij arrogantia. 318
Veredarij apud Chinenses 651. eorum ordo ibid.
Vestis Chinensis qualis. 605
Via in Cataiam. 579
Victoria Lusitanorum mirabilis de Angolanis. 131
Vinum ex arbore expressum 17
Vinum palmæ medicum. 17
Viri Chinenses quare longam gestent Cæsariem. 606
Viri vbi puerperæ. 303
Vniuersitates in China 636. ibidem eruditorum tres gradus 636. pro primo gradu quale examen. 637 Priuilegia & dignitates eorum qui illos gradus obtinent. 638
examen pro tertio gradu quale. 639
Vrbium muratarum in China genera quinq; ibidemq; opidorum & pagorum numerus. 596

X.

XAmbalu regni Cataiani metropolis. 576
Xauerius Soc. Iesu Chinam petit ad fidem Christianam disseminandam 684. item duo Augustani Monachi

Monachi ibid. qua occasione intrandi vsi. 685
Xauchei quid Patres egerint. 778
miraculose à periculo ibi illis imminenti liberantur. ibid.
Xauquinum Patres redeunt. 758
Xauquini Catechismus euulgatur. 745
Fides Christiana ibidem docetur, ibid.
Xetaiæ vel Cataiæ regnum. 576
eius incolæ pleriq; Christiani. 577

Z.

Zabucales fructus Brasiliæ. 299
Zacuta Legatus Congianus baptizatur in Lusitania cum suis. 51
Zair fluuius vbi situs eiusq; descriptio. 4
à quo detectus. 20
Ziuettæ vbi. 11
Zebra animal quale. 11
Zeifadinus Armuziæ rex puer. 427

FINIS.



